ACTA ET DECRETA

CONCILII PROVINCIAE COLONIENSIS.

ACTA ET DECRETA

CONCILII PROVINCIAE COLONIENSIS

IN CIVITATE COLONIENSI

ANNO DOMINI MDCCCLX

PONTIFICATUS PII PP. IX. DECIMOQUARTO

CELEBRATI.

COLONIAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA IOANNIS PETRI BACHEMII

MDCCCLXII.

CONSPECTUS.

ACTA CONCILII PROVINCIALIS.

A. ACTA CONCILIO CELEBRANDO PRAEVIA.

	Pag.
1) Litterae, quibus licentia concilium convocandi et celebrandi a sancta Sede postulatur	I
2) Breve S. D. N. Pii IX., quo consilium synodum provincialem celebrandi laudatur	III
3) Litterae Eminentissimi Cardinalis Cagiano, S. C. C. Praefecti, de eodem argumento	IV
4) Edictum convocationis concilii	V
5) Norma et Ordo convocationis et celebrationis concilii . .	VIII
6) Edictum valvis ecclesiae metropolitanae affixum	X
7) Ordo ad celebrandum concilium	XI

B. CATALOGUS SYNODALIUM.

Catalogus Synodalium	XXVI

C. ACTA CONGREGATIONUM GENERALIUM ET SESSIONUM.

1) Congregatio generalis prima	XXIX
2) Sessio solemnis prima	XLIII
3) Congregatio generalis secunda	LII
4) Sessio solemnis secunda	LIV
5) Congregatio generalis tertia	LVIII
6) Sessio solemnis tertia	LVIII
7) Congregatio generalis quarta	LXI
8) Congregatio generălis quinta et ultima	LXV
9) Sessio solemnis quarta et ultima	LXVIII

D. ACTA CONCILII CELEBRATIONEM SUBSECUTA.

Pag.
1) Litterae Eminentissimi Archiepiscopi, quibus acta et decreta concilii Sanctissimo Domino recognoscenda transmisit . . LXXVII
2) Responsio Sanctissimi Domini Pii PP. IX. LXXIX
3) Litterae Eminentissimi Cardinalis Caterini, S. C. C. Praefecti, de recognitione actorum et decretorum concilii LXXX
4) Litterae Sanctissimi Patris Pii PP. IX. de concilio Coloniensi. LXXXI
5) Litterae Eminentissimi Archiepiscopi Metropolitae, quibus acta et decreta concilii provincialis promulgantur LXXXIII

DECRETA CONCILII A SANCTA SEDE RECOGNITA.

PARS PRIMA.

DE DOCTRINA CATHOLICA.

Prooemium 1

Titulus I. De Religione et fide generatim.

Caput I. De Dei exsistentia, religionis fundamento 2
Caput II. De revelatione supernaturali 4
Caput III. De revelationis plenitudine a Christo Ecclesiae commissa dupliceque consignata fonte 6
Caput IV. De fidei divinae necessitate 7
Caput V. De fidei et scientiae discrimine et amico simul consortio. 10
Caput VI. De rationalismo a fide excludendo 13
Caput VII. De fide externe profitenda 16
Caput VIII. De fidei periculis cavendis 17

Titulus II. De Deo uno Personarumque Trinitate.

Caput IX. De personarum in una divina essentia Trinitate . . . 19
Caput X. De erroribus nonnullis in ss. Trinitatis explicatione vitandis. 22

Titulus III. De Creatione.

Caput XI. De Deo rerum omnium uno principio contra absurdas pantheismi doctrinas 24
Caput XII. De Dei in rebus creandis libertate. 27
Caput XIII. De mundi creati fine 29

Titulus IV. De Homine.

Caput XIV. De humani generis origine hominisque natura 30
Caput XV. De hominis statu primitivo 33
Caput XVI. De Adami praevaricatione et peccato originali . . . 36
Caput XVII. De peccati originalis effectibus nec restringendis nec exaggerandis 38

Pag.

Titulus V. De Christo humani generis reparatore.

Caput XVIII. De incarnationis causis 41
Caput XIX. De duabus in Christo naturis unaque persona . . . 43
Caput XX. De B. Maria, Deipara, Virgine perpetua, omnis labis experte 46

Titulus VI. De Christi Ecclesia.

Caput XXI. De Ecclesiae origine perpetuaque constitutione . . . 49
Caput XXII. De Romano Pontifice, Petri Apostolorum principis successore 51
Caput XXIII. De Episcopis, Apostolorum successoribus 54
Caput XXIV. De Ecclesiae magisterio infallibili 57
Caput XXV. De imperii ecclesiastici potestate Ecclesiaeque hierarchia 58
Caput XXVI. Unam solam esse veram Christi Ecclesiam 60

Titulus VII. De gratia.

Caput XXVII. De gratiae ad salutem necessitate 63
Caput XXVIII. De iustificatione 65

Titulus VIII. De Sacramentis.

Caput XXIX. De sacramentis generatim 67
Caput XXX. De baptismo 68
Caput XXXI. De confirmatione 69
Caput XXXII. De eucharistia, sacrificio et sacramento 70
Caput XXXIII. De poenitentiae sacramento 72
Caput XXXIV. De indulgentiarum usu 73
Caput XXXV. De extrema unctione 75
Caput XXXVI. De ordinis sacramento 75
Caput XXXVII. De matrimonio 76

Titulus IX. De altera vita.

Caput XXXVIII. De Sanctorum cultu et invocatione eorumque reliquiarum et imaginum veneratione 78
Caput XXXIX. Vitae futurae fidem facem esse vitae praesentis . . 80
Caput XL. De purgatorio 81

PARS SECUNDA.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Prooemium 83

Titulus I. De Personis ecclesiasticis.

Caput I. De Episcopis 84
Caput II. De Episcopis suffraganeis auxiliaribus 89

		Pag.
Caput III.	De Metropolita	90
Caput IV.	De synodo provinciali	93
Caput V.	De capitulis cathedralibus	95
Caput VI.	De parochis et rectoribus curatis	99
Caput VII.	De decanis	102
Caput VIII.	De regularibus	104
Caput IX.	De synodo dioecesana	106

Titulus II. De ministeriis ecclesiasticis.

Caput X.	De sacramentorum administratione generatim	108
Caput XI.	De baptismatis sacramento	109
Caput XII.	De sacramento confirmationis	110
Caput XIII.	De ss. eucharistiae sacramento	111
Caput XIV.	De poenitentiae sacramento	112
Caput XV.	De extrema unctione	114
Caput XVI.	De matrimonio	115
Caput XVII.	De matrimoniis mixtis	117
Caput XVIII.	De sacramentalibus	119
Caput XIX.	De cultu divino sacrisque caeremoniis	120
Caput XX.	De cantu ecclesiastico	121
Caput XXI.	De verbi divini praedicatione	126
Caput XXII.	De ieiunii et abstinentiae praecepto	129
Caput XXIII.	De scholis elementaribus	131
Caput XXIV.	De scholis superioribus	133
Caput XXV.	De seminariis puerorum	135
Caput XXVI.	De disciplinis sacris tradendis in academiis et universitatibus	136
Caput XXVII.	De seminariis clericorum	138
Caput XXVIII.	De exercitiis publicis seu missionibus in populo	140
Caput XXIX.	De consociationibus ecclesiasticis promovendis	141
Caput XXX.	De ecclesiis et supellectilibus sacris	143
Caput XXXI.	De cura pauperum	146
Caput XXXII.	De bonis ecclesiasticis	146

Titulus III. De vita et honestate clericorum.

Caput XXXIII.	De vitae sanctimonia prosequenda	147
Caput XXIV.	De rebus nonnullis, quae clericis sunt fugiendae	149
Caput XXXV.	De pietate in Deum	151
Caput XXXVI.	De litterarum studiis	152
Caput XXXVII.	De corporis habitu cultuque	153
Caput XXXVIII.	De conversatione cum aequalibus et domesticis	153

APPENDIX.

Pag.

Nr. I. Ex epistola dogmatica S. Leonis Papae I. ad Flavianum. 156

Nr. II. Symbolum fidei concilii Toletani XI. a. 675 156

Nr. III. Synodi oecum. VIII. (Constantinopol. IV.) can. 11.. . 161

Nr. IV. Innocentii III. cap. *Maiores* 3. X. de baptismo et eius effect. (III. 42.) 162

Nr. V. Innocentii III. professio fidei praescripta Waldensibus. 165

Nr. VI. Confessio fidei Michaëli Palaeologo a Clemente IV. proposita 167

Nr. VII. Propositio 97. Raymundi Lulli damnata a Gregorio XI. d. 26. Ianuarii 1376 169

Nr. VIII. Ex Martini V. Constitutione *Inter cunctas* d. d. 22. Februarii 1418 169

Nr. IX. Concilii oecumenici Florentini decreta 169

A. Ex decreto unionis Graecorum in Constitutione Eugenii IV. *Laetentur coeli* d. d. 6. Iulii 1439 . . . 169

B. Ex decreto pro Armenis in Constitutione Eugenii IV. *Exsultate Deo* d. d. 22. Novembris 1439 . . . 170

C. Ex decreto pro Iacobitis in Constitutione Eugenii IV. *Cantate Domino* d. d. 4. Februarii 1441 174

Nr. X. E Leonis X. Constitutione *Apostolici regiminis* d. d. 19. Decembris 1512, edita in sessione VIII. Concilii Lateranensis V. 178

Nr. XI. Michaëlis Baii propositiones aliquae damnatae a S. Pio V. in Constitutione *Ex omnibus afflictionibus* d. d. 1. Octobris 1567 179

Nr. XII. Propositio 39. inter damnatas ab Alexandro VII. d. 18. Martii 1666 179

Nr. XIII. Propositiones aliquae e damnatis ab Innocentio XI. d. 2. Martii 1679 179

Nr. XIV. Propositiones nonnullae e damnatis ab Alexandro VIII. d. 7. Decembris 1690 179

Nr. XV. Articuli declarationis cleri Gallicani a. 1682, a summis Pontificibus reprobati 180

Nr. XVI. Propositiones nonnullae e Quesnellianis damnatis a Clemente XI. Constitutione *Unigenitus* d. d. 8. Sept. 1713 181

Nr. XVII. Benedicti XIV. declaratio cum instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda d. d. 4. Novembris 1741 . . 181

Pag.

Nr. XVIII. E Pii VI. Constitutione *Auctorem fidei* d. d. 28. Aug. 1794 184
Nr. XIX. E Brevi Pii VII. ad Episcopos Galliarum d. d. 17. Febr. 1809 187
Nr. XX. a) Pii VII. Constitutio *De salute animarum* d. d. 16. Iul. 1821 188
b) E Diplomate restitutionis eccles. Metrop. Colonien. a. 1825 207
c) Leonis XII. Constitutio *Impensa Romanorum* d. d. 26. Martii 1824 207
Nr. XXI. a) Breve Pii VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem d. d. 25. Martii 1830 215
b) Instructio Cardinalis Albani ad Archiepiscopum Coloniensem atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem d. d. 27. Martii 1830 . 218
Nr. XXII. E Brevi Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae d. d. 27. Maii 1832 223
Nr. XXIII. Ex Encyclica Gregorii XVI. d. d. 15. Augusti 1832 . . 225
Nr. XXIV. a) Breve Gregorii XVI. d. d. 26. Septembris 1835 . . 227
b) Decretum d. d. 7. Ianuarii 1836 230
Nr. XXV. Decretum S. Congregationis sancti Officii approbatum a Gregorio XVI. d. d. 14. Septembris 1842 232
Nr. XXVI. Ex Encyclica Pii IX. d. d. 9. Novembris 1846 232
Nr. XXVII. Decretum S. Congregationis super statu regularium, auctoritate Pii IX. editum d. d. 25. Ianuarii 1848 . . . 235
Nr. XXVIII. Ex Allocutione Pii IX. habita in Consistorio secreto d. 27. Septembris 1852 237
Nr. XXIX. Ex Pii IX. Constitutione *Ineffabilis Deus* d. d. 10. Decembris 1854 237
Nr. XXX. Theses a S. C. Indicis editae et a S. D. N. Pio IX. d. 15. Iunii 1855 approbatae 238
Nr. XXXI. Encyclica Pii IX. d. d. 18. Iunii 1859 239
Nr. XXXII. Pii IX. Litterae ad Emin. D. Ioannem Cardin. de Geissel, Archiep. Colonien., d. d. 15. Iunii 1857 240
Nr. XXXIII. Ex Pii PP. IX. Epistola encyclica *Amantissimi Redemptoris* d. d. 3. Maii 1858 242

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM, QUAE DECRETIS CONTINENTUR 243

ACTA CONCILII PROVINCIALIS.

A. ACTA CONCILIO CELEBRANDO PRAEVIA.

1) Litterae, quibus licentia concilium convocandi et celebrandi a sancta Sede postulatur.

Sanctissime Pater!

Cunctis retro saeculis omnium semper una sententia fuit unaque vox, quae etiam a Spiritu sancto in Synodo oecumenica Tridentina (Sess. XXIV. cap. 2. de ref.) sanctione solemni corroborata est, concilia provincialia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque secundum canones renovandis quam maxime salutaria esse et frugifera; sed nihilominus, iniuria temporum aliisque praepedimentis Ecclesiae Dei praecipue nostris in regionibus multifariam obstantibus, factum est, ut synodorum provincialium celebratio per complura saecula omitteretur. Sic, ut ceteras Germaniae provincias omittam, ultimum provinciae Coloniensis concilium illud fuit, quod anno 1549. ab Adolpho, Archiepiscopo Coloniensi, cum Episcopis Leodiensi, Monasteriensi, Osnabrugensi, Mindensi et Traiectensi, qui tunc temporis provinciae Coloniensi adnumerabantur, coactum est. Ex eo enim tempore obstacula, e bellorum turbationibus saepe saepius exorta et praesertim ex infaustissima et nunquam satis deploranda illa in fide discordia, quae et nunc Germaniam nostram misere dissecat, nutrita et aucta, tanta fuere et tam gravia, ut Archiepiscopi succedentes, quamquam suo in Ecclesiae prosperitatem et in animarum salutem studio et fervore praestantissimi, a congregandis conciliis provincialibus abstinuerint.

Nunc vero, Deo opitulante, faustiores nobis dies rediisse videntur. In dubium enim vocari nequit, rempublicam catholicam iam longiori ex tempore ac praesertim inde ab anno 1848. conditionem meliorem, quam qua antea usa fuerat, inter nos fuisse adeptam. Religio in clero et populo nova incrementa cepit, devotio et obedientia in Ecclesiam aucta est, orthodoxae fidei sanaeque doctrinae depositum sanctius custoditur et traditur, et quamquam in ordine christiano hic illic multa adhuc desiderantur, disciplina tamen ecclesiastica viget et florescit. Prae omnibus autem illud felicissimum accidit, quod funestissima ista, quae saecularis vocitatur tutela super

Ecclesiam, passim usque ad oppressionem exaggerata, denique ad maximam partem abrogata est, atque Ecclesia cum libertate pristina sibi reddita etiam ad pristinam autonomiam, qua res suas ipsamet ordinet et interiorem vitam suam promoveat, libere reverti potest.

Quae utpote quam maxime exoptanda et, quantocius fieri posset, exsequenda iam in conventu Episcoporum Germanorum Herbipolensi, quorum deliberationibus praesidebam, altius perpensa sunt, atque ibidem omnium suffragio unanimi placuit, imprimis concilia provincialia restituenda esse, quae deinde synodi dioecesanae subsequerentur. Exinde nil magis mihi cordi fuit, quam ut prima, quae data esset, occasione concilium provinciale congregarem; quod vero propositum quominus pro animo exsequerer, curae et sollicitudines in administranda archidioecesi, ut notum est, amplissima innumerae et gravissimae diutius me impedierunt. Denique autem ut etiam in hoc muneris mei officio, ad quod misericordiarum Deus me indignum et infirmum vocavit, pro viribus satisfacerem, manum ad aratrum mittendam iudicavi. Eum ad finem Episcopos Suffraganeos autumno elapso huc Coloniam invitavi, ubi in congregatione praeparatoria per complures dies considentes decrevimus, synodum provincialem currente anno 1860. celebrandam esse, simulque praevie rerum capita, quae in concilio accuratiori deliberationi subiicienda essent, statuimus.

Praeterea autem, ut in omnibus, quae ad concilii tam convocationem, quam celebrationem spectant, iuxta sacros canones et Ecclesiae ritum praescriptum progrediamur, *Normam et Ordinem* pariter humillime hic subnexum composui, qui cuncta complecti mihi videtur, quae ad negotium tam grave fauste ordiendum prospereque promovendum nec non feliciter complendum observanda erunt.

Quare nunc Sanctitatem Vestram summa reverentia litteris hisce devotissimis adire atque humillimas preces offerre audeo; nimirum:

1) Ut Sanctitas Vestra facultatem et licentiam concilium provinciale convocandi et celebrandi mihi concedere, atque

2) *Normae et Ordini* hic apposito, in eiusdem concilii celebratione ab omnibus, qui convocandi erunt, observando, Apostolicam sanctionem et approbationem elargiri dignetur; atque eandem Normam approbatam — vel etiam in iis articulis, quos forte minus recte statuissem, ex sacrae Congregationis decretis synodorum examinandis praepositae sapientia altiori benigne emendatam — mihi remitti iubere velit.

Deo auxiliante spem foveo acceptissimam, fore ut, facultate et approbatione Apostolica obtenta, concilium suo tempore indicere possim. Nec timeo, ne bellum tristissimum, in Italia superiori nunc exortum et tantis ex causis vere lacrymandum, etiam in alias et usque ad nostras regiones extendatur ac novum impedimentum nobis offerat. Quod ut Deus misericors avertere velit, in dies singulos oramus. Ex quo enim Sanctitas Vestra Litteras encyclicas de pace ab Omnipotenti exoranda emisit, preces

publicas ordinavimus, quibns populus noster frequentissimo concursu assistit. Verba paterna, quibus Sanctitas Vestra orbem christianum ad preces excitavit, in omnium cordibus resonnerunt. Omnes sentimus, qnae et quantae sollicitudines et curae Sanctissimi Patris nostri animum nunc commoveant et contristent. Quare preces ardentissimas omnipotenti Deo fundere non cessamus, nt Petri Cathedram in fluctibus, qnos portae inferi denuo contra illam excitare conantur, inconcussam stabilire atqne Sanctissimum Patrem nostrum amantissimnm contra omnia inimicorum Ecclesiae machinamenta tutum et incolumem servare velit.

Firmiter confidimus, Deum optimum maximum nostras preces exauditurum esse nobisqne simnl gratia sua largiturum, ut pace apnd nos conservata concilium, qnod intendimns, celebrare liceat. Ab hoc concilio mnlta bona et prospera exspectamus in religionis et Ecclesiae angmentum, in cleri et populi aedificationem, in animarum salutem et in divini Salvatoris nostri et beatae eius Matris sine labe originali conceptae gloriam. Concilii vero celebrandi progressum folicissimum speramns cum Spiritus sancti lumine a Sanctissimi Patris nostri Apostolica benedictione, quam, sacratissimas manus humillime exosculans, mihi, Coëpiscopis meis ac clero et fidelibns nostris devotissime exoro.

Coloniae die 6. Iunii 1859.

Sanctitatis Vestrae
humillimus devotissimus obedientissimus servus
† **Ioannes Cardinalis de Geissel,**
Archiepiscopus Coloniensis.

2) Breve S. D. N., Pii IX., quo consilium synodum provincialem celebrandi laudatur.

Dilecto Filio Nostro Ioanni tituli S. Laurentii in Viminali Presbytero S. R. E. Cardinali de Geissel, Archiepiscopo Coloniensi.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili Noster, Salntem et Apostolicam Benedictionem. Libentissimo quidem animo Tnas accepimns Litteras die 6. proximi mensis Iunii datas atque intimo erga Nos pietatis, amoris et obsequii sensu conscriptas, ex quibus, Dilecte Fili Noster, summa animi Nostri incnnditate cognovimns, susceptum a Te fuisse consilium cogendi ac celebrandi provincialem synodum, quae ob tristissimas rcrum ac temporum vicissitudines pluribns abhinc saeculis istic fuit omissa. Quum enim ex hninsmodi synodis ad sacrorum canonum normam rite habitis maxima in rem catholicam bona redundent, idcirco summopere optamns, ut ipsae synodi inxta canonicas sanctiones celebrentur. Itaqne Tibi, Dilecte Fili Noster, de hoc inito consilio ex

animo vehementer gratulamur, quod maiorem in modum ostendit, quo religionis studio et qua episcopali sollicitudine ac zelo praestes. Hic autem insertas Nostrae Concilii Congregationis litteras Tibi mittimus, ex quibus nosces, quae scire cupiebas. Nihil vero dubitamus, quin in hac provinciali synodo concelebranda a Te, Dilecte Fili Noster, atque a Venerabilibus Fratribus istius ecclesiasticae provinciae Sacrorum Antistitibus, Deo auxiliante, ea omnia provide sapienterque suscipiantur consilia, quae ad sanctissimae fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiendum, ad salutiferam catholicae Ecclesiae doctrinam tuendam et quotidie magis propagandam, ad Dei cultum augendum, ad cleri disciplinam servandam eiusque sanctam doctamque institutionem promovendam, ad christianam utriusque sexus inventutis educationem excitandam, ad populorum mores emendandos eorumque religionem ac pietatem fovendam, ad vitiorum germina radicitus evellenda et errorum tenebras depellendas, atque ad sempiternam hominum salutem procurandam magis magisque conducere possunt. Iam vero iucundissimum Nobis fuit, ex iisdem litteris agnoscere, qua cura studioque, Dilecte Fili Noster, secundum Nostra monita et vota publicas in ista Tua dioecesi preces indicere haud omiseris. Namque ea profecto spe nitimur fore, ut dives in misericordia Deus, totius Ecclesiae suae sanctae precibus propitius annuens, velit Nos confortare et consolari in omni tribulatione Nostra, utque divina sua gratia et omnipotenti virtute omnes Ecclesiae suae et huius Apostolicae Sedis hostes illuminet eosque ad veritatis, iustitiae salutisque semitas reducat. Denique hanc etiam occasionem libentissime amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam, qua Te prosequimur, benevolentiam. Atque huius Nostrae in Te propensissimae voluntatis testem et coelestium omnium munerum auspicem Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Tibi ipsi, Dilecte Fili Noster, et gregi Tuae vigilantiae commisso peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 30. Iulii anno 1859.

Pontificatus Nostri anno decimoquarto
Pius PP. IX.

3) Litterae Eminentissimi Cardinalis Cagiano, S. C. C. Praefecti, de eodem argumento.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Observandissime.

Quum a Sanctissimo Domino Nostro mandatum acceperim, ut Eminentiae Tuae litteris die 6. Iunii proxime praeteriti datis rescriberem, gratissimum mihi accidit hoc erga Te officio primo quoque tempore fungi. Itaque scias inprimis a Sanctitate Sua, cui res haec relata fuit, et ab hac ipsa sacra Congregatione, Tridentini iuris interprete, maxima animi laetitia fuisse acceptum, synodum provincialem habere Te decrevisse. Hoc porro consi-

lium, quod pastoralem Tuam sollicitudinem eximie commendat, mirifice probatum ac landatum est: quoniam nullo alio huius aevi malis aptiori remedio occurri potest, quam huiusmodi conventuum iuxta sacros canones et Concilii Tridentini praescriptum celebrationem redintegrare.

Quod vero pertinet ad ea duo scripta, quae litteris adnexuisti, primum normam exhibens et ordinem in synodi celebratione sequendum, nihil non recte, nihil non sacrorum canonum praescripto consentaneum prae se ferre compertum est. Quod vero respicit alterum rerum in synodo pertractandarum capita complectens, animadvertunt iidem Patres, integrum esse Antistitibus de iis, quibus malint, rebus agere, prout propriis cuiusque loci ac temporis necessitatibus magis conferre existimaverint.

Quod reliquum est, posteaquam acta concilii confecta et ab Eminentia Tua huic sacrae Congregationi exhibita fuerint, non different Eminentissimi Patres, eadem iuxta sacri Ordinis disciplinam expendere et recognoscere.

Haec habe nomine sacrae Congregationis: ego vero singulariter impensos observantiae meae sensus ex animo profiteor Eminentiae Tuae, cuius manus humillime deosculor.

Romae die 29. Iulii 1859.

Eminentiae Tuae
humillimus et addictissimus famulus
A. M. Card. Cagiano Praefectus.
Q. Quaglia Secretarius.

Colonien. Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo.

4) Edictum convocationis concilii.

Nos Joannes Sanctae Ecclesiae Romanae sub titulo S. Laurentii in Viminali Presbyter Cardinalis de Geissel, miseratione divina et S. Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Coloniensis et provinciae Coloniensis Metropolita, eiusdem S. Sedis Apostolicae Legatus natus etc. etc.

Reverendissimis Fratribus Episcopis, venerabilibus capitulis metropolitano et cathedralibus, praepositis et superioribus regularibus, ceterisque Nostrae provinciae personis ecclesiasticis, quae de iure vel consuetudine concilio provinciali interesse debent,

Salutem in Domino.

Inter decreta praestantissima, quae Patres Tridentini de orthodoxa fide et disciplina ecclesiastica, Spiritu sancto afflante, statuerunt, illud quoque quam maxime salutiferum placuit et Sessione XXIV. cap. 2. de ref. sancitum est, ut provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis

moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex sacris canonibus permissis renovarentur. Quibus vero de causis factum sit, ut nihilominus synodorum provincialium celebratio in patria nostra per longiorem annorum seriem frustra desideraretur, sat superque notum est, quum nemo Ecclesiae annalium gnarus nesciat, quae iniuria temporum, qui bellorum cruentorum tumultus saepe saepius exorti, quae scissiones et dissidia rempublicam christianam hic illic perturbantia, quaeque alia praepedimenta omnigena obstiterint, quominus concilia provincialia ad res tute et feliciter deliberandas convenire possent. Tristissimis iisdem causis quoque attribuendum est, quod metropolis et provincia Coloniensis Nostra, ab antiquis temporibus fide et disciplina praecellens, quamvis olim multitudine synodorum provincialium, quae in ipsa celebratae sunt, inter Germaniae ecclesias nulli secunda exsisteret, nihilo secius iam a tribus saeculis institutione illa saluberrima usque ad tempora nostra caruerit.

Sed post tempora illa Ecclesiae diutius infensa faustiores denique dies cum aevo nostro advenisse iam censuerunt Germaniae Episcopi, ad memorabilem illum conventum in urbe Herbipolensi anno 1848. congregati; atque ibidem, re gravissima altius perpensa, Tridentinorum Patrum vestigiis inhaerentes inter se definierunt, saluberrimam synodorum disciplinam denuo redintegrandam esse, atque praecipue concilia provincialia, quam primum fieri posset, a Metropolitis esse cogenda. Post illum autem conventum, cuius et Nos partem fuisse Deo gratias maximas debemus, nihil antiquius Nobis fuit, quam ut, hac etiam in parte officio Nostro deesse nolentes, omni, qua par est, opera maturiorique labore cuncta ordinaremus, quae ad convocandum et rite celebrandum concilium provinciale necessaria et opportuna dignoscerentur. Quo vero maiori unitate et fiducia in opere gravissimo procederemus, Reverendissimos Fratres Episcopos comprovinciales Nostros iam anno praeterlapso Coloniam invitavimus, qui, quae in concilio provinciali proxime instituendo proponenda et tractanda forent, praevia deliberatione Nobiscum consulerent.

Quibus ita feliciter peractis et praeparatis, nunc, implorato prius Iesu Christi, divini Ecclesiae Sponsi, clementissimo auxilio et Matris eius Virginis Mariae potentissimo praesidio, praeclarorum Patrum Nostrorum exempla ex animo sequentes et auctoritate Nostra metropolitana utentes, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam et in honorem beatae Mariae Virginis sine labe conceptae, archidioeceseos Nostrae Patronae primariae, nec non in ecclesiarum totius provinciae Nostrae utilitatem et prosperitatem concilium provinciale cogendum esse statuimus, quod in ecclesia Nostra metropolitana Coloniensi celebrandum litteris hisce indicimus, illudque in Dominicam tertiam post Pascha, id est in diem vicesimum nonum Aprilis proxime futuri, solemniter aperiendum decernimus et convocamus.

Quamobrem Reverendissimos Fratres Episcopos comprovinciales Nostros Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem, ac Reverendissimos

Episcopos suffraganeos, eorum auxiliares, ut ad concilium a Nobis indictum termino statuto conveniant, monemus et requirimus. Advocamus quoque venerabilia capitula ecclesiae metropolitanae Nostrae et ecclesiarum cathedralium Trevirensis, Monasteriensis et Paderbornensis, sicut et plurimum reverendos praepositos, rectores seminariorum et superiores regularium provinciae Nostrae, aeque ac ceteras personas ecclesiasticas, quae de iure vel consuetudine synodo provinciali interesse debent, iisque, in quantum opus est, praecipimus et mandamus, ut ad concilium a Nobis denuntiatum praefixo tempore compareant. Praeterea omnes et singulos monemus et adhortamur, ut concilio ipsimet intersint, nisi iusto retenti fuerint impedimento, quod, si forte contingat, per procuratorem sui loco missum et legitime munitum Nobis probare tenebuntur.

Ut autem omnibus innotescat, quae personae de iure vel consuetudine ad concilium convocandae sint et ei interesse teneantur, quaque ratione in eo celebrando sit procedendum, Normam et Ordinem peculiarem, a Nobis compositum et a sancta Sede Apostolica, cuius summo arbitrio eam subiecimus, approbatum, in adiecto folio subiungimus, simul mandantes, ut quae in memorato Ordine tum de eligendis et deputandis procuratoribus ac de adducendis theologis et canonistis, tum circa modum in concilio procedendi, deliberandi et definiendi statuta sunt, ubique observentur.

In hac vero synodo Nostra provinciali post professionem fidei ab omnibus solemniter emissam, iuvante Spiritu sancto, deliberabitur: de fide et fidei doctrina, de hierarchia ecclesiastica et eius iurisdictione, de scholis elementaribus et superioribus, de sacramentis in genere et in specie et eorum administratione; de Episcopis, de capitulis, de decanis et parochis, de officio divino, de cantu ecclesiastico, de vita et conversatione clericorum, de synodo dioecesana, de beata Maria Virgine, de cultu Sanctorum, de ecclesiis et sacris supellectilibus, necnon de aliis disciplinam christianam spectantibus, prout Nobis et concilii Patribus expedire videbitur.

Magnum sane opus est, quod intendimus, quodque certo, ut feliciter succedat, benedictione coelesti maximopere indiget. Divinum autem auxilium ex uberrimo gratiarum fonte Nobis non deerit, si humili spiritu sinceroque animo illud exoramus. Itaque non ignorantes, nihil Nos posse, nisi in eo, qui Nos confortat Pater luminum, a quo omne donum bonum et omne datum optimum descendit, preces publicas pro fausto concilii provincialis initio, progressu et exitu a venerabili clero cum fidelibus archidioeceseos Nostrae a Dominica Passionis proxime instante incipiendas et usque ad concilii finem continuandas indiximus, atque Reverendissimos Fratres Episcopos comprovinciales Nostros, ut easdem preces publicas in dioecesibus eorum curae creditis instituant, in Domino hortamur.

Oremus et orando instemus, ut magnus ovium Pastor et pastorum Princeps gloriosam illam promissionem et in Nostra synodo adimpleat: Ubi

sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum — ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.

Datum Coloniae in aedibus Nostris archiepiscopalibus in festo S. Mathiae Apostoli die 25. Februarii anni salutis millesimi octingentesimi sexagesimi.

Ioannes Cardinalis de Geissel,
Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita.

5) Norma et Ordo convocationis et celebrationis concilii.

I. Concilii provincialis indicendi et convocandi ius secundum canones competit Archiepiscopo Metropolitae, qui igitur litteris convocatoriis omnes, qui de iure vel consuetudine synodo interesse debent, invitabit et deliberationibus ibi instituendis praesidebit. Metropolitam in concilio incepto per tempus impeditum Episcopus provinciae antiquior supplebit.

II. Ad concilium convocandi sunt atque ei interesse tenebuntur:

1) Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi comprovinciales.
2) Reverendissimi Episcopi suffraganei auxiliares.
3) Venerabile capitulum ecclesiae archiepiscopalis metropolitanae Coloniensis, dignitarii et canonici capitulariter.
4) Venerabilia capitula ecclesiarum cathedralium: Trevirensis, Monasteriensis et Paderbornensis, quodlibet per duos procuratores deputatos, e capitulo votis absolute maioribus eligendos.
5) Plurimum Reverendus praepositus ecclesiae collegiatae Aquensis per seipsum vel per eiusdem ecclesiae canonicum, ab ipso deputandum.
6) Admodum Reverendae studiorum theologicorum facultates, quae Bonnae, Monasterii et Paderbornae sunt, per procuratorem e professorum collegio electum.
7) Admodum Reverendi rectores seminariorum maiorum: Coloniensis, Trevirensis, Monasteriensis et Paderbornensis.
8) Admodum Reverendi Patres superiores regularium: *a.* P. praepositus provincialis societatis Iesu; *b.* P. superior provincialis ordinis Praedicatorum; *c.* P. superior provincialis congregationis Sanctissimi Redemptoris; *d.* P. superior provincialis congregationis S. Vincentii de Missione; *e.* P. superior provincialis ordinis S. Francisci de observantia; *f.* P. superior provincialis ordinis S. Francisci Capucinorum; et *g.* P. superior provincialis Fratrum minorum.
9) Praeterea Archiepiscopus tres vel quatuor, et Episcopi comprovinciales duos viros ecclesiasticos in theologia et iure canonico versatos secum adducere curabunt, quorum consilio et adiutorio in rebus tractandis utentur.

III. In decretis definiendis Episcopi Ordinarii, ut Patres concilii, voti

decisivi iure pollent, ceteri vero omnes, qui intersunt, votum tantummodo consultativum exercent.

IV. Omnes, qui ad concilium vocati sunt, statuto tempore et loco adesse tenentur; quodsi quis iusta de causa, quae ab Archiepiscopo Metropolita, referentibus iudicibus synodalibus, examinanda et ratihabenda erit, se ipsum impeditum perspexerit, procuratorem, eius vices acturum et speciali mandato instructum, deputabit. Ordinariorum impeditorum procuratores votum decisivum exercebunt.

V. Ut quaestiones, quae in concilio definiendae sunt, omni diligentia examinentur, Metropolita in conventu praeparatorio cum Ordinariis et de eorum consilio et consensu quatuor congregationes particulares efformabit, quarum quaelibet, certum numerum procuratorum et deputatorum complectens, sub uno ex Patribus praeside, eoque impedito, eius Episcopo auxiliari supplente, capita ab Archiepiscopo assignata praevio examini subiiciet atque ad alteram in congregatione generali disquisitionem peragendam praeparabit.

VI. Quaestiones in congregationibus particularibus examinatae una cum observationibus, quas illae proponendas esse censuerint, Archiepiscopo Metropolitae tradentur, qui eas congregationibus generalibus ab ipso indicendis, et quibus omnes synodales assistent, proponet, ut ibi omnium examini et voto subiiciantur.

VII. De quaestionibus per congregationes generales examinatis Patres denuo inter se deliberabunt, et quae statuenda et decernenda sint, denique definient.

VIII. Decretis eo, quo dictum est, modo praeparatis, sessio fiet, ab Archiepiscopo indicenda et in ecclesia metropolitana habenda, in qua decreta et statuta quoad eam partem, quae iam absoluta fuerit, omnibus synodalibus praesentibus, publice legentur.

IX. In congregationibus generalibus et sessionibus Patres concilii sedebunt et procedent secundum ordinem promotionis, salvis tamen iuribus ex ordine sedium episcopalium in Bulla De Salute animarum enumerato forte competentibus, quibus idcirco non derogetur. Nec minus eundem promotionis ordinem Suffraganei auxiliares inter se sequentur. Capitulum ecclesiae metropolitanae collegialiter sedebit et procedet post Episcopos, procuratores vero aliorum capitulorum sedebunt et procedent in ordine sui respectivi Episcopi, ceterique deputati, aeque ac theologi et canonistae admissi secundum ordinem supra §. II. N^ris 6—9. enumeratum. Quodsi Vicarii generales a Patribus adducti fuerint, illi tam in congregationibus particularibus et generalibus, quam in sessionibus penes suos respectivos Episcopos, veluti eorum adiutores, sedebunt. — Ceterum de praecedentiae quaestionibus, si quae ortae fuerint, Archiepiscopus Metropolita, referentibus iudicibus synodalibus, omni appellatione remota, sed absque praeiudicio definiet.

X. In sessionibus Patres concilii mitra, baculo et pluviali insigniti cum duobus capellanis procedent, Episcopi auxiliares vero mitra et pluviali cum uno capellano; ceteri autem omnes eo habitu chorali, qui ipsis pro qualitate ordinis convenit. In congregationibus generalibus omnes habitu chorali vestiti, in congregationibus particularibus vero veste subtalari tantum induti sedebunt.

XI. In prima congregatione generali Archiepiscopus Metropolita eos synodales proclamabit, qui congregationes particulares constituant, nec minus officiales designabit a concilio adhibendos et in congregatione praeparatoria cum Episcopis electos, nimirum: *a.* Indices qnerelarum et excnsationum quinque, *b.* Praefectos hospitiorum tres, *c.* Promotores duos, *d.* Secretarios et lectores quatuor, *e.* Notarios tres, *f.* Caeremoniarios duos, et *g.* pro qualibet dioecesi testem synodalem. Quos vero in congregationibus particularibns unum vel duos a secretis Episcopi, earum praesides, adhibere voluerint, ipsi designabunt.

XII. Reliqua omnia, quae in concilio denuntiando et celebrando sequenda erunt, iuxta normam in Pontificali Romano part. III. Ordo ad synodnm, et in Caerimoniali Episcoporum lib. I. cap. 31. praescriptam ad amussim observabuntur.

XIII. Concilii provincialis decreta supremo sanctae Sedis Apostolicae examini et indicio snbmittenda sunt, atque non nisi post obtentam Apostolicam approbationem poterunt publicari.

Coloniae die 31. Maii 1859.

† Ioannes Cardinalis de Geissel,
Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita.

6) Edictum valvis ecclesiae metropolitanae affixum.

Concilium provinciale Coloniense per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Ioannem S. R. E. Presbyterum Cardinalem et Archiepiscopum Coloniensem decreto edito et promulgato indictum et convocatum, hoc anno die vicesima nona mensis Aprilis, Deo adiuvante, in metropolitana ecclesia Coloniensi inchoabitur et celebrabitur.

Coloniae dic 20. Martii 1860.

De mandato:
Carolus Theodorus Dumont,
Notarius Apostolicus,
Vicarius ecclesiae metropolitanae et Eminentissimi Cardinalis a secretis.

7) Ordo ad celebrandum concilium.

I.

1. Tribus vel duobus mensibus antequam tempus adveniat, quo Archiepiscopus Metropolita concilium provinciale habere statuerit, Episcopos comprovinciales de concilio celebrando certiores reddit, eosque aeque ac capitula cathedralia ceterasque provinciae personas ecclesiasticas, quae de iure vel consuetudine concilio interesse debent, edicto publico convocat eisque diem ac locum constituit, quo synodus habebitur. Simul preces publicas ad implorandum divinum auxilium pro optimo concilii initio, progressu et fine in omnibus dioecesis suae ecclesiis certa die incipiendas et usque ad concilii exitum continuandas praescribit atque Episcopos comprovinciales hortatur, ut similes preces in dioecesibus suis instituant. Praeterea parochos suos mandato pastorali monebit, ut fidelibus suis repetita allocutione concilii rationem ac scopum exponant eosque ad preces exhortentur.

2. Post edictum publice emissum Archiepiscopus schedulam, manu notarii, apposito sigillo archiepiscopali, subscriptam et litteris grandiusculis exaratam, qua idem concilium indicitur, ad valvas ecclesiae metropolitanae mandat affigi, et Episcopos invitat, ut idem in cathedralium valvis fieri curent.

3. Quatuordecim vel octo saltem ante diebus, quam concilii provincialis indicta dies venerit, Archiepiscopus, nisi iam prius cum Episcopis comprovincialibus de rebus in concilio statuendis deliberaverit, aliquot viros ecclesiasticos in disciplinis theologicis et in iure canonico versatos rerumque gerendarum peritia et usu praeditos, nec non pietate et sacerdotali sensu ferventes, prout expedire videbitur, apud se convocabit, quorum consilio et adiutorio decreta et statuta in synodo proponenda et deliberanda praeparabit.

4. Eodem tempore Archiepiscopus de concilio habendo communicabit cum capitulo metropolitano, cuius ex gremio tres hospitiorum praefectos deputabit, qui habitationes exteris synodalibus durante concilio in domibus canonicorum et parochorum atque in seminario maiori assignandas exquirant ac decernant. Iidem quoque praefecti cum capitulo curabunt, ut omnia, quae ad concilium in ecclesia metropolitana digne ac tute celebrandum necessaria fuerint, ad tempus praeparentur, inter quae imprimis sedilia et mensa cum tegimentis, scamna ceteraque comparentur utensilia, nec non septa in summo choro perficienda, quibus Episcopi ceterique, qui synodum constituunt, a reliquo clero separentur, neve bonus ordo turbetur.

Praeterea iidem praefecti cum capitulo providebunt, ut ecclesia metropolitana ad concilium celebrandum festivo et solemni ritu, modo et forma, in Caeremoniali Episcoporum lib. I. cap. 12. et 31. de ornatu ecclesiae praescripta, exornetur. Demum providebunt quoque, ut omnes synodales

in metropolitana, aut in aliis ecclesiis parochialibus quotidie missam hora ipsis opportuna celebrare possint.

5. Quum initium concilii solemne in Dominicam tertiam post Pascha praefixum congregationes praeparatoriae antecedant necesse sit, Episcopi comprovinciales iam sub vesperum feriae quintae praecedentis, ceteri vero synodales sub vesperum feriae sextae Coloniae adesse curabunt. Patres advenientes Metropolita fraterna caritate hospitaliter in aedibus suis, durante concilio ibidem habitaturos, recipiet; reliqui synodales Episcopum suffraganeum Coloniensem adibunt, qui ipsis, nisi iam prius in scriptis fecerit, habitationes ab hospitiorum praefectis definitas indicabit.

6. Feria sexta hora matutina nona cum media Archiepiscopus primam congregationem particularem cum Patribus instituet, in qua statuta concilio proponenda iam praeparata vel praeparanda producet, et quae Episcopi proponenda esse censeant, percipiet. Praeterea ordinem in synodo procedendi variaque decreta in prima congregatione generali emittenda, nec non efformationem congregationum particularium atque enumerationem synodalium, qui eas constituant, sicut et statutorum partem, quae a qualibet congregatione deliberanda sit, proponet atque cum Patribus definiet.

7. Sequenti die hora matutina nona cum media omnes synodales in aedibus archiepiscopalibus ad Metropolitam ac concilii Patres solemniter salutandos apparebunt.

8. Eodem die hora decima iidem synodales ad primam congregationem in aula maiori palatii archiepiscopalis habendam convenient, ubi eo ordine ac habitu sedebunt, qui in Ordine d. d. 31. Maii 1859. praescriptus est.

II.

Congregatio generalis prima.

In prima congregatione generali sequentia observabuntur:

1. In pariete aulae maioris erigetur altare cum imagine Crucifixi inter quatuor cereos accensos, ad cuius podium Metropolita et Episcopi in gyro sedebunt. In mensa, cui assident, ponentur: Crucifixi imago, biblia sacra, corpus iuris canonici et decreta Concilii Tridentini. Metropolitae ex adverso ponetur crux archiepiscopalis.

2. Archiepiscopus congregationem precibus in Pontificali Ordo ad synodum praescriptis inchoabit: Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis aequitatem, ut sinistrum nos non

ignorantiae trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat; sed iunge uos tibi efficaciter solius tuae gratiae douo, ut simus in Te unum, et in uullo deviemus a vero; quatenus in uomine tuo collecti, sic in cunctis teueamns cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a Te in nullo dissentiat sententia nostra et in fnturo pro beue gestis consequamur praemia sempiterna. Amen.

Tunc Metropolita Episcopos et synodales brevi allocutione ex animo salutabit.

3. Finita allocutioue procuratores ad Archiepiscopnm accedentes procurationis documeuta, quibus se a mandatariis suis muniri curaverint, recognoscenda ei exhibebunt, qui ea iudicibns synodalibns examinauda tradet.

4. Postea publicabitur decretum de silentio servando et restitueudis statutis una cum decreto de ratione deliberandi, et omnes iuxta ordinem accedunt Archiepiscopum, fidem dantes his verbis: Promitto sub fide sacerdotali. Quo facto cuilibet exemplar statutorum, quae ad sublevandam et accelerandam deliberatiouem typis exscripta sunt, simul cum hoc Ordiue, qui in celebrando coucilio provinciali servandus est, ab Archiepiscopi secretario adstante tradetur.

5. Porro Archiepiscopus mandat, nt nomina Patrum ceterorumqne synodalium praelegantur.

6. Deinde Metropolita efformationem congregationum particularium sub uno ex Episcopis praeside ac nomina synodalium, qui unamquamque ut consultores constituant, cum assignatioue illius statutorum partis, quae eorum deliberationi committitur, publicari iubet.

7. Pari modo et elenchum officialium a concilio adhibendorum, quos cum Patribus iuxta Ordinem d. d. 31. Maii 1859 §. XI. designavit.

8. Praeterea nomina theologorum ac canonistarum, quos ipse, nec non quos Patres sibi assistentes assumpserint, palam fieri mandat.

9. Postea Archiepiscopus interrogat Patres, num sciant, aliqnem abesse, qui concilio interesse deberet, praesertim ex iis, qui voto decisivo polleut.

10. Quibus ita finitis, iubente Archiepiscopo decreta prius cum Episcopis praeparata praelegentur, scilicet:

a. Decretum de aperieudo concilio.
b. Decretum de professioue fidei emittenda.
c. Decretum de praeiudicio uou afferendo.
d. Decretum de modo viveudi in concilio.
e. Decretum de nou discedendo.

11. Metropolita interrogat Patres, dicens: Reverendissimi Patres, placentne Vobis decreta modo praelecta, atqne simul placetne Vobis, ut sicut praelecta fuerunt, in prima sessioue solemni promulgentur? Patres respondent: Placet. Quo facto Archiepiscopus dicit: Decreta modo lecta

Patribus placuerunt; de eorum ergo assensu illa statuimus, sic ut lecta sunt, atque decernimus, nt in prima concilii sessione promulgentur.

12. Denique Archiepiscopus promulgat: De consensu Reverendissimorum Patrum statuimus et decernimus primam sessionem solemnem crastina die, quae est tertia Dominica post Pascha, in ecclesia metropolitana celebrandam esse, ad qnam igitur omnes synodales hora octava matutina adesse invitamus.

13. Finitur actio ab Archiepiscopo oratione sequenti: Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae maiestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut, qui petentibns postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Dominum etc.

Omnes proseqnuntur: Sub tnum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta; Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra. Tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quaesumns, Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

His peractis omnes discedunt in pace.

14. Precibus snprapositis inchoantur et finiuntur etiam omnes aliae congregationes generales subsequentes.

15. Eadem die hora sexta vespertina in ecclesia metropolitana fient preces publicae coram exposito ss. sacramento, quibus praemittetur sermo ad populum. Ab hora septima ad octavam campanae totius civitatis festivo ritu pulsabuntur.

III.
Sessio solemnis prima.

1. Dominica III. post Pascha hora matutina septima ad octavam campanae ut in summis festis pulsantur.

2. Hora octava omnes synodales in ecclesia parochiali S. Andreae ad processionem inde ad summam aedem instituendam convenient.

3. In hac processione tam Episcopi, quam Episcopi auxiliares pluviali rubri coloris et insignibus convenientibus (Ord. §. X.) utentur. Dignitarii et canonici pariter pluviali, vel etiam, ut ceteri synodales, in eo vestitu chorali procedent, qui ipsis pro ordine convenit.

4. Ante processionis egressum imponitur thus. Archiepiscopus dicit orationem: .

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

5. Finita oratione instituitur processio ordine sequenti:

a. Regulares omnes civitatis sub cruce, quam capellanus defert.
b. Crux capituli metropolitani delata per subdiaconum inter duos ceroferarios.
c. Clerici seminarii cum professoribus.
d. Parochi Colonienses cum stola rubra.
e. Thuriferarii.
f. Crux archiepiscopalis delata per subdiaconum inter duos ceroferarios.
g. Magistri caeremoniarum.
h. Notarii et secretarii concilii, qui alio ex titulo superiorem locum non occupant.
i. Theologi et canonistae eadem ratione.
k. Testes synodales eodem modo.
l. Iudices synodales eadem conditione.
m. Promotores synodales eadem conditione.
n. Provinciales regularium.
o. Praesides seminariorum, qui alium locum non tenent.
p. Procuratores academiarum.
q. Praepositus Aquensis vel eius procurator.
r. Procuratores capitulorum cathedralium secundum ordinem promotionis Episcoporum suorum.
s. Capitulum metropolitanum capitulariter.
t. Episcopi auxiliares cum uno capellano.
u. Episcopi comprovinciales cum duobus capellanis.
v. Presbyter Archiepiscopo assistens cum ministris vicariis.
w. Archiepiscopus cum duobus ministris canonicis.
x. Capellani Archiepiscopi.

6. Singuli in choro locum a caeremoniariis ipsis assignandum occupabunt, Episcopi sedilia semicirculo ante altare posita, comprovinciales a dextris, auxiliares a sinistris. Ceteri synodales in stallis capituli et in medio choro, capellani post Episcopum suum sedebunt, et si quis Episcopus Vicarium suum generalem socum adduxerit, hic pone ipsum sedebit.

7. Archiepiscopus pallio indutus missam solemnem de Spiritu sancto celebrabit. Dum ad eam paratur, Episcopi sedent cum mitris, ceteris stantibus.

8. Ante introitum missae Archiepiscopus salutat cum mitra Episcopos,

qui cum eadem resalntant, deinde eam deponunt. Quoticscumque Metropolita in missa mitram recipit vel deponit, Episcopi, excepta manuum lotione, idem observant.

9. Archiepiscopo Confiteor orante, Episcopi pariter confessionem inter se bini et bini de more recitant.

10. Quum post Epistolam sequentia: Veni, sancte Spiritns oratur, Archiepiscopus in throno et Episcopi in sedilibus cum mitris, ceteri loco suo genuflectunt.

11. Dnm evangelium decantatur, Episcopi comprovinciales baculum tenent; eo decantato, Archiepiscopo et post eum omnibus Episcopis evangelii liber osculandus per subdiaconum offertur. Celebrans solus incensatur.

12. Ad versiculum: Et incarnatns est Archiepiscopus et Episcopi cum mitris, canonici vero detecto capite, sedentes profunde se inclinant, ceteri omnes genuflectunt utroque genu.

13. Post offertorium incensantur Episcopi per diaconum tribus ductibus, canonici metropolitani et capitulorum cathedralium procuratores duplici ductu; ceteri synodales incensantur per subdiaconum uno ductu et postremo collegium parochorum universim triplici ductu.

14. Ad Agnns Dei osculum pacis Episcopis, canonicis metropolitanis ac capitulorum procuratoribus defertur a presbytero assistente, ceteris synodalibus per diaconum. Statuendum erit a Patribus, an communionem generalem cum Metropolita celebraturi sint.

15. In fine missae benedictio solemnis non datur.

16. Finita missa Archiepiscopus, pallio et paramentis in throno depositis, accipit plnviale. Presbyter assistens et ministri canonici deponunt paramenta et locum suum in choro, nisi alius ex alio titulo synodali eis assignatus sit, occupant, ministris vicariis tamen prope Archiepiscopum remanentibus.

17. Metropolita cum baculo ad altare accedit, nbi ante infimnm gradum paratum est faldistorium cum pulvino, super quem deposita mitra genuflectit atque aliis omnibus pariter genuflectentibus incipit antiphonam:

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Chorus recitat psalmum:

Salvum me fac, Deus: * quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi: * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris: * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me, inimici mei iniuste: * quae non rapui, tunc exsolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam: * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui exspectant te Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me: * qui quaerunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, * et peregrinus filiis matris meae.

Quoniam zelus domus tuae comedit me: * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam meam: * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: * et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine: * tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiae tuae exaudi me, * in veritate salutis tuae.

Eripe me de luto, ut non infigar, * libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * et secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animae meae et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: * improperium exspectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, * et in retributiones et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videant: * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: * et furor irae tuae comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: * et non intrent in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: * et cum iustis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: * et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et laetentur: * quaerite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: * et vinctos suos nou despexit.

Laudent illum coeli et terra, * mare et omuia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Siou: * et aedificabuntur civitates Iuda.

Et inhabitabunt ibi, * et haereditate acquirent eam.

Et semen servorum eius possidebit eam; * et qui diligunt uomen eius, habitabunt in ea.

Gloria Patri, — Sicut erat, etc.

18. Psalmo incepto Metropolita et Episcopi cum mitris et reliqui pariter tecto capite sedent.

19. Finito psalmo omues surgunt et Archiepiscopus deposita mitra dicit oratiouem: Adsumus, Domine (ut in Poutif.).

20. Tunc Archiepiscopus et Episcopi sumunt mitram et omnibus procumbentibus recitantur litauiae omnium Sanctorum. Post versiculum Ut omnibus fidelibus defuuctis etc. Metropolita surgit et accepto baculo super synodum benedicit dicens: Ut banc praesentem synodum visitare, disponere et benedicere digneris, — quo facto iterum genuflectit, et litaniae ad finem deducuutur.

21. His persolutis omnes surgunt et Metropolita deposita mitra prosequitur: Oremus: (Ministri non respondent: Flectamus geuua, quia est tempus paschale.) Da quaesumus (vid. Pontif.)

22. Postea Metropolita ascendit altare, ubi in gradu superiori interea positum est faldistorium, in quo, deposita mitra, dorso verso ad altare sedens incensum imponit. Diacouus in loco et ritu solito cantat evangelium (ex Pontif.), quo finito evangeliorum liber osculandus per subdiacouum affertur Archiepiscopo, qui deiude incensatur.

23. Metropolita, deposita mitra, cum omnibus genuflecteus incipit et chorus prosequitur bymnum:

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fous vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermoue ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma uostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne uoxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

24. Finito primo versu omnes surgunt et stant usque ad finem hymni.

25. Hymno finito, Metropolita accepta mitra sedet in faldistorio et alloquitur concilium.

26. Post allocutionem Archiepiscopus descendit et sedet in faldistorio, quod interim in medio semicirculi Episcoporum positum est.

27. Primus promotor instat pro aperiendo concilio: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quoniam dies faustissima et omnibus nobis laetissima hodie advenit, ut post tria saecula in nostra provincia Coloniensi concilinm provinciale potuerit celebrari, et quum nunc omnes, qui huic synodo de iure et cousnetndine interesse debent, hic in Domino congregatos esse videamus: ego N. N., ab Eminentia Vestra auctoritate metropolitica huius concilii promotor nominatus et constitutus, insto et snpplex oro, ut Eminentia Vestra hoc concilium nunc aperiendum decernere ac decretum de eius initio publicandum esse mandare velit.

28. Metropolita respondet: Mandamus, ut decretum nostrum de aperienda synodo legatur. Tunc tradit primo secretario decretum ex ambone praelegendum.

29. Primus secretarius ab Archiepiscopo, cuius annulum osculatur, quod etiam facit, quotiescumque quid e manu Metropolitae recipit, sumit decretum illudque praelecturus ambonem ascendit.

30. Post decreti lectionem, quam Episcopi sedentes, ceteri vero stantes audiunt, alter secretarius cum uno ex notariis singulos Patres adit ac eorum votum requirit dicens: Dignetur Illustrissimus et Reverendissimus Pater pronunciare, an placeat hoc decretum de inchoanda synodo modo lectum. Dicto ab ipsis: Placet, secretarius redit ad Archiepiscopum referens: Decretum Patribus placet. Quo facto Metropolita promnlgat: De assensu Reverendissimorum Patrum decernimus et declaramus, huius concilii initium faciendum atque eius initium iam esse factum.

31. Primus promotor instat pro emittenda fidei professione: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum sacrosancta Synodus Tridentina sess. XXV. cap. 2. de ref. sanciverit, ut singuli Episcopi ac presbyteri in concilio provinciali congregati publicam fidei professionem emittant, nec non Summo Romano Pontifici veram obedientiam promittant et profiteantur: ego N. N., huius concilii provincialis constitutus promotor, insto atque supplex oro, ut Eminentia Vestra decretum de emittenda professione fidei legendum et publicandum decernere dignetur.

32. Metropolita dicit: Ita decernimus et mandamus. Primus secretarius recipit decretum, quod ex ambone praelegit. Quo facto Metropolita,

stantibus ceteris, ad altare genuflexus pronunciat professionem fidei Tridentinam (ex Pontif.).

33. Finita professione Archiepiscopus surgit et in faldistorio sedens evangeliorum librum super genua tenet. Accedunt singuli Episcopi et emittunt super evangeliorum librum professionem fidei dicentes: Ego N. Episcopus N. eandem fidem profiteor iuxta formulam, quam nunc Eminentissimus Metropolita legit, atque idem spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. Quibus dictis tangunt et osculantur evangeliorum librum. — Post Episcopos accedunt quoque ceteri synodales terni vel quaterni atque iisdem verbis professionem fidei emittunt.

34. Postea primus promotor instat, ut decreta in initio concilii provincialis pro more publicanda praelegantur: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Secundum antiquam Ecclesiae disciplinam ille semper usus observatus est, ut in initio concilii provincialis varia decreta ederentur et praelegerentur.

Haec decreta sunt:

Decretum de non praeindicando.

Decretum de modo vivendi.

Decretum de non discedendo.

Decretum de concilii officialibus.

Quamobrem ego N. N., huius concilii promotor, insto et ab Eminentia Vestra devotissime peto, ut, quemadmodum usus id exigit, haec decreta ex ambone praelegantur et promulgentur.

35. Metropolita mandat praelectionem decretorum dicens: Ita decernimus et mandamus.

36. Secretarius recipit ab Archiepiscopo decreta, quae ex ambone praelegit. Tunc subiungit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres, placentne Vobis haec decreta? et redit ad locum suum.

37. Alter secretarius cum notario adit singulos Patres, exquirens eorum consensum, quem acceptum refert Archiepiscopo, qui dicit: Decreta placuerunt Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae. Patres respondent: Deo gratias.

38. Promotor instat pro publicando decreto de iudicibus querelarum et excusationum: Eminentissime et Reverendissime Pater! Quum in actione synodali iudices constituere necesse sit, quibus querelas, excusationes et controversias, si quae exoriturae sint, audire et examinare ac de iis ad Patres, ut de iis decernant, referre incumbit: ego N. N., huius concilii provincialis promotor, insto atque oro, ut Eminentia Vestra eiusmodi iudices nominare ac decretum de eorum nominatione publicari decernat.

39. Metropolita respondet: Ita decernimus et ordinamus. Primus secretarius accipit ab Archiepiscopo decretum, quod ex ambone praelegit.

40. Promotor instat pro vocatione Patrum et aliorum, qui concilio interesse debent: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum

hodie sit Dominica tertia post Pascha et dies vicesima nona mensis Aprilis, qua omnes ad hoc concilium provinciale indictum ac statutum legitime convocati et invitati adesse debent: ego N. N., concilii promotor, insto et requiro, ut omnes et singuli Reverendissimi Episcopi aliique synodales nominatim vocentur. Archiepiscopus respondet: Ita decernimus et mandamus. Secretarius ex ambone legit catalogum Patrum ac omnium convocatorum.

41. Denuo promotor instat pro indictione secundae sessionis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! In conciliis provincialibus semper exstitit usus, ut in prima sessione dies et locus secundae sessionis indicerentur. Quare insto, ut idem quoque nunc in hoc concilio observetur. Metropolita respondet: Habeatur Rererendissimorum Patrum sententia. Primus secretarius ex ambone dicit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres! Placetne Vobis, ut proxima sessio habeatur feria (x), quae erit dies (x) mensis Maii, ita tamen, ut dictus terminus in congregatione generali contrahi aut prorogari libere possit, sicut rebus concilii expedire videbitur? Alter secretarius adit Patres ad exquirendum consensum, et dicto ab omnibus: Placet, factaque relatione ad Metropolitam, primus secretarius accipit a Metropolita decretum indictionis sessionis secundae illudque publice legit.

42. Denique promotor instat pro actis huius sessionis conficiendis: Ego N. N., huius concilii promotor, admoneo et rogo vos venerabiles huius concilii notarios constitutos, ut pro officio vestro omnes, qui in hac prima sessione adfuerunt, diligenter annotetis, atque omnium, quae tractata et peracta sunt, accuratam ac fide dignam relationem conficiatis. Primus notarius respondet: Conficiam.

43. Deinde Metropolita surgit et altare ascendens impertitur benedictionem solemnem more consueto, Episcopis sine mitra et canonicis stantibus; ceteri omnes genuflectunt.

44. Pulsantur organa. Metropolita et Episcopi discedunt in sacristiam ac, depositis ibi paramentis et acceptis mozettis, Archiepiscopus cum cappa magna, redeunt in chorum, ex quo processionaliter ad portam primariam deducuntur.

IV.

Altera die post primam sessionem inchoabuntur congregationes particulares, quibus e certo synodalium numero secundum Ordinem d. d. 31. Maii 1859. §. V. compositis unus ex Episcopis, vel eo impedito eius Suffraganeus auxiliaris, praeerit, et quarum praevio examini, a synodalibus in habitaculo Praesidis habendo, omnia decreta et statuta iam parata et ab Archiepiscopo ipsis assignata subiicientur. Peracto hoc examine Episcopus Praeses decreta simul cum observationibus, quas congregationis assessores proposuerint, in unum collectis Archiepiscopo tradet, qui quoties quaestiones ita deliberatas ad numerum sufficientem accrevisse censuerit, cum consensu Patrum congregationem generalem indicet, ubi eadem decreta a

secretariis praelecta cum propositionibus adiunctis denuo omnium synodalium deliberationi submittentur. In utriusque congregationis deliberationibus synodales sibi cordi babebunt, ut omnia diligenter et mature secum perpendant, et, si quid dubium vel mntandum vel addendum aut omittendum ipsis videatur, cuilibet secundnm ordinem liberum erit, sententiam suam, addita simul desideratae mutationis ratione, aperire. Ut autem certo et genuine innotescat, quam quis sententiam emiserit, propositiones eo modo, qui in decreto de ratione deliberandi statutus est, conscriptae Praesidi vel notario exhibebuntur atque actis adnectentur.

V.

Sessio solemnis secunda.

1. Hora septima matutina campanarum pulsus festivus, ut ad primam sessionem.

2. Hora octava synodales convenient in sacristia ecclesiae metropolitanae, ex qua Archiepiscopus cappam magnam, Patres mozettam et rochettum, Episcopi auxiliares mantelettum et rochettum, ceteriqne babitum choralem gestantes, et ordine supra tit. III. nr. 5. statuto, per absides et navim ad cborum procedent, ubi Archiepiscopus thronum inter duos canonicos a latere in subselliis, et reliqui omnes loca ipsis assignata, ut in prima sessione, occupabunt.

3. Missa solemnis celebratur ab antiquiori vel ab altero ex Patribus, qui, paramentis in sacristia acceptis, a presbytero assistente et ministris duobus e canonicis et duobus alteris e vicariis comitatus, chorum ingreditur.

4. Dum celebrans ad altare accedit, Archiepiscopus descendit de throno et cum celebrante, qui eius partem sinistram tenet, orat introitum missae. Ceteri Episcopi ut snpra tit. III. nr. 9.

5. Post introitum celebrans ascendit altare; Metropolita redit ad thronum et ministrat incensum.

6. Thurificato altari, celebrans cum mitra stans in cornu epistolae incensatur triplici ductu, deinde Metropolita.

7. Celebrans pergit ad faldistorium et prosequitur missam.

8. Subdiaconus post epistolam et diaconus ante evangelium osculantur annulum Metropolitae, a quo recipiunt benedictionem.

9. Ad evangelium et post illud decantatum, ut snpra tit. III. nr. 11., celebrans et Archiepiscopus incensantur.

10. Ad offertorium Archiepiscopus imponit incensum, et incensato celebrante incensantur etiam Metropolita ceterique Episcopi et synodales, ut supra tit. III. nr. 13.

11. Celebrans dat osculum pacis presbytero assistenti, qui illud defert Metropolitae, deinde Episcopis et canonicis; reliquis osculum defertur a diacono.

12. In fine missae benedictio non datur.

13. Post missam Metropolita et Episcopi cum celebrante pergunt ad

sacristiam, et pluvialibus ibi acceptis redeunt in chorum et occupant loca sua.

14. Tunc Metropolita coram altari inchoat antiphonam: Propitius esto peccatis nostris, Domine, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Psalmus: Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terrae.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem: * et non erat, qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo Domine irasceris in finem: * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt: * et in regna quae nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Iacob: * et locum eius desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiae tuae: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuva nos Deus salutaris noster; et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: * et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae, * confitebimur tibi in saeculum.

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri et Filio, — Sicut erat in principio, etc.

15. Psalmo incepto, omnes sedent, Episcopi cum mitris, ceteri capite cooperto.

16. Psalmo finito, Metropolita surgit et deposita mitra stans versus altare dicit tres orationes. (Vid. Pontif.)

17. Post haec Metropolita ascendit ad planum altaris et incenso imposito stat in medio altaris, dum evangelium per diaconum cantatur (vid. Pontif.).

18. Evangelio decantato Metropolita osculatur librum et incensatur.

19. Postea Archiepiscopus cum omnibus genuflexus incipit hymnum: Veni, Creator Spiritus ut supra tit. III. nr. 23. 24.

20. Finito hymno habetur concio latina per unum ex Patribus.

21. Post concionem promotor instat pro publicatione decretorum: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum post repetitam congregationum consultationem et Reverendissimorum Episcoporum maturam deliberationem, Deo adiuvante, iam id obtentum sit, ut plura decreta et statuta communi assensu Patrum potuerint definiri: ego N. N., huius concilii promotor, devotissime insto, ut Eminentia Vestra horum decretorum publicationem et promulgationem nunc in hoc concilio decernere et mandare velit. Metropolita respondet: Ita decernimus et mandamus.

22. Primus secretarius, acceptis ab Archiepiscopo decretis, ascendit ambonem, ex quo decreta clara voce praelegit. Post lectam mediam eorum partem secundus secretarius eum supplet atque praelegendo alteram partem absolvit. In fine subiungit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres, placentne haec omnia Vobis?

23. Alter secretarius cum notario adit singulos Patres, eorum consensum exquirens, quem acceptum Metropolitae refert. Archiepiscopus dicit: Decreta placuerunt omnibus Patribus; ideo agendae sunt Deo gratiae. Omnes respondent: Deo gratias!

24. Promotor instat pro indictione tertiae sessionis eodem modo, ut supra tit. III. nr. 41., et reliqua fiunt, ut ibidem ordinatum est.

25. Promotor instat pro actis huius sessionis conficiendis eodem modo, ut in fine primae sessionis, et omnia, ut tit. III. nr. 42.

26. Benedictio solemnis Archiepiscopi, ut tit. III. nr. 43.

27. Pulsantur organa et omnia fiunt, ut tit. III. nr. 44. indicatum est.

28. Eodem ordine, qui hic perscriptus est, sequentes quoque sessiones, si quae ante ultimam habendae sint, celebrantur.

VI.

Sessio solemnis ultima.

1. Omnia, ut ad sessionem primam supra tit. III. a nr. 1. usque ad nr. 16.

2. Post haec Archiepiscopus in pulvino ante faldistorium genuflexus incipit antiphonam: Exaudi nos Domine etc. Sequitur Psalmus: Salvum me fac Deus etc. Archiepiscopus dicit tres orationes. (Ex Pontif.).

3. Cantatur evangelium et omnia, ut supra tit. III. nr. 22.

4. Sequitur hymnus: Veni, Creator Spiritus, ut supra tit. III. nr. 23. et 24.

5. Hymno finito, promotor instat pro continuanda publicatione decretorum, si quae publicanda superfuerint, ut supra tit. V. nr. 21.

6. Primus secretarius accipit decreta et, alternando cum secundo secretario, ea ex ambone praelegit. In fine subiungit, ut tit. V. nr. 22.

7. Alter secretarius cum notario adit Patres ad exquirendum, num decreta ipsis placeant; reliqua ut tit. V. nr. 23.

8. Promotor instat pro delectu testium synodalium: Eminentissime

et Reverendissime in Christo Pater! Antiquus mos in conciliis provincialibus observatus exigit, ut duo saltem testes synodales pro qualibet dioecesi deligantur et nominentur. Quam ob rem ego N. N., huius concilii constitutus promotor, insto et devotissime oro, nt Eminentia Vestra decretum de eligendis et electis testibns synodalibus promulgandum decernere dignetur.

9. Archiepiscopus dicit: Ita decernimus et mandamus. Quo facto secretarius accipit decretum nominationis testium, qnod ex ambone promulgat.

10. Si qui ex testibus nominatis concilio intersunt, advocantur ad Archiepiscopum, coram qno iuramentum, se testis synodalis munns sincere expleturos esse, super evangelium praestant.

11. Promotor instat pro snbscriptione Concilii: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum post promulgationem decretorum, quae in hoc concilio, Deo adiuvante, condita sunt, quaeque omnibus Patribus placuerunt, adhuc illud snpersit, ut Patres, antequam discedant, concilium subscribant, ego N. N., huius concilii promotor, insto et exoro, ut Eminentia Vestra decretorum subscriptionem faciendam decernere dignetur.

12. Archiepiscopus dicit: Ita decernimus et mandamus. Quo facto secretarius accipit decretum de subscribendis decretis, quod ex ambone praelegit.

13. Tunc Patres secundum ordinem accedunt altare, in cuius mensa in cornu evangelii quatuor exemplaria omnium decretorum in unum collectorum posita sunt, quae a Patribus subscribuntur.

14. Promotor instat pro indictione proximi concilii provincialis: Eminentissime et Reverendissime Pater! In conciliis provincialibus usus viguit, ut in fine ultimae sessionis tempus concilii subsequentis proximi praefigeretur atque promulgaretur. Quare ego N. N., huius concilii promotor, insto et oro, ut Eminentia Vestra iuxta eundem usum tempus celebrandi concilii provincialis proximi iam nunc determinare et praefigere, ac decretum de futuri concilii termino promulgandum mandare velit.

15. Archiepiscopus respondet: Ita decernimus et mandamus; et secretarius accipit decretum de futuro concilio proximo, qnod ex ambone praelegit.

16. Promotor instat pro fine concilio imponendo: Quum ea omnia, quae Patribus in hoc concilio deliberare et statuere placuit, Deo auxiliante, feliciter peracta et ad finem deducta sint, et pastoralis cura Reverendissimos Episcopos, qui huic synodo intersunt, ad gregem ipsis creditum revocet: ego N. N., huius concilii promotor, insto et devotissime peto, ut Eminentia Vestra huic concilio finem imponere et decretum de concilio finiendo et finito promulgandum decernere dignetur.

17. Metropolita dicit: Ita decernimus et mandamus, si ita Reverendissimis Patribns placeat. Secretarius ascendit ambonem et dicit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres! Placetne Vobis ad Dei omnipotentis gloriam huic concilio finem iam fieri?

18. Secundus Secretarius ad Metropolitam et Patres pro exquirendo consensu accedit, quem acceptum Metropolitae refert, qui promulgat: Placuit omnibus Patribus; itaque decernimus huic synodo Nostrae provinciali finem fieri et iam factum esse.

19. Secretarius accipit decretum de concilio finiendo, quod ex ambone promulgat.

20. Promotor ad notarios pro actis totius concilii conficiendis, ut tit. III. nr. 42., et primus notarius respondet: Conficiam.

21. Metropolita alloquitur concilium.

22. Acclamationes fiunt ex ambone, vel ex presbyterio per unum ex Patribus vel Theologis. Patres stabunt cum mitra facie versa ad synodum.

23. Omnes Episcopi accedunt Metropolitam ad accipiendum osculum pacis, quod et inter se invicem distribuunt.

24. Metropolita intonat hymnum: Te Deum laudamus. Post hymnum oratio: Nulla est etc. (ut in Pontif.)

25. Metropolita impertit benedictionem solemnem cum indulgentia plenaria.

26. Diaconus canit: Recedamus in pace. Omnes respondent: In nomine Christi. Amen.

27. Pulsantur organa; et cetera omnia, ut supra tit. III. nr. 44.

Coloniae die 8. Aprilis 1860.

† **Ioannes Cardinalis de Geissel,**
Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita.

B. CATALOGUS SYNODALIUM.

a) Concilii Patres.

1) Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Ioannes sub titulo S. Laurentii in Viminali S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita;

2) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Guilelmus Arnoldi, Episcopus Trevirensis;

3) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Ioannes Georgius Müller, Episcopus Monasteriensis;

4) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Eduardus Iacobus Wedekin, Episcopus Hildesiensis, exemptus;

5) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Conradus Martin, Episcopus Paderbornensis;

6) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Paulus Melchers, Episcopus Osnabrugensis, exemptus;

7) Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Henricus Foerster, Princeps-Episcopus Wratislawiensis, Synodalis honorarius.

b) Episcopi auxiliares.

1) Reverendissimus Dominus Godehardus Braun, Episcopus Callinicensis, Suffraganeus Episcopi Trevirensis, decanus ecclesiae cathedralis;

2) Reverendissimus Dominus Ioannes Antonius Fridericus Baudri, Episcopus Arethusinus, Suffraganeus Archiepiscopi Coloniensis, decanus ecclesiae metropolitanae, Vicarius Eminentissimi Domini Cardinalis et Archiepiscopi in Spiritualibus generalis;

3) Reverendissimus Dominus Iosephus Freusberg, Episcopus Sidymensis, Suffraganeus Episcopi Paderbornensis, praepositus ecclesiae cathedralis;

4) Reverendissimus Dominus Ioannes Bossmann, Episcopus Diocleanus, Suffraganeus Episcopi Monasteriensis, canonicus capitularis ecclesiae cathedralis.

c) Canonici ecclesiae metropolitanae Coloniensis capitulares.

1) Plurimum Reverendus Dominus Petrus Nicolaus Schweitzer, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis senior;

2) Plurimum Reverendus Dominus Nicolaus München, ss. theologiae et utriusque iuris doctor, officialis Archiepiscopi, canonicus capitularis;

3) Plurimum Reverendus Dominus Ioannes Iacobus Broix, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis;

4) Plurimum Reverendus Dominus Godefriedus Strauss, poenitentiarius maior, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, canonicus capitularis;

5) Plurimum Reverendus Dominus Petrus Hyacinthus Trost, canonicus capitularis;

6) Plurimum Reverendns Dominus Ioannes Guilelmus Frenken, canonicus capitularis;

7) Plurimum Reverendus Dominus Franciscus Xaverius Dieringer, ss. theologiae doctor et in universitate Bonnensi professor, canonicus capitularis;

8) Plurimum Reverendus Dominus Franciscus Michael Vill, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis et ecclesiae metropolitanae parochus.

d) A singulis ceteris provinciae capitulis cathedralibus canonici delegati sunt procuratores:

α) A capitulo Trevirensi:

Plurimum Reverendus Dominus Franciscus Xaverius Boner, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis.

β) A Monasteriensi:

1) Plurimum Reverendus Dominus Felix Fridericus Menke, ecclesiae cathedralis praepositus;

2) Plurimum Reverendus Dominus Casparus Franciscus Krabbe, ss. theologiae doctor, ecclesiae cathedralis decanus.

γ) A Paderbornensi:

1) Plnrimum Reverendus Dominus Ioannes Peine, officialis Episcopi, canonicus capitularis;

2) Plurimum Reverendus Dominus Casparus Drobe, canonicus capitularis.

δ) Ab Osnabrngensi:

Plurimum Reverendns Dominus Ioannes Henricus Franksmann, canonicns capitularis.

e) Plurimum Reverendus Dominus Henricus Guilelmus Prisac, canonicus ecclesiae collegiatae Aquensis, a Plurimum Reverendo Domino Ioanne Nicolao Hermanno Iosepho Grosman, ss. theologiae doctore, eiusdem ecclesiae collegiatae Aquensis praeposito, deputatus.

f) A catholico-theologicis facultatibus universitatis et academiarum deputati sunt procuratores:

1) A facultate Bonnensi: Adm. Reverendus Dominus Henricus Iosephus Vogelsang, ss. theologiae doctor et professor;

2) A facultate Monasteriensi: Adm. Reverendus Dominus Adolphus Cappenberg, ss. theologiae doctor et professor;

3) A facnltate Paderbornensi: Adm. Reverendus Dominus Henricus Oswald, ss. theologiae doctor et professor.

g) Rectores seminariorum maiorum:

1) Plurimum Reverendus Dominus Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, rector seminarii archiepiscopalis maioris, Sanctitatis suae ab intimo cubiculo;

2) Plurimum Reverendus Dominus Matthias Eberhard, ss. theologiae doctor, ecclesiae cathedralis Trevirensis canonicus et seminarii episcopalis maioris rector;

3) Plurimum Reverendns Dominus Henricus Schulte, ss. theologiae doctor, ecclesiae cathedralis Paderbornensis canonicus et seminarii episcopalis maioris rector;

4) Plurimum Reverendus Dominus Ioannes Guilelmus Kres, ecclesiae cathedralis Monasteriensis canonicus et seminarii episcopolis maioris rector.

h) Superiores regularium provinciales:

1) Admodum Reverendus Pater Antonius Anderledy, superior provincialis societatis Iesu;

2) Admodum Reverendus Pater Dominicus Lenz, superior provincialis ordinis praedicatorum;

3) Admodum Reverendus Pater Ioannes Nepomucenus Ientsch, superior provincialis congregationis Sanctissimi Redemptoris;

4) Admodum Reverendus Pater Guilelmus Müngersdorf, superior provincialis congregationis S. Vincentii de missione;

5) Admodum Reverendus Pater Gregorius Ianknecht, superior provincialis ordinis S. Francisci strictioris observantiae;

6) Reverendus Pater Irenaeus Kofler O. S. F. Capucinorum, ab Admodum Reverendo Patre Mauro Zwick, superiore provinciali ordinis S. Francisci Capucinorum, deputatus.

7) Admodum Reverendus Pater Fidelis Dehm, superior provincialis ordinis fratrum minorum.

C. ACTA CONGREGATIONUM GENERALIUM ET SESSIONUM.

1) Congregatio generalis prima.

Actum Coloniae die 28. Aprilis 1860.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Anno a salutifera Domini Nostri Iesu Christi Nativitate millesimo octingentesimo sexagesimo, Pontificatus Sanctissimi Patris Nostri Pii Papae Noni anno decimo quarto, die Sabbathi, quae fuit vigesima octava Aprilis, habita est prima congregatio generalis in aula maiore palatii archiepiscopalis. Conclavis autem dispositio haec erat: In pariete septentrionali altare erectum fuerat cum imagine Crucifixi inter quatuor cereos accensos, ad cuius podium Eminentissimus Metropolita et Reverendissimi Episcopi sederent. In mensa, cui assiderent, posita erant imago Crucifixi, biblia sacra, corpus iuris canonici et decreta Concilii Tridentini; ex adverso sedis Eminentissimi Domini Metropolitae eminebat Crux archiepiscopalis. Ceteris synodalibus per gyrum sedes positae, praeterquam canonistis, theologis, secretariis et notariis, quibus mensae ac sedes in media aula appositae. Hora nona et dimidia matutina omnes synodales, saeculares quidem in vestitu chorali, regulares vero in habitu sui ordinis, in palatio archiepiscopali convenerunt, ut Eminentissimum Archiepiscopum et Reverendissimos Concilii Patres solemniter salutarent. Mox accesserunt rochetto et mozetta induti Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Ioannes sub titulo S. Laurentii in Viminali S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita; Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Guilelmus Arnoldi, Episcopus Trevirensis; Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Ioannes Georgius Müller, Episcopus Monasteriensis; Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Eduardus Iacobus Wedekin, Episcopus Hildesiensis,

exemptus; Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Conradus Martin, Episcopus Paderbornensis, atque Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Paulus Melchers, Episcopus Osnabrugensis, exemptus. Nomine ceterorum synodalium Reverendissimus Dominus Godehardus Braun, Episcopus Callinicensis et suffraganeus Episcopi Trevirensis, Episcopus auxiliaris antiquior, Eminentissimum Archiepiscopum atque Reverendissimos Concilii Patres allocutus est: perhonorificum cunctis nunc hic adstantibus fuisse, vocari ad concilium provinciale, omnes fidelium supplicationibus hucusque per totam provinciam Deo factis suas quoque preces instantius associasse, ut Deus omnipotens et misericors Spiritum suum Patribus large commodet, et nunc paucos panes et pisciculos se afferre, humilis consilii exigua dona. Ad quae Eminentissimus Archiepiscopus, synodales benigne resalutans, respondit. Tunc omnes sederunt.

Eminentissimus Metropolita primum quaestionem praeliminarem proposuit circa admissionem Illustrissimi et Reverendissimi Domini Henrici Foerster, Principis-Episcopi Vratislaviensis, exempti, qui litteris ad Metropolitam datis retulerat, se quidem vehementer desiderare concilio provinciali Coloniensi interesse atque in iis, quae ad concilium provinciale spectant, omnino se unire provinciae Coloniensi; sed quum graves rationes, singularem dioeceseos suae conditionem spectantes, quominus id faceret, impedirent, se postulare, ut tamquam hospes vel synodalis extraordinarius admitteretur. Exposuit porro Eminentissimus Praeses, tres in hoc negotio occurrere quaestiones, scilicet circa admissionem, circa iura tribuenda, circa locum assignandum, quas suam sententiam exponendo et exemplo concilii Rhemensis anni 1564., ubi similis quaestio de duobus Episcopis extraneis admittendis ventilata est, confirmando, Patribus proposuit decidendas. Prima quaestio fuit: Placetne Patribus, admittere Illustrissimum et Reverendissimum Principem-Episcopum Vratislaviensem? Altera: Placetne Eundem Reverendissimum Dominum ita admittere, ut possit assistere cunctis congregationibus et sessionibus atque deliberare de omnibus sententiamque suam aperire, sed sine voto decisivo? Tertia: Placetne Patribus, ut Eidem Illustrissimo Domino assignetur tamquam hospiti et synodali honorario locus primus post Archiepiscopum Praesidem? Reverendissimi Patres singuli ad singulas quaestiones interrogati, propositis annuendo responderunt: Placet. Edixit Eminentissimus Metropolita: Placuit omnibus Patribus, Illustrissimum et Reverendissimum Principem-Episcopum Vratislaviensem admittere tamquam hospitem et synodalem honorarium, ita ut possit assistere cunctis congregationibus et sessionibus, sed sine voto decisivo; Eidemque Reverendissimo Domino locus assignetur primus post Archiepiscopum Praesidem. Quibus ita pronuntiatis, commisit duobus canonicis primi ordinis capituli sui, Pl. R. D. Schweitzer et Pl. R. D. München, ut Illustrissimum et Reverendissimum Principem-Episcopum, in propinquo cubiculo decisionem Reverendissimorum Patrum exspectantem, introducerent. Intrans

ab Eminentissimo Praeside de decisione concilii certior factus et comiter salutatus gratias agit et locum a dextris Eminentissimi Archiepiscopi ipsi assignatum occupat.

Deinde Eminentissimus Metropolita Patres et synodales sequentibus fere verbis allocutus est: Inde a primis saeculis nascentis Ecclesiae Concilia habita fuisse quamplurima, nec provinciam Coloniensem, tot titulis splendentem, hoc decore caruisse; postea vero iniuria temporum et incuria hominum omissa concilia provincialia per tria saecula, omissas etiam a duobus saeculis synodos dioecesanas, quarum tamen ultima, ab Archiepiscopo Maximiliano Henrico anno 1660. celebrata, statutis sapientissimis saluberrimisque perenne monumentum utilitatis et sapientiae et hisce temporibus omni observatione dignum praebeat. Si vero tempora elapsa perpenderentur, incertum esse, utrum magis gaudendum sit, an dolendum, quod saeculo ultimo concilia provincialia non sint coacta, quum vix dubium sit, quin ea pro spiritu, quem punctationem Emsianam, quae dicitur, aeque ac Iosephinismum et Febronianismum prodidisse scimus, magis ad destruendam, quam ad aedificandam Ecclesiam contulissent. Nunc autem feliciora tempora denique advenisse; Episcopos Germaniae anno 1848. Herbipoli congregatos statuisse, synodos denuo esse celebrandas atque iuxta antiquam Ecclesiae normam incipiendum esse a conciliis provincialibus, quia omnis auctoritas totumque regimen, omne quoque veritatis et gratiae ministerium in Ecclesia non a membris ad caput, sed a capite in membra descendat. Coloniensis quoque provinciae Episcopos in id incubuisse ideoque iteratis vicibus in hac civitate convenisse, ut de iis, quae in concilio provinciali tractanda et statuenda forent, agerent. Omnibus rebus sufficienter praeparatis, nunc diem advenisse laetissimum, diu desideratum, quo concilium provinciale inchoari possit; ideo se summo gaudio omnes ex animo salutare eosque exorare, ut consilio, eruditione, experientia Patres iuvent in tanto negotio ad honorem Dei et Ecclesiae incrementum peragendo. Finem dicendi fecit Eminentissimus Archiepiscopus cunctos exhortando, ut secum datorem omnium bonorum implorent, et omnibus surgentibus, ad altare versus, orationem: Adsumus recitat. Finita oratione procuratores, ad Eminentissimum Metropolitam accedentes, procurationis documenta exhibuerunt. Accesserunt autem Pl. R. D. Franciscus Xaverius Boner, canonicus capitularis, procurator capituli Trevirensis; Pl. R. D. Felix Fredericus Menke, ecclesiae cathedralis Monasteriensis praepositus, et Pl. R. D. Casparus Franciscus Krabbe, eiusdem ecclesiae decanus, procuratores capituli Monasteriensis; Pl. R. D. Ioannes Peine et Pl. R. D. Casparus Drobe, canonici capitulares, procuratores capituli Paderbornensis; Pl. R. D. Henricus Guilelmus Prisac, canonicus ecclesiae collegiatae Aquisgranensis, procurator a Pl. R. D. Ioanne Nicolao Hermanno Iosepho Grosman, praeposito dictae ecclesiae, deputatus; Adm. R. D. Henricus Iosephus Vogelsang, ss. theologiae doctor et professor, procurator facultatis catholico-theologicae Bonnensis; Adm. R. D. Adolphus Cappen-

berg, ss. theologiae doctor et professor, procurator facultatis theologicae Monasteriensis; Adm. R. D. Henricus Oswald, ss. theologiae doctor et professor, procurator facultatis theologicae Paderbornensis; Rev. Pater Irenaeus Kofler, O. S. F. Capuc., procurator Adm. Rev. patris Mauri Zwick, provincialis superioris eiusdem ordinis.

Postea publicata sunt decreta, pridie in conventu Reverendissimorum Patrum particulari proposita et sancita; sunt autem sequentia:

Decretum de silentio servando et statutis restituendis.

»Nos Ioannes sub titulo S. Laurentii in Viminali S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, miseratione divina et S. Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Coloniensis, eiusdem S. Sedis Apostolicae Legatus natus, provinciae Coloniensis Metropolita etc.

Quamvis ad promovendum finem, quem concilium provinciale ex mente Ecclesiae in fide firmanda, corrigendis moribus christianis ac tollendis defectibus, Deo adiuvante, assequendum sibi proposuit, omnibus ad synodum convocatis, quae de diversis rebus deliberandis sentiant, in congregationibus libere aperire concessum sit: tamen perspicuum est, quam facile haud pauca incommoda et detrimenta exinde exorirentur, si quae in sinu concilii clausi tractata et peracta fuerint, cum aliis, qui synodo non intersunt, indiscrete et inconsiderate communicarentur. Quum enim fieri possit, ut tam in examinandis quaestionibus, quam in votis emittendis variae pro indole sententiae emergant, ac diversa diverse proferantur, quae si inter alios quum presbyteros, tum laicos extra gremium consultantium dispargerentur, non solum curiositatem inanem excitare, depravatas in ephemeridibus relationes provocare, sinistris interpretationibus ansam praebere, sed etiam inter synodales ipsos dissidia et cavillationes producere possent: procul dubio omnium interesse debet, ea omnia prorsus evitare, atque fraterna caritate et concordia in id eniti, ut quae in synodo peracta et prolata fuerint, inter synodales tantummodo innotescant, nec unquam inter alios divulgentur. Porro quum ad sublevandam examinationem et deliberationem accelerandam haud parum profuturum esse censuerimus, si de cunctis, quae in concilio tractanda sint, exemplar integrum omnibus synodalibus ad manum praesto foret: idcirco statuta omnia concilio proponenda typis exscribi curavimus, et eorum exemplar integrum cuilibet synodali tradendum esse decrevimus, ea tamen addita lege, ut ad praevenienda detrimenta et incommoda multimoda, quae facile exoritura essent, si statuta impressa cum aliis communicarentur vel etiam post concilium finitum retenta subtraherentur, quilibet synodalis ad restituendum exemplar ipsi traditum omnino obligetur. Quam ob rem perennem in synodis observatum usum sequentes, de consilio et assensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium nostrorum, praecipimus et declaramus, omnes ad concilium convocatos et admissos non solum ad secretum tam de rebus deliberatis

et votis editis, qnam de sententia peculiari, quam quis in congregationibus peculiaribus et generalibus enuntiaverit, aeque ac de ratione, qua illam explicaverit, absoluta sanctitate observandnm: sed etiam ad restituendum statutorum exemplar ipsis traditum gravissime et strictissime sub fide sacerdotali obligari. Dum autem obligationem hanc, qua omnes synodales obstringuntur, publicamus et fraterna caritate inculcamus, e potestate metropolitica simul subiungimus, quemcunque, qui secretum synodale violasse vel statuta subtraxisse compertus fuerit, ad iudicium iudicum synodalium vocandum ac pro demerito ex eorum consilio canonica censura esse castigandum.»

De ratione deliberandi.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Quum in instituendis conciliis provincialibus ea Ecclesiae praecipua mens sit et ratio, ut, quae ad fidem profitendam, ad sanam disciplinam sustinendam, ad excessus et abusus, si qui irrepserint, omnino tollendos atque ad unitatem et concordiam fovendam ex temporum et locorum conditione necessaria et opportuna visa fuerint, coniunctis viribus unanimiqne consilio deliberentur ac decernantur: cuncti ad hoc concilium convocati imprimis curae sibi habebunt, nt omni, qua pollent, scientia, eruditione et peritia aeque ac sincero animo apertaque voce Patribus in rebus deliberandis consilio assistant et in decretis condendis auxilientur. Quare declaramus, omnibus synodalibus secundum ordinem in qnaestionibus examinandis libertatem plenam sententiam suam aperiendi concessam esse; sed simul meminerint, ut qnaecunque ad dilucidandam examinationem et promovendam decretorum exarationem apta et opportuna compererint, praetermissis controversiis inanibus, ac devitatis falsis vanisque aut obstinatis disceptationibus, quae magis ad laedendam, quam ad nutriendam unitatem perducant, omni cum caritate sedate et modeste mitissima verborum prolatione edicere studeant (Trident. Sess. II.). Praeterea ad sustinendum in rebus deliberandis bonum ordinem statuimus et monemus, nt, quae quis vel emendando, vel addendo, aut restringendo proponenda esse censuerit, propositione articulata, cum rationibus illam fulcientibus succincto tenore latino sermone conscripta, congregationis Praesidi vel notario a secretis fungenti exhibeat. Insuper praevia deliberatione a Patribus decretum est, nt tam in congregationibus particularibus, quam generalibus omnia tractentur latino sermone.

Et omnes iuxta ordinem accesserunt Eminentissimum Archiepiscopum, fidem de silentio servando et statutis restituendis dantes his verbis: Promitto sub fide sacerdotali. Qno facto cuilibet exemplar statntorum, quae ad sublevandam et accelerandam deliberationem typis descripta fuerant,

simul cum ordine, qui in concilio celebrando servandus sit, a secretario Eminentissimi Archiepiscopi traditum est.

Exposuit dein Eminentissimus Praeses: Ordine d. d. 31. Maii 1859, a S. Sede Apostolica approbato, provisum quidem fuisse, ut quatuor efformandae fuissent congregationes particulares secundum numerum Episcoporum provinciae Coloniensis; sed, quum postea Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi Hildesiensis et Osnabrugensis hoc provinciale Concilium, cui assisterent, sibi elegerint, atque ita numerus Patrum feliciter auctus sit, se nunc proponere, ut non quatuor, sed sex congregationes particulares constituantur. Propositioni omnes Reverendissimi Patres adhaeserunt, et iubente Eminentissimo Metropolita publicatur, sub quo Episcopo praeside unaquaeque congregatio negotia sua tractatura sit, qui consultores unicuique adscripti et quae capita deliberanda commissa sint.

Congregatio particularis prima.

Praeses: Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Ioannes sub titulo S. Laurentii in Viminali S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita.

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Henricus Foerster, Synodalis honorarius.

Praesidis vices gerens: Reverendissimus Dominus Ioannes Antonius Fridericus Baudri, Episcopus Arethusinus, Suffraganeus Archiepiscopi Coloniensis auxiliaris, decanus ecclesiae metropolitanae, eiusdem Eminentissimi Domini Cardinalis et Archiepiscopi Vicarius in Spiritualibus generalis.

Consultores: 1. Pl. R. D. Petrus Nicolaus Schweitzer, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis Coloniensis senior.

2. Pl. R. D. Nicolaus München, ss. theologiae et utriusque iuris doctor, officialis Archiepiscopi, canonicus capitularis.

3. Pl. R. D. Felix Fridericus Menke, ecclesiae cathedralis Monasteriensis praepositus.

4. Pl. R. D. Mathias Eberhard, ss. theologiae doctor, ecclesiae cathedralis Trevirensis canonicus et seminarii episcopalis maioris rector.

5. Adm. R. D. Adolphus Cappenberg, ss. theologiae doctor et professor, a facultate Monasteriensi deputatus procurator.

6. Adm. R. P. Gregorius Janknecht, superior provincialis ordinis S. Francisci strictioris observantiae.

7. R. P. Guilelmus Wilmers, S. I.

Haec congregatio tractabit ex parte I. caput 1. usque ad caput 8. inclusive, et ex parte II. caput 1. usque ad caput 7. inclusive.

Congregatio particularis secunda.

Praeses: Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Guilelmus Arnoldi, Episcopus Trevirensis.

Praesidis vices gerens: Reverendissimus Dominus Godehardus Braun, Episcopus Callinicensis, Suffraganeus Episcopi Trevirensis auxiliaris, decanus ecclesiae cathedralis.

Consultores: 1. Pl. R. D. Casparus Franciscus Krabbe, ss. theologiae doctor, ecclesiae cathedralis Monasteriensis decanus.

2. Pl. R. D. Ioannes Iacobus Broix, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis Coloniensis.

3. Pl. R. D. Henricus Schulte, ss. theologiae doctor, ecclesiae Paderbornensis canonicus et seminarii episcopalis maioris rector.

4. Adm. R. P. Antonius Anderledy, superior provincialis societatis Iesu.

5. Adm. R. D. Iacobus Kraft, ss. theologiae doctor et in seminario maiori Trevirensi professor.

6. Adm. R. D. Iacobus Marx, in seminario maiori Trevirensi professor.

Haec congregatio tractabit ex parte I. caput 9. usque ad caput 13. inclusive, et ex parte II. caput 8. usque ad caput 13. inclusive.

Congregatio particularis tertia.

Praeses: Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Ioannes Georgius Müller, Episcopus Monasteriensis.

Praesidis vices gerens: Reverendissimus Dominus Ioannes Bossmann, Episcopus Diocleanus, Suffraganeus Episcopi Monasteriensis auxiliaris, canonicus capitularis ecclesiae cathedralis.

Consultores: 1. Pl. R. D. Godefridus Strauss, poenitentiarius maior, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, canonicus capitularis Coloniensis.

2. Pl. R. D. Franciscus Xaverius Dieringer, ss. theologiae doctor et in universitate Bonnensi professor, canonicus capitularis Coloniensis.

3. Pl. R. D. Ioannes Peine, officialis Episcopi, canonicus capitularis Paderbornensis.

4. Pl. R. D. Engelbertus Reismann, officialis Episcopi Monasteriensis pro districtu Oldenburgensi, canonicus honorarius, ab Episcopo suo adscitus.

5. Adm. R. D. Antonius Berlage, ss. theologiae doctor et in academia Monasteriensi professor.

6. Adm. R. D. Ioannes Henricus Bangen, ss. theologiae et iuris utriusque doctor, convictorii episcopalis Monasteriensis rector.

Haec congregatio tractabit ex parte I. caput 21. usque ad caput 26. inclusive, et ex parte II. caput 14. usque ad caput 21. inclusive.

Congregatio particularis quarta.

Praeses: Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Eduardus Iacobus Wedekin, Episcopus Hildesiensis, exemptus.

Consultores: 1. Pl. R. D. Petrus Hyacinthus Trost, canonicus capitularis Coloniensis.

2. Pl. R. D. Casparus Drobe, canonicus capitularis Paderbornensis.

3. Pl. R. D. Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo et rector seminarii archiepiscopalis maioris.

4. Pl. R. D. Ioannes Guilelmus Kres, ecclesiae cathedralis Monasteriensis canonicus et seminarii episcopalis maioris rector.

5. Adm. R. D. Iosephus Koch, ss. theologiae doctor et in seminario Hildesiensi professor.

6. Adm. R. P. Ioannes Nepomucenus Jentsch, superior provincialis congregationis sanctissimi Redemptoris.

7. Adm. R. P. Guilelmus Müngersdorf, superior provincialis congregationis S. Vincentii de Missione.

Haec congregatio tractabit ex parte I. caput 27. usque ad caput 32. inclusive, et ex parte II. caput 27. usque ad caput 31. inclusive.

Congregatio particularis quinta.

Praeses: Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Conradus Martin, Episcopus Paderbornensis.

Praesidis vices gerens: Reverendissimus Dominus Iosephus Freusberg, Episcopus Sidymensis, Suffraganeus Episcopi Paderbornensis auxiliaris, praepositus ecclesiae cathedralis.

Consultores: 1. Pl. R. D. Ioannes Guilelmus Frenken, canonicus capitularis Coloniensis.

2. Pl. R. D. Henricus Guilelmus Prisac, canonicus ecclesiae collegiatae Aquensis, ab eiusdem ecclesiae praeposito deputatus.

3. Adm. R. D. Ioannes Georgius Rodehuth, ss. theologiae doctor et in academia Paderbornensi professor.

4. Adm. R. P. Dominicus Lenz, superior provincialis ordinis Praedicatorum.

5. Adm. R. P. Fidelis Dehm, superior provincialis ordinis Fratrum minorum.

6. R. P. Petrus Roh, S. I.

Haec congregatio tractabit ex parte I. caput 14. usque ad caput 20. inclusive, et ex parte II. caput 22. usque ad caput 26. inclusive.

Congregatio particularis sexta.

Praeses: Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Paulus Melchers, Episcopus Osnabrugensis, exemptus.

Consultores: 1. Pl. R. D. Franciscus Xaverius Boner, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis Trevirensis.

2. Pl. R. D. Franciscus Michael Vill, ss. theologiae doctor, canonicus capitularis et ecclesiae metropolitanae parochus.

3. Pl. R. D. Ioannes Henricus Franksmann, canonicus capitularis Osnabrugensis.

4. Adm. R. D. Henricus Iosephus Vogelsang, ss. theologiae doctor et professor, a facultate Bonnensi deputatus procurator.

5. Adm. R. D. Henricus Oswald, ss. theologiae doctor et professor, a facultate Paderbornensi deputatus procurator.

6. R. P. Irenaeus Kofler, a superiore provinciali ordinis S. Francisci Capucinorum deputatus.

Haec congregatio tractabit ex parte I. caput 33. usque ad caput ultimum inclusive, ex parte II. caput 37. usque ad caput ultimum inclusive.

Promulgantur pari modo nomina officialium a concilio adhibendorum, quos Eminentissimus Praeses cum Reverendissimis Patribus iuxta Ordinem d. d. 31. Maii 1859 designaverat, nomina quoque theologorum et canonistarum, quos Eminentissimus Metropolita, nec non quos Patres Reverendissimi sibi assistentes assumpserant.

Decretum de concilii officialibus.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Quoniam in hoc concilio provinciali, quum ad actiones conciliares promovendas et rite dirigendas, tum ad decreta praelegenda et ad acta legitime conficienda aliaque, quae ad concilii ordinem spectant, procuranda nonnullis ministris adiuvantibus opus est, propterea quosdam officiales deligere et nominare decrevimus. Nominamus igitur et deputamus:

1) in hospitiorum praefectos iam pridem cum capitulo metropolitano Nostro designatos: *a.* Reverendissimum Episcopum auxiliarem et Vicarium Nostrum generalem atque ecclesiae metropolitanae decanum Ioannem Antonium Fridericum Baudri, Sanctitatis suae Praelatum domesticum et Pontificio Solio Assistentem; necnon ecclesiae Nostrae metropolitanae canonicos *b.* Pl. R. D. Petrum Nicolaum Schweitzer, ss. theologiae doctorem, capituli seniorem, et *c.* Pl. R. D. Nicolaum München, ss. theologiae et iuris utriusque doctorem, officialem Nostrum et ordinariatus Nostri a consiliis. Porro cum consensu Reverendissimorum Patrum deputamus:

2) in concilii promotores:

a. Pl. R. D. Petrum Nicolaum Schweitzer, ss. theologiae doctorem, ecclesiae metropolitanae Nostrae canonicum seniorem, et

b. Pl. R. D. Ioannem Iacobum Broix, ss. theologiae doctorem, ecclesiae metropolitanae canonicum;

3) in secretarios et lectores:

a. Pl. R. D. Elbertum Guilelmum Westhoff, ss. theologiae doctorem, Sanctitatis Suae Pii IX. ab intimo cubiculo, ordinariatus Nostri a consiliis et seminarii maioris Nostri praesidem, — in protosecretarium;

b. Adm. R. D. Casparum Antonium Heuser, iuris canonici doctorem et seminarii maioris Nostri professorem;

c. Adm. R. D. Ioannem Henricum Bangen, ss. theologiae et iuris utriusque doctorem, convictorii episcopalis Monasteriensis rectorem;

4) in concilii notarios:

a. R. D. Mathiam Henricum Kirch, ss. theologiae doctorem, parochum ad S. Andream, ordinariatus Nostri assessorem et notarium Apostolicum;

b. R. D. Carolum Theodorum Dumont, ecclesiae metropolitanae vicarium, Nobis a secretis et notarium Apostolicum;

c. R. D. Adolphum Kolping, ecclesiae metropolitanae vicarium, officialatus Nostri a secretis et notarium Apostolicum;

d. Franciscum Henricum Ruland, Reverendissimi Episcopi Paderbornensis a secretis et notarium Apostolicum;

5) in concilii caeremoniarios:

a. R. D. Antonium Vonderbank, ecclesiae metropolitanae protovicarium, vicariatus Nostri generalis a secretis;

b. R. D. Guilelmum Küppers, ecclesiae metropolitanae vicarium.

Qui omnes secundum ordinationem peculiarem ipsis a Nobis significandam munere suo fungentur.

6) Theologi et canonistae ad concilium advocati sunt:

Ab Eminentissimo Metropolita:

1. Nicolaus München, ss. theologiae et iuris utriusque doctor, canonicus capitularis et officialis archiepiscopi;
2. Franciscus Xaverius Dieringer, ss. theologiae doctor, in universitate Bonnensi professor et canonicus capitularis;
3. Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo et rector seminarii maioris archiepiscopalis.
4. Guilelmus Wilmers, S. I.

Ab Illustrissimo Episcopo Trevirensi:

5. Iacobus Kraft, ss. theologiae doctor et in seminario maiori Trevirensi professor;
6. Iacobus Marx, in seminario maiori Trevirensi professor.

Ab Illustrissimo Episcopo Monasteriensi:

7. Engelbertus Reismann, officialis Episcopi Monasteriensis pro districtu Oldenburgensi, nec non canonicus honorarius ecclesiae cathedralis Monasteriensis;
8. Antonius Berlage, ss. theologiae doctor et in academia Monasteriensi professor;
9. Ioannes Henricus Bangen, ss. theologiae et iuris utriusque doctor, convictorii episcopalis Monasteriensis rector.

Ab Illustrissimo Episcopo Paderbornensi:

10. Ioannes Georgius Rodehuth, ss. theologiae doctor et in academia Paderbornensi professor;
11. Petrus Roh, S. I.

Ab Illustrissimo Episcopo Hildesiensi:

12. Iosephus Koch, ss. theologiae doctor et in seminario Hildesiensi professor.

Postea Eminentissimus Archiepiscopus mandavit, ut nomina Reverendissimorum Patrum et ceterorum synodalium praelegerentur; nominatim vocati, singuli responderunt: *Adsum.* Omnes aderant praeter Pl. R. D. canonicum capitularem Ioannem Henricum Franksmann, procuratorem capituli Osnabrugensis, qui propediem adventurus hodiernam absentiam rite excusaverat. Eminentissimo Praeside Reverendissimos Patres interrogante, num scirent aliquem abesse, qui concilio interesse deberet, praesertim ex iis, qui voto polleant decisivo, singuli Reverendissimi Patres responderunt: Neminem scio abesse.

Publicatur deinde sequens decretum de iudicibus querelarum et excusationum, ab Eminentissimo Metropolita cum consilio et assensu Reverendissimorum Patrum nominatis.

Decretum de iudicibus querelarum et excusationum.

Ioannes S. E. R. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, etc.

Ut in concilio Nostro provinciali omnia arceantur, quae unitatem et concordiam turbare aut deliberationis felicem progressum impedire aut quodammodo implicare possent, antiquum conciliorum usum sequentes aliquos querelarum et excusationum iudices constituere decrevimus, quibus procuratorum documenta examinare, ac querelas et excusationes, quae forte proferendae sint, diligenter audire exactiusque exquirere, atque pacifice componere; aut demum de omnibus una cum iudicio suo praevio ad Nos referre incumbit, ut de iis cum Patribus iuxta §. IX. Ordinis d. d. 31. Maii 1859 iudicemus et definiamus. Quam ob rem cum assensu Reverendissimorum Coepiscoporum Nostrorum nominamus et deputamus iudices synodales:

1) Protoiudicem Nicolaum München, ss. theologiae et iuris utriusque doctorem, ecclesiae metropolitanae canonicum, officialem Nostrum, ordinariatus Nostri a consiliis;

2) Iudices:

a. Iacobum Marx, in seminario maiori Trevirensi professorem;

b. Antonium Berlage, ss. theologiae doctorem et in academia Monasteriensi professorem;

c. Ioannem Peine, officialem Episcopi Paderbornensis, canonicum capitularem;

d. Iosephum Koch, ss. theologiae doctorem et in seminario Hildesiensi professorem;

e. Ioannem Henricum Franksmann, canonicum capitularem ecclesiae cathedralis Osnabrugensis.

Eminentissimus Praeses documenta procurationis examinanda et recognoscenda iisdem tradidit.

Circa decretum de testibus synodalibus Eminentissimus Metropolita haec exposuit: Se quidem duos parochos Colonienses Adm. R. D. Petrum Christianum Scbnepper et Adm. R. D. Henricum Broix quasi testes synodales constituisse, sed testes synodales proprie dictos, qui munere suo usque ad futurum concilium provinciale fungantur, in ultima huius concilii sessione tam pro archidioecesi, quam pro singulis dioecesibus nominandos esse, qui, si huic concilio adfuerint, mox iuramentum praestare, absentes vero in manus proprii Episcopi iurare tenerentur.

Quibus ita finitis, Eminentissimo Praeside iubente, lecta sunt, quae sequuntur, decreta in prima sessione solemni publicanda, de aperiendo concilio, do professione fidei emittenda, de praeiudicio non afferendo, de modo vivendi in concilio, et de non discedendo, quae omnia placuerunt Patribus de more interrogatis.

Decretum de aperiendo concilio.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Invocato Spiritus sancti divino auxilio, ac implorata Dei genitricis potentissima intercessione, ad omnipotentis Dei maiorem gloriam et in beatissimae Mariae Virginis sine labe originali conceptae, archidioeceseos Nostrae Coloniensis Patronae primariae, honorem, nec non ad laudem sancti Petri Apostoli ac sanctorum Mathiae, Ludgeri, Liborii, Bernwardi et Wihonis, dioecesium provinciae nostrae Patronorum, quorum suffragia ferventissime exoramus, de consilio et assensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium Nostrorum, Guilelmi, Episcopi Trevirensis, Ioannis Georgii, Episcopi Monasteriensis, et Conradi, Episcopi Paderbornensis, aeque ac Reverendissimorum Episcoporum exemtorum, Eduardi Iacobi, Episcopi Hildesiensis, et Pauli, Episcopi Osnabrugensis, qui Nos tamquam Archiepiscopum vicinum, ut synodo Nostrae interessent, elegerunt: hoc concilium provinciale Coloniense, quod auctoritate Nostra metropolitica edicto de die 25. Februarii huius anni indiximus et promulgavimus, ut legitime convocatum et congregatum hac ipsa die Dominica tertia post Pascha, quae est 29. mensis Aprilis, aperiendum esse decernimus, atqne nunc iam apertum esse declaramus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Decretum de professione fidei emittenda.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Quum inter omnes pastoralis officii Nostri sollicitudines illa potissimum primum locum occupare debeat, ut fides catholica, quam sancta Romana Ecclesia docet ac profitetur quamque et haec provincia Coloniensis, ut eiusdem Matris Romanae semper fidelis filia, omnibus retro saeculis firmiter se tenere gloriata est, etiamnum incorrupta et integra in hac provincia permaneat, et omnes illam puram incontaminatamque custodiant: Nos synodi huius provincialis initium ab unanimi fidei, quam corde credimus, publica professione ducendum censemus. Quocirca sacrosancti Concilii Tridentini decretis inhaerentes, professionem fidei a Pio IV., Pontifice Maximo, praescriptam a Nobis et Reverendissimis Coepiscopis ceterisque in hoc concilio congregatis palam nunc emittendam esse decernimus.

Decretum de praeiudicio non afferendo.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Decernimus, si cui contigerit, in hanc synodum non iure admissum esse, vel suo loco non sedere sententiamve dicere aut quidpiam agere, nemini propterea illo facto ius acquiri aut acquisitum esse, nec etiam de cuiuspiam iure vel possessione quidquam detrahi: sed omnia in eodem statu rata ac firma manere, in quo antea erant, quam hoc provinciale concilium haberetur.

De modo vivendi in concilio.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Quum in memoriam Nobis revocamus illud Spiritus sancti effatum, in aedificanda domo, nisi Dominus aedificaverit, in vanum nos laborare, ac frustra nos vigilare, nisi Dominus custodierit civitatem: merito in aggrediendo opere gravissimo, quod intendimus, ad illum Nobis confugiendum est, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit, ad Patrem luminum, qui postulantibus sapientiam largitur affluenter et qui dat velle et perficere pro bona voluntate. Quare in hoc concilio Nostro celebrando non viribus Nostris exiguis confisi, sed Dei unius, cuius ministri sumus, ope atque auxilio freti, supplices ab eo deprecamur, ut mentem Nostram atque animum ad ea dirigat, quae ad promovendam provinciae Nostrae prosperitatem salutaria dignoscantur.

Obsecramus igitur Reverendissimos Episcopos, Fratres Nostros, qui huic concilio intersunt, atque in Domino exhortamur, ut omnes, quibus Deus eos donaverit, facultates omnesque pietatis opes communi auxilio ad hoc concilium promovendum perpetuo conferant, atque praecipue salu-

taribus consiliis sanctisque precibus conciliarem actionem, quam Spiritu sancto auctore bodie aggressi sumus, adiuvare et sublevare studeant. Nec minus venerabiles quoque dignitates et canonicos ceterosque sacerdotes, quos Nobiscum hic congregavimus, paterno amore monemus et per viscera misericordiae Dei obtestamur, ut indefesso labore ac sincero studio omnes in unum cooperantes ea omnia praestare satagant, quae ad concilii buius scopum salutiferum apta et condigna videbuntur. Praeterea cunctos, qui adsunt, synodales ex animo exbortamur et obsecramus, ut, quum omni quidem tempore populo christiano virtutum exemplo praelucere eos oporteat, tum vero maxime dum boc concilium celebratur, officii sui memores, prout decet eos, qui in sortem Domini vocati sunt, purissimam vitam agant, singulis diebus, in quantum fieri poterit, sanctissimum missae sacrificium Deo offerant aut saltem sacrorum mysteriorum celebrationi devote intersint, atque instantissimis precibus omnium rerum largitori fusis orent pro sanctae Ecclesiae nostrae unitate et libertate, pro beatissimo Patre nostro Pio IX. dilectissimo, pro omnibus Episcopis et sacerdotibus cunctisque fidelibus christianis, atque pro buius concilii felici progressu, ut omnipotens Deus, in cuius lumine lumen videmus, mentes Nostras quum ad consilia optima capienda, tum ad sancienda salutaria decreta illuminare dignetur.

Demum singulos quoque urbis Coloniensis incolas, Nobis in Christo carissimos, invitamus et bortamur in Domino, ut quum perpetuo, tum imprimis buius concilii tempore vitia declinent, a malo abstineant, desideriis carnis non indulgeant, in timore Domini ambulent, pauperes sublevent, peccata confiteantur, coelesti pane se reficiant, ecclesias frequentent atque quotidie Deum misericordiarum piis precibus exorent, ut Nos eorum suffragiis adiuti in boc concilio celebrando atque in omni opere pastorali gloriae Dei et animarum saluti religiosa sollicitudine perpetuo serviamus.

Decretum de non discedendo.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

Reverendissimos Episcopos, qui provinciali buic concilio intersunt, obsecramus et monemus, ut antequam illud absolutum sit et ex more dimissum, ex urbe Coloniensi non discedant, nisi iustam causam babeant, quam a iudicibus excusationum diligenter examinari et a Nobis comprobari volumus. Quod si quis Episcopus causa cognita et a Nobis comprobata abeundi facultatem a Nobis impetraverit, procuratorem idoneum relinquere teneatur, qui concilii decreta et constitutiones suo et ecclesiae suae nomine suscipiat et eisdem, ut moris est, subscribat. Praeterea et ceteros omnes Nobiscum in concilio considentes hortamur et iubemus, ut, antequam concilio finis impositus sit, sine causa a iudicibus excusationum cognita et a Nobis comprobata non discedant.

Statuerunt demum Patres, primam sessionem solemnem habendam esse crastina die, quae est Dominica tertia post Pascha et dies 29. Aprilis, hora octava matutina in ecclesia metropolitana.

Absoluta denique est haec prima congregatio generalis hora undecima et dimidia ante meridiem, oratione: Deus cuius misericordiae, et suffragio: Sub tuum praesidium, et omnes recesserunt in pace.

Actum ut supra.

Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, praeses seminarii archiepiscopalis, protosecretarius.

Casparus Antonius Heuser, iuris canonici doctor et professor seminarii archiepiscopalis, secretarius.

2) Sessio solemnis prima.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen.

Anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo die vigesima nona mensis Aprilis, quae fuit hoc anno Dominica tertia post Pascha, sub Pontificatu Sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papae noni celebrata est in ecclesia metropolitana Coloniensi concilii provincialis ab Eminentissimo et Reverendissimo Ioanne Cardinali de Geissel, Archiepiscopo Coloniensi, convocati sessio solemnis prima. Pridie hora quinta vespertina in ecclesia metropolitana sermonem habuit de hac re ad populum R. P. Petrus Roh, S. I., quem subsecutae sunt publicae preces coram exposito sanctissimo sacramento. Ab hora septima usque ad octavam ritu festivo pulsatae sunt totius civitatis campanae, quod similiter factum est hora matutina septima usque ad octavam ipsa die dominica. Hac igitur die hora octava omnes synodales in ecclesia parochiali S. Andreae ad processionem inde ad summam aedem instituendam convenerunt, quibus iuncti sunt totius civitatis regulares omnes, alumni seminarii archiepiscopalis parochique Colonienses. Quibus omnibus congregatis Eminentissimus Archiepiscopus imposito thure dixit antiphonam: Veni sancte Spiritus, cum versiculo et oratione, qua finita instituta est processio hoc ordine:

a) Regulares omnes civitatis sub cruce, quam capellanus detulit.

b) Crux capituli metropolitani, delata per subdiaconum inter duos ceroferarios.

c) Alumni seminarii archiepiscopalis.

d) Parochi Colonienses cum stola rubra.

e) Thuriferarii.

f) Crux archiepiscopalis, delata per subdiaconum inter duos ceroferarios.

g) Magistri caeremoniarum.

h) Notarii et secretarii concilii, qui alio ex titulo superiorem locum non occupaverant.

i) Theologi et canonistae eadem ratione.

k) Testes synodales eodem modo.

l) Iudices synodales eadem conditione.

m) Promotores synodales eadem conditione.

n) Provinciales regularium.

o) Praesides seminariorum, qui alium locum non tenebant.

p) Procuratores academiarum.

q) Procurator praepositi ecclesiae collegiatae Aquensis.

r) Procuratores capitulorum cathedralium secundnm ordinem promotionis Episcoporum suorum.

s) Capitulum metropolitanum capitulariter.

t) Reverendissimi Episcopi auxiliares, mitra et pluviali induti, cum nno capellano, secundum ordinem promotionis suae.

u) Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi comprovinciales una cum exemptis, scilicet Reverendissimo Episcopo Osnabrugensi, Reverendissimo Episcopo Hildesiensi et Reverendissimo Principe-Episcopo Vratislaviensi, procedentes omnes mitra, baculo et pluviali insigniti cum duobns capellanis.

v) Presbyter Eminentissimo Archiepiscopo assistens cum ministris vicariis.

w) Eminentissimus Archiepiscopus cum duobus ministris canonicis.

x) Capellani Eminentissimi Archiepiscopi.

Processio sic ordinata inter immensam multitudinem plebis undique per plateas diffusae ad summam aedem contendit, cantantibns interim seminarii alumnis litaniam beatae Mariae Virginis lauretanam. Ingressi in chorum singuli locum a caeremonariis ipsis assignatum occuparunt, Episcopi sedilia semicirculo ante altare posita, ceteri synodales sive stalla capituli sive scamna in medio chori ante cancellos collocata, parochis, regularibus alumnisque seminarii post cancellos remanentibus.

Dum Eminentissimus Archiepiscopns se parabat ad celebrandam missam solemnem de Spiritu sancto, Episcopi cum mitris sedebant, ceteris stantibus. Ante missae introitum Eminentissimus Archiepiscopus pallio indutus ac mitra sibi imposita salutavit Episcopos, qui, postquam Eminentiam resalutaverunt, mitras deposuere. Archiepiscopo dein Confiteor orante, Episcopi pariter inter se bini et bini confessionem de more recitarunt. Dum decantatum est evangelium, Episcopi comprovinciales baculum tenebant, quo finito Archiepiscopus et post eum omnes Episcopi evangeliorum librum deosculati sunt, incensato solo Archiepiscopo. Ad versicnlum: Et incarnatus est, Archiepiscopus et Episcopi cum mitris, canonici vero detecto capite sedentes, profunde se inclinarunt, ceteris omnibus utroque genu procumbentibus. Offertorio peracto incensati sunt Episcopi per diaconum tribus ductibus, canonici metropolitani et capitulorum cathedralium procuratores duplici ductu, ceteri synodales per subdiaconum unico

dnctu, et postremo collegium parochorum universim triplici dnctu. Ad Agnus Dei osculum pacis delatum est a presbytero assistente Episcopis, canonicis metropolitanis ac capitulorum procuratoribus, ceteris synodalibus per diaconum.

Finita missa Eminentissimus Archipraesul omissa solemni benedictione pallium et paramenta in throno deposuit et plnviale accepit. Presbyter assistens et ministri canonici, paramentis depositis, locum suum in stallis chori occuparunt, exceptis iis, quibus alius ex alio titulo synodali assignatus erat locus, ministris vicariis prope Archiepiscopum remanentibus. Dein Eminentissimus Archiepiscopus cum baculo ad altare accessit, ubi ante infimum gradum paratum erat faldistorinm cum pulvino, super qnem, deposita mitra, genuflectens, ceteris omnibus pariter genuflectentibus, incepit antiphonam: Exaudi nos Domine, choro proseqnente cum psalmo: Salvum me fac. Quo quidem psalmo inchoato, Metropolita et Episcopi cum mitris et reliqui pariter tecto capite sedebant. Finito psalmo, omnes surrexerunt, et Archipraesul deposita mitra dixit orationem: Adsumus Domine, ut in Pontificali. Tunc Archiepiscopus et Episcopi assumpserunt mitras, et omnibus procumbentibus recitatae sunt litaniae omnium Sanctorum. Post versiculum: Ut omnibus fidelibus defunctis, Metropolita surgens acceptoque baculo super synodum benedixit dicens: Ut hanc praesentem synodum visitare, disponere et benedicere digneris; quo facto litaniae ad finem sunt perductae. Omnibus deinde surgentibus Metropolita deposita mitra prosecutus est: Oremus (ministri vero non responderunt: Flectamus genua, quia erat tempus paschale) ac recitavit orationem: Da quaesumus. Postea Eminentissimus Archipraesul ascendit altare, ubi in gradu superiori interca positum erat faldistorium, in quo deposita mitra dorsum versus altare sedens, incensum imposuit. Diaconus more solito cantavit evangelium, quo finito evangeliorum librum deosculatus Archiepiscopus incensatus est. Metropolita deinde, deposita mitra cum omnibus genuflectens, incepit et chorus prosecutus est hymnum: Veni Creator Spiritus, cuius primo versn recitato omnes surrexerunt et usque ad finem hymni steterunt. Hymno finito, Eminentissimus Archiepiscopus accepta mitra sedens in faldistorio, concilium allocutus est hac oratione:

Illustrissimi et Reverendissimi Domini,
Dilectissimi Fratres!

Quam decora, quam splendida, pulchritudine et maiestate quam exornata est Ecclesia catholica! Quocunque oculos intendimus, ipsa nobis offert opus Dei gloriosum, origine, operatione et perpetuitate mirificum. Deus est, qui eam condidit, qui doctrinam coelestem salutariaque remedia, sacramenta ei commisit, ut duplice redemptionis fonte omnes omnium saeculorum mortales reficeret refectosque sibi adduceret ad vitam aeternam. Deus est, qui supra petram Ecclesiam suam ita aedificavit, ut procellae

omnes ipsaeque inferorum portae adversus eam non praevaleant. Deus denique est, qui Ecclesiae suae unitatis signaculum et notam impressit, quique sic constitutae et firmatae promisit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.

Ecclesia vero, divinae suae missionis nunquam immemor et probe sibi conscia, se, sub uno capite constitutam, unum quoque corpus efficere in uno spiritu, seque profiteri unam fidem unumque baptisma in una vocationis spe et sub uno Patre omnium: unitatem imprimis ut pretiosissimum vitae et actionis pignus summo studio servare sollicita semper fuit. Quod ut obtineret, gloriosum Apostolorum exemplum secuta est, qui, quum controversia exorta fuisset, Hierosolymis ad deliberandum congregati placitum suum ediderunt celeberrima illa voce: Visum est Spiritui sancto et nobis. Eodem autem Spiritu sancto et subsequentibus post Apostolos saeculis Ecclesia ducta est. Quotiescunque enim de re gravi, de fide, de moribus, de sacramentis, de iurisdictione aliisque rebus ageretur, Episcopi vel totius Ecclesiae vel unius provinciae convenerunt, ut in Conciliis sive oecumenicis sive provincialibus, quid providendum esset, communi studio et uno animo statuerent. Et in illis Conciliis mirifice se comprobavit perfectissima Ecclesiae unitas, spectatissima divinitus hausta sapientia summaque auctoritas. In Conciliis enim Ecclesia fidem professa est eamque firmavit, orthodoxam doctrinam definivit, errores reiecit, haereses proscripsit, disciplinam stabilivit, abusus repressit puramque vitam christianam ordinavit et promovit. Et mirum est, quanta sollicitudine, quo fervore, qua sapientia Ecclesia, Apostolorum vestigiis inhaerens, id sibi cordi habuerit. Quis enim negaverit, eiusdem Spiritus sancti afflatu factum esse, ut longo saeculorum lapsu viginti prope Concilia generalia, provincialia autem ad tria fere millia celebrarentur, quae, quotquot sunt, tot quoque gloriosa testimonia de unitatis et fidei incontaminate servandae studio praebuerunt.

Profecto, Christum Dominum secundum sua promissa cum Ecclesia semper fuisse, octodecim saecula clara voce loquuntur! Ab Apostolorum diebus descendens quot populorum initium vidit et finem! Quot imperia et regna exorta et collapsa! Quot thronos exaltatos et ad imum deiectos! Quot sceptra longe lateque dominantia et mox confracta! Quot gentium turmas ferreo pede terram conculcantes et modo ad nomen usque exstinctas! Quoties Ecclesia totius terrae faciem mutatam vidit et inversam, ipsa sola non mutata et omnibus superstes! Ipse Dominus est, qui hanc ei gloriosam largitus est sortem, ut, dum antiquitate veneranda est, iuventute simul perpetua florescat, et, dum tanquam vera Christi sponsa pulchritudine nitet perenni, simul innumera prole mater foecunda laetetur.

Illius autem sortis tam gloriosae, quam Dominus largitus est Ecclesiae universae, se tanquam eiusdem corporis membrum participem factam esse, iure merito laetatur ecclesia Coloniensis. Nam et ipsa, ex quo tempore ab Apostolorum discipulis ad Rheni ripam fundata est, innumeros Deo et coelo

peperit et adduxit filios. Sed hodie, quum a sororibus suffraganeis se circumdatam laeta conspiciat, id potissimum grato in Deum animo recolit, se, matris sensa secutam, conciliis celebrandis identidem ad pristinam sese renovasse iuventutem. Praeclara enim et praecellens est series conciliorum, qnae in provincia Coloniensi celebrata esse annales ecclesiastici referunt, ita ut metropolis Coloniensis inter Germaniae ecclesias et in hac re nnlli sit secunda. Verumtamen nolite exspectare, dilectissimi Fratres, me conciliorum illorum seriem, quamvis splendidissimam, esse expansurum, quum longior sit, quam ut ad enumeranda singula tempus nunc sufficiat. Silentio tamen praeterire non possum, praeter quatuor concilia Marcodurana iam ante mille amplius annos sub Pippino et Carolo Magno celebrata, illnd imprimis, quod eodem Carolo Magno regnante anno 782. Coloniae congregatum refertur, quo in concilio Rex potentissimus Avarorum tunc devictorum, Saxonum et Normannorum legatos excepit. Neque tacere possum magnam illam synodum anno 873. coactam, cui cum Williberto Archiepiscopo Coloniensi interfuerunt Bertolphus Archiepiscopus Trevirensis et Episcopi Hedolphus Monasteriensis, Luithardus Paderbornensis, Alfridus Hildesiensis et Lutbertus Osnabrugensis. Neque fas erit omittere conventum anni 1057., cui Victor II., summus Pontifex, praefuit, neque celeberrimum concilium provinciale anno 1186. hic congregatum, in qno Archidioecesi mandatum est, celebrare festum S. Annonis Archiepiscopi, quem tertio anno ante Sigiburgi Sedis Apostolicae Legati, sacro corpore e tumulo levato et in altari maiori exposito, Sanctorum Albo insertum, populo fideli applaudente, solemniter declaraverant. Et sane rem praecipue memoratu dignam esse censeo, quod S. Annonis canonizatio die 29. Aprilis peracta est, adeoque hodiernus dies, quo in hac synodo considemus, anniversarius est illius diei, quo ante 677 annos dignissimus ille Archipraesul, omnium virtutum decore conspicuus, de disciplina et libertate ecclesiastica meritissimus, in Sanctorum fastos relatus est. Sed parcam patientiae Vestrae, dilectissimi Fratres, et id tantum addere liceat, labentibus saeculis in ecclesia Coloniensi sexaginta sex synodos dioecesanas et viginti tria celebrata esse concilia provincialia, inter qnae numerantur qninqne concilia nationalia, quibus omnes inclytae nationis Germanicae Episcopi interfuerunt.

Posteriora quidem tempora conciliis celebrandis minus fausta fuerunt. Post ultimum concilium provinciale sub Adolpho Archiepiscopo anno 1549. celebratum tria per hanc aedem augustissimam transierunt saecula, quorum nnllum synodum huic hodiernae similem conspexit. Varia ex iniuria temporum obstiterunt impedimenta. Motus bellici anditi sunt et bellorum opiniones, armorum strepitus tubarumqne clangor circumquaque personuit; et mirum non est, ubi increpuerint arma, illic obmntescere, quia non auditur, Ecclesiae vocem. Verum et hominum incuria, ut minus dicamus, obstitit; notum enim satis est, apostasiam ipsam in eo iam fuisse, nt in hoc sanctuario stare et regnare fere auderet, quod vero Deus avertit.

Meliores denique dies illuxerunt, et iure merito exsultamus in Domino, qui conciliorum usum repetere benignissime nobis concessit. Uti olim Patres, ita et nos hodie ecclesia eadem congregat. Eadem cum illis causa nobis, dilectissimi Fratres, agitur in fide profitenda et disciplina stabilienda. Sed eundem etiam cum illis locum hodie tenemus. Sedem, quam Treviris olim Bertolphus, nunc tenet Guilelmus; sedem Hedolphi Monasterii occupat Ioannes Georgius; in sede Hildesiensi Alfridi sedet Eduardus Iacobus; pedum Luithardi Paderbornensis gerit Conradus; gregi Osnabrugensi Lutberti redditus est Paulus; in sede metropolitana Williberto successit nunc indignus Dei servus Ioannes. Eandem igitur post tot saeculorum seriem rerum faciem esse dixeris. Quae res quum in spem nos erigat, fore, ut nobis eandem cum illis ad recte consultandum benedictionem clementissimus Dominus elargiatur: maiorem tamen ingerit fiduciam promissio illa, qua Christus Dominus Apostolos eorumque successores prosecutus est: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Hac promissione freti atque potentissimo sanctorum dioecesium nostrarum Patronorum suffragio adiuti laeto alacrique animo incipiamus opus, ad quod convenimus. Ordiamur concilium! Dominus nobiscum est. Amen.

Completo sermone Eminentissimus Dominus descendit et sedens in faldistorio, quod interim positum erat in medio semicirculi Episcoporum, admisit primum promotorem instantem pro aperiendo concilio hisce verbis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quoniam dies faustissima et omnibus nobis laetissima hodie advenit, ut post tria saecula in nostra provincia Coloniensi concilium provinciale potuerit celebrari, et quum nunc omnes, qui huic synodo de iure et consuetudine interesse debent, hic in Domino congregatos esse videamus, ego Petrus Nicolaus Schweitzer, huius ecclesiae metropolitanae canonicus, ab Eminentia Vestra auctoritate metropolitica huius concilii promotor primus nominatus et constitutus, insto et supplex oro, ut Eminentia Vestra hoc concilium nunc aperiendum decernere ac decretum de eius initio publicandum esse mandare velit. Ad quae Metropolita respondit: Mandamus, ut decretum nostrum de aperienda synodo legatur. Tunc secretarius manum Eminentissimi Archiepiscopi deosculans accepit decretum, quod ex ambone praelegit, prout habetur supra in actis congregationis generalis primae. Post decreti lectionem, quam Episcopi sedentes, ceteri vero stantes audierunt, alter secretarius cum uno ex notariis singulos Patres adiit ac eorum votum requirens dixit: Dignetur Illustrissimus et Reverendissimus Pater pronuntiare, an placeat hoc decretum de inchoanda synodo modo lectum? Singuli responderunt: Placet. Quibus auditis secretarius retulit ad Archiepiscopum: Decretum Patribus placet; qui idem promulgavit his verbis: De assensu Reverendissimorum Patrum decernimus et declaramus, huius concilii initium faciendum atque eius initium iam esse factum. Postea primus promotor

institit pro emittenda fidei professione: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum sacrosancta Synodus Tridentina Sess. XXV. cap. 2. de ref. sanciverit, ut singuli Episcopi ac presbyteri in concilio provinciali congregati publicam fidei professionem emittant nec non Summo Romano Pontifici veram obedientiam promittant et profiteantur: ego Petrus Nicolaus Schweitzer, huius concilii provincialis constitutus promotor primus, iusto atque supplex oro, ut Eminentia Vestra decretum de emittenda professione fidei legendum et publicandum decernere dignetur. Metropolita dixit: Ita decernimus et mandamus. Primus secretarius recepit decretum supra pag. XLI. relatum, quod ex ambone praelegit. Quo facto Metropolita, stantibus ceteris, ad altare genuflexus pronuntiavit professionem fidei Tridentinam:

Ego Ioannes Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium: illaque gratiam conferre: et ex his baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et

declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis: atque in sanctissimo eucharistiae sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi; fierique conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem: quam conversionem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi. Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum principis, successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque haereses quascumque, ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adiuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Ioannes Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

Finita professione, Archiepiscopo sedente in faldistorio et librum evangeliorum super genua tenente, accesserunt singuli Episcopi et emiserunt super evangeliorum librum professionem fidei dicentes: Ego N. Episcopus N. eandem fidem profiteor iuxta formulam, quam nunc Eminentissimus Metropolita legit, atque idem spondeo, voveo ac iuro: Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. Quibus dictis tetigerunt et osculati sunt evangeliorum librum. Post Episcopos accessere quoque ceteri synodales terni vel quaterni atque iisdem verbis professionem fidei emiserunt.

Postea primus promotor institit, ut decreta in initio concilii provincialis pro more publicanda praelegerentur, his verbis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Secundum antiquam Ecclesiae disciplinam ille semper usus observatus est, ut in initio concilii provincialis varia decreta

ederentur et praelegerentur. Haec decreta sunt: Decretum de non praeiudicando. Decretum de modo vivendi. Decretum de non discedendo. Decretum de concilii officialibus. Quamobrem ego huius concilii promotor insto et ab Eminentia Vestra devotissime peto, ut, quemadmodum usus id exigit, haec decreta ex ambone praelegantur et promulgentur. Metropolita mandavit praelectionem decretorum dicens: Haec decernimus et mandamus. Secretarius recepit ab Archiepiscopo decreta supra pag. XLI., XLII., XXXVII. relata, quae ex ambone praelegit. Tunc subiunxit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres, placentne Vobis haec decreta? et rediit ad locum suum. Alter secretarius cum notario adiit singulos Patres, exquirens eorum consensum, quem acceptum retulit Archiepiscopo, qui dixit: Decreta placuerunt Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae. Patres responderunt: Deo gratias.

Promotor institit pro publicando decreto de iudicibus querelarum et excusationum: Eminentissime et Reverendissime Pater! Quum in actione synodali indices constituere necesse sit, quibus querelas, excusationes et controversias, si quae exoriturae sint, audire et examinare ac de iis ad Patres, ut de iis decernant, referre incumbit: ego huius concilii provincialis promotor insto atque oro, ut Eminentia Vestra eiusmodi iudices nominare ac decretum de eorum nominatione publicari decernat. Metropolita respondit: Ita decernimus et ordinamus. Primus secretarius accepit ab Archiepiscopo decretum supra pag. XXXIX. insertum, quod ex ambone praelegit. Promotor institit pro vocatione Patrum et aliorum, qui concilio interesse deberent: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum hodie sit Dominica tertia post Pascha et dies vicesima nona mensis Aprilis, qua omnes ad hoc concilium provinciale indictum ac statutum legitime convocati et invitati adesse debent, ego concilii promotor insto et requiro, ut omnes et singuli Reverendissimi Episcopi aliique synodales nominatim vocentur. Archiepiscopus respondit: Ita decernimus et mandamus. Secretarius ex ambone legit catalogum Patrum atque omnium convocatorum, qui habetur supra pag. XXVI. Omnes aderant praeter Pl. R. D. Ioannem Henricum Franksmann, canonicum capitularem Osnabrugensem, procuratorem capituli Osnabrugensis. Denuo promotor institit pro indictione secundae sessionis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! In conciliis provincialibus semper exstitit usus, ut in prima sessione dies et locus secundae sessionis indicerentur. Quare insto, ut idem quoque nunc in hoc concilio observetur. Metropolita respondit: Habeatur Reverendissimorum Patrum sententia. Primus secretarius ex ambone dixit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres! Placetne Vobis, ut proxima sessio habeatur feria sexta, quae erit dies quarta mensis Maii, ita tamen, ut dictus terminus in congregatione generali contrahi aut prorogari libere possit, sicut rebus concilii expedire videbitur? Alter secretarius adiit Patres ad exquirendum consensum, et dicto ab omnibus: Placet, factaque relatione ad Metropolitam, primus secretarius

accepit a Metropolita decretum indictionis sessionis secundae illudque publice legit.

Decretum indictionis sessionis secundae.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis etc.

De consilio et assensu Reverendissimorum Patrum decernimus et statuimus, ut proxima sessio habeatur feria sexta, quae erit dies quarta mensis Maii, ita tamen, ut dictus terminus in congregatione generali contrahi aut prorogari libere possit, prout rebus concilii conducere videbitur.

Denique promotor institit pro actis huius sessionis conficiendis: Ego Petrus Nicolaus Schweitzer, huius concilii promotor, admoneo et rogo vos venerabiles huius concilii notarios constitutos, ut pro officio vestro omnes, qui in hac prima sessione adfuerunt, diligenter annotetis, atque omnium, quae tractata et peracta sunt, accuratam ac fide dignam relationem conficiatis. Primus notarius respondit: Conficiam. Deinde Metropolita surgens et ad altare ascendens impertitus est benedictionem solemnem more consueto, Episcopis sine mitra et canonicis stantibus; ceteri omnes genuflectebant. Dein sonantibus organis Metropolita et Episcopi discesserunt in sacristiam, ac depositis ibi paramentis et acceptis mozettis, Archiepiscopus cum cappa magna, redierunt in chorum, ex quo processionaliter ad portam primariam comitati sunt. Et sic finita est prima sessio solemnis.

Et ita factum esse, ut supra, testamur:

Dr. Mathias Henricus Kirch, notarius Apostolicus.
Adolphus Kolping, notarius Apostolicus.
Carolus Theodorus Dumont, notarius Apostolicus.
Franciscus Henricus Ruland, notarius Apostolicus.

3) Congregatio generalis secunda.

Actum Coloniae die 4. Maii 1860.

Die quarta Maii, quae fuit feria sexta, hora nona antemeridiana, in aula maiori aedium archiepiscopalium, Praeside Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo, habita est secunda congregatio generalis, cui adfuerunt Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Princeps-Episcopus Vratislaviensis, Illustrissimi ac Reverendissimi Patres, Reverendissimi Domini Episcopi auxiliares ceterique synodales omnes.

Eminentissimus Dominus Metropolita, dicta oratione: Adsumus, primum exponit, se iuxta canonum praescripta consilium de celebranda synodo provinciali Sanctissimo Patri Pio PP. IX. renuntiasse simulque elenchum rerum, quae deliberandae visae fuissent, sacrae Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum transmisisse; quae exinde Sanctissimus Pater, nec non quae Eminentissimus Cardinalis Praefectus dictae Congregationis responderint,

nunc cum hac congregatione generali communicanda. Continuo mandante Eminentissimo Domino Praeside Litterae Pontificiae et epistola Eminentissimi Cardinalis Cagiano, Praefecti Congregationis Concilii, leguntur. (Vid. supra pag. III. et IV.)

Deinde Eminentissimus Dominus Archiepiscopus mandat, ut pars decretorum, de quibus secundum ordinem deliberandum erat, a secretario praelegatur atque postea observationes, quas congregatioues particulares circa eadem proponendas duxerint, a congregationis particularis secretario referantur. Prius vero omnes synodales exbortatur atque admonet, ut, universa diligenter et mature perpendentes, si quid dubium vel mutandum vel addendum aut omittendum ipsis videatur, sententiam suam cum rationibus eam fulcientibus libere aperiant, atque simul, quae proponant quaeqne tractationibus addenda esse crediderint, eo modo, qui in decreto de ratione deliberandi statutus est, conscripta secretariis actis adnectenda exhibeant.

Tunc lecta fuerunt e prima parte decretorum post prooemium titulus I. de religione et fide generatim (complectens cap. 1.—8.), titulus II. de Deo uno personarumque Trinitate (cap. 9. et 10.), titulus III. de creatione (cap. 11.—13.) et titulus VI. de Christi Ecclesia (cap. 21.—26.). Post praelectionem cuiusqne capitis secundum ordinem praedictum ad eius singulas paragrapbos exposita sunt, quae congregatio particularis concernens observanda existimaverat, quaeque vel a Reverendissimo et Illustrissimo Episcopo, eius Praeside, vel eiusdem Reverendissimi Domini nomine ab uno e consultoribus proponebantur, rationibus breviter additis, quae mutationem suaderent. Praeter eas observationes a congregatione concernente factas excipiebantur et aliae ab uno alterove synodali prolatae. Postea auditis iis omnibus et, si opus fuerat, breviter explicatis et discussis, Eminentissimus Metropolita quoad singulas paragraphos a synodalibus quaesivit, si quis quid ultra observandum haberet, sive ad textum decretorum, sive ad congregationum particularium sententias, sive ad observationes forte ab uno alterove synodali factas. Denique congregationnm barum annotationes aeqne ac synodalium propositiones ab ipsis conscriptae actis adiectae sunt. Decretorum capitibus, quae snpra indicata sunt, sedulo expensis et deliberatione finita, Eminentissimus Praeses Patres interrogavit: Placetne Patribus banc secundam congregationem generalem finire? Atque Reverendissimis Patribus annuentibus eandem finitam declaravit, sibi et Reverendissimis Patribus diem tertiae congregationis generalis ulterins indicandam reservavit, simulqne edixit, de consensu Reverendissimorum Patrum secundam sessionem solemnem celebrandam esse Dominica proxima, quae erit quarta post Pascha et dies sexta Maii, in metropolitana ecclesia, bora octava matutina.

Absolvitur denique congregatio haec secunda gencralis bora duodecima et dimidia oratione: D e u s c n i u s m i s e r i c o r d i a e, et suffragio: S u b t u n m p r a e s i d i n m. Et omnes recesserunt in pace.

Actum ut supra.

Elbertus Guilelmns Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, praeses seminarii archiepiscopalis, protosecretarius.

Casparus Antonius Heuser, iuris canonici doctor et professor seminarii archiepiscopalis, secretarius.

4) Sessio solemnis secunda.

Actum Coloniae die sexta Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis. Amen.

Dominica qnarta post Pascba, anno et die, qnibus supra, in ecclesia metropolitana solemniter celebrata est concilii provincialis sessio secunda, quae quidem pro die quarta buius mensis indicta fuerat, dein vero ex Eminentissimi Principis ac Reverendissimorum Patrum placitis in bnnc diem prorogata.

Hora septima matutina festivus resonabat campanarum pulsus. Hora octava synodales convenerunt in sacristiam ecclesiae metropolitanae, ex qua Eminentissimus Arcbipraesul cappam magnam, Reverendissimi Patres mozettam et rocbettum, Episcopi auxiliares mantellettum et rochettum, ceteri habitum cboralem gestantes eodem ordine, qui in actis primae sessionis descriptus invenitur, per absides et navem ad chorum processerunt. Ibi Eminentissimus Dominns Archiepiscopus inter duos canonicos a latere thronum suum, reliqui omnes loca ipsis assignata, ut in prima sessione, occuparunt. Missa solemnis celebrata est ab antiquiore ex Patribus, nimirum ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Trevirensi, qui paramentis in sacristia acceptis, a presbytero assistente et ministris duobus e canonicis et dnobus e vicariis comitatus, cum mitra et baculo ad altare accessit. Interim Archiepiscopus descendit de throno et cum celebrante, qni eius partem sinistram tenebat, dixit missae introitum. Ceteri vero Episcopi, ut in prima sessione, recitarunt confessionem. Post introitum, dnm celebrans altare ascendit, Metropolita rediit ad thronum ibiqne incensum ministravit. Thurificato deinceps altari, celebrans cum mitra stans in cornu epistolae triplici dnctu incensum recepit et tunc eodem modo Metropolita. Celebrans ad faldistorium pergens, prosecutus est missam. Subdiaconus post epistolam et diaconus ante evangelium osculati sunt annulum Metropolitae ab eoque receperunt benedictionem. Post evangelium decantatnm celebrans et Archiepiscopus incensati sunt. Ad offertorium Arcbiepiscopus imposuit incensum et, incensato celebrante, Metropolita ceteriqne incensati sunt eodem ordine ac ritu, qui descripti babentur in actis primae sessionis. Quoad osculum pacis et benedictionem in fine missae idem, atqne in prima sessione, modus est observatus. Post missam Metropolita et Episcopi cum celebrante ad sacristiam accesserunt

et pluvialibus ibi acceptis redierunt in chorum et occupaverunt loca sua. Tunc Eminentissimus Archipraesul coram altari inchoavit antiphonam: Propitius esto peccatis nostris, Domine et dein psalmum: Deus venerunt gentes, quo incepto omnes sedebant, Episcopi cum mitris, ceteri capite cooperto. Psalmo finito Metropolita, deposita mitra, stans versus altare dixit tres orationes ex Pontificali. Quo facto cantatum est evangelium iuxta Pontificale ceteraque omnia eodem ritu, quo in prima sessione, sunt peracta. Finito hymno: Veni Creator Spiritus, concio habita est ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Trevirensi:

Eminentissime Princeps,
Illustrissimi ac Reverendissimi Domini,
Dilectissimi Fratres!

Audivimus nuper in solemni huius concilii provincialis inauguratione ex ore Eminentissimi Praesidis et Metropolitae nostri, quibus et quantis rerum sacrarum aeque ac profanarum perturbationibus interrupta fuerit per tria saecula conciliorum provincialium successio. Nunc vero laeti ac gratulabundi ad redintegrandam et continuandam hanc seriem huc convenimus. Et ecce, dum paucos dies in sacro hoc conventu degimus, post diuturni frigoris rigores et hibernas procellas lenis aura aspirat. Iam hiems transiit et flores apparent in terra nostra et nova ubique rerum facies renascitur fronde et germine. Quae omnia utinam fausto sint omini et quasi imaginem nobis praebeant novi meliorisque ordinis rerum ac laetioris pro Ecclesia militante aevi.

Nec sane fallor, dum novum rerum ordinem et disciplinae ecclesiasticae vitaeque christianae renovationem et restaurationem per vernos flores adumbrari ac praesagiri contendo. Adest enim nobis in Christi nomine congregatis Spiritus sanctus, qui renovat faciem terrae, qui docet nos omnem veritatem, qui per universum mundum latentia in Ecclesiae gremio fidei et omnigenae virtutis germina mirum in modum excitat, fovet, rigat, ad incrementum perducit. Neque frustra sacerdotum atque fidelium tam piae, tam ferventes fusae sunt aut funduntur adhuc preces. Quidquid nimirum Patrem in Christi nomine petierimus, dabit nobis; dabit, inquam, Spiritum illum bonum, quo duce, quo auctore confidimus et in magnam spem erigimur, fore, ut multiplices spiritualium bonorum segetes ex nostro hoc conventu exoriantur atque ex eo, tanquam ex uberrimo fonte, benedictionum et gratiarum rivuli tam in nosmetipsos, quam in fideles curae nostrae commissos deriventur.

Ut enim taceam consortium tot virorum venerabilium, scientia, pietate aeque ac dignitate conspicuorum, quos facie ad faciem videre, quibuscum conversari ac colloqui dulce est et proficuum: nonne hoc in concilio provinciali revera inveniemus triplicem illum funiculum, qui per sacram Scripturam commendatur, quum ait: Triplex funiculus difficile rumpitur? [1]) Si-

[1]) Eccles. 4, 12.

quidem ex diversis dioecesibus eadem mente eundemque in finem convenimus, fieri vix posse censeo, quin sanctissimum illud caritatis vinculum, quo omnia inter se membra Ecclesiae colligantur, arctius connectatur, unio fraterna et concordia sacerdotalis magnopere augeatur, frater fratrem sublevet et aedificet verbo, exemplo, oratione.

Praeterea quae de doctrina christiana, de disciplina cleri, de corrigendis moribus, de vitae christianae perfectione tractamus et decernimus, eo haec omnia spectant, ut mens nostra illustretur, caritas inflammetur, animarum zelus in cordibus nostris inardescat, ita ut indefesso labore studeamus consolidare, quod infirmum, sanare, quod aegrotum, alligare, quod confractum, reducere, quod abiectum fuerit, paratique simus, ut, verbis utor S. Caroli Borromaei [1]), pro nostrarum ovium incolumitate quemvis excipere laborem, omnes subire casus, omnem perferre vim atque iniuriam, denique animam nostram veluti bonus ille pastor evangelicus pro ovibus ponere non dubitemus.

Vos autem, Fratres dilectissimi, qui in condendis saluberrimis morum regulis ac statutis pro viribus nos adiuvatis, iisdem vestris sapientissimis consiliis, studiis, orationibus nos adiuvabitis, ut statuta a nobis condita, ubi primum a sancta Sede Apostolica approbata fuerint, in dioecesibus nostris sedulo exsecutioni mandentur atque ab omnibus fideliter observentur. Quid enim proderunt optimae leges, si non observantur? Sine obedientia sincera et perfecta sanctissimae vilescunt leges, nullus evangelici ministerii fructus, nullum dioeceseos regimen, nullus ordo in Ecclesia sancta Dei. Quodsi vero nos in legibus observandis statutisque exercendis, quae ad nostram vitae conversationem spectant, ceteris facem praeferimus docendo et faciendo, quod Ecclesia docet, quod Christus iubet, quod gregis Dominici salus postulat: promptiori utique animo omnes nobis obedient et nostra prement vestigia. Quo fiet, ut floreant ubique et maiora in dies incrementa capiant litterarum theologicarum studia, cleri populique mores in melius reformentur, Ecclesiae auctoritas decorque sacerdotii servetur, promoveatur denique Christi fidelium aeterna salus.

Hoc igitur modo in multitudinem innumerabilem laborum nostrorum fructus redundabunt. Erit enim omnibus vita nostra liber semper apertus et patens, in quo legant, quid facere oporteat; erit speculum omnium oculis expositum, in quo considerent, quomodo mores suos componere et perficere debeant; erit eadem lucerna super candelabrum posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, ut nosmetipsos salvos faciamus et eos, qui nos audiunt.

Non ut commonefaciam vos, Fratres dilectissimi, haec dico, sed ut me ipsum excitem atque exhorter. Ipse autem Princeps pastorum et Episcopus animarum nostrarum dirigat vias nostras, ut digni ambulemus voca-

---

[1]) Conc. prov. Mediol. I.

tione, qua vocati sumus, per omnia ei placentes, nt omnium una sit fides mentium et pietas actionum. Idem det nobis, toto cordis ardore id amare, quod praecipit, id desiderare, qnod promittit, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.[1] Amen.

Post concionem promotor secundus instituit pro pnblicatione decretorum hisce verbis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum post repetitam congregationum consultationem et Reverendissimorum Episcoporum maturam deliberationem, Deo adiuvante, iam id obtentnm sit, ut plura decreta et statuta communi assensu Patrum potuerint definiri: ego Ioannes Iacobus Broix, huius ecclesiae metropolitanae canonicus et ab Eminentia Vestra nominatus huius concilii promotor secundus, devotissime insto, ut Eminentia Vestra eorum decretorum publicationem et promulgationem nunc in hoc concilio decernere et mandare velit. Eminentissimus Metropolita respondit: Ita decernimus et mandamus.

Primus secretarius, acceptis ab Archiepiscopo decretis, ascendit ambonem, ex qno decreta alta voce praelegit. Et quidem lecta sunt ex parte prima decretorum: De doctrina christiana, prooemium; dein ibidem titulus I. de religione et fide generatim (qui complectitur cap. 1.—8.); tum titulus II. de Deo uno personarumque Trinitate (qui complectitur cap. 9. et 10.); porro ab altero secretario lectus est titulns III. de creatione (continens cap. 11.—13.); denique titulus VI. de Christi Ecclesia (complectens cap. 21.—26.). Quibus lectis subiunxit secretarius: Illustrissimi et Reverendissimi Patres, placentne haec omnia Vobis? Alter secretarius cum notario adiit singulos Reverendissimos Patres, eorum consensum exquirens, et omnes responderunt: Placent. Acceptum consensum secretarius retulit Metropolitae, qui dixit: Decreta placuerunt omnibus Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae. Omnes responderunt: Deo gratias.

Deinde promotor secundus instituit pro indictione tertiae sessionis, quae praefinita fuit atque ex ambone indicata pro feria quinta, quae est dies decima Maii; deniqne promotor primus postulavit, ut acta huius sessionis conficerentur: quae omnia eodem modo ac ritu peracta sunt, ut in prima sessione.

In fine sessionis Eminentissimus Archipraesul benedictionem solemniter impertivit. Quo facto organis sonantibus omnes ad sacristiam recesserunt. Inde Eminentissimus Archiepiscopus a synodalibus ad portam primariam ecclesiae metropolitanae comitatus ibiqne cum ceteris Reverendissimis Episcopis thurificatus omnes in pace dimisit.

Et ita actum esse, nt supra, testamur:

Dr. Mathias Henricus Kirch, notarius Apostolicus.
Carolus Theodorus Dumont, notarins Apostolicus.
Adolphns Kolping, notarius Apostolicus.
Franciscus Henricus Ruland, notarius Apostolicus.

[1]) Or. miss. dom. IV. p. Pascha.

5) Congregatio generalis tertia.

Actum Coloniae die 8. Maii 1860.

Die octava Maii, quae fuit feria tertia, hora nona matutina, Eminentissimo Archiepiscopo praeside, Illustrissimi ac Reverendissimi Patres cete-rique synodales, nemine absente, ad congregationem generalem tertiam consederunt. Dicta oratione: Adsumus, compendiaria relatio eorum, quae in prima et secunda congregatione generali acta fuerant, lecta et approbata est.

Deinde praelecti et modo in actis secundae congregationis generalis indicato deliberationi omnium synodalium submissi sunt ex parte prima: titulus VII. de gratia (cap. 27. et 28.); titulus VIII. de sacramentis (cap. 29. — 37.); titulus IX. de altera vita (cap. 38. et 39.); titulus IV. de homine (cap. 14. — 17.); titulus V. de Christo humani generis reparatore (cap. 18.—20.); atque ex secunda parte decretorum, quae de disciplina ecclesiastica agit, prooemium; dein ibidem ex titulo I. de personis ecclesiasticis caput 1. de Episcopis, caput 3. de Metropolita et caput 4. de synodo provinciali.

Ad caput 20. primae partis, agens de beata Maria Deipara, Virgine perpetua, omnis labis experte, Eminentissimus Praeses exposuit, in illo capite contineri quidem, quod Ludovicus Episcopus Monasteriensis iam anno 1350. festum Virginis sine labe conceptae praescripserit, cumque locum ex opere Hartzhemii Concilia Germaniae et ex illo Schatenii Annales Paderbornenses esse depromptum. Sed re exactius explorata, sibi non omnino indubium esse, quod in hoc capite de mandato celebrandi festum immaculatae Conceptionis asseritur, ideoque rem magis elucidandam esse; hanc autem provinciam se Pl. RR. DD. synodalibus Dieringer, Menke, Eberhard et Kappenberg committere, eousque vero caput hoc in solemni sessione non esse publicandum, cui propositioni Patres consenserunt.

Quibus ita finitis, Reverendissimis Patribus de more interrogatis placuit, sessionem solemnem tertiam celebrandam esse feria quinta, quae est decima Maii, hora octava matutina in ecclesia metropolitana.

Absoluta est haec tertia congregatio generalis hora fere prima pomeridiana, oratione: Deus cuius misericordiae, et suffragio: Sub tuum praesidium, et omnes recesserunt in pace.

Actum ut supra.

Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, praeses seminarii archiepiscopalis, protosecretarius.

Casparus Antonius Heuser, iuris canonici doctor et professor seminarii archiepiscopalis, secretarius.

6) Sessio solemnis tertia.

Actum Coloniae die decima Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo.
In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen.

Feria quinta post Dominicam quartam a Paschate, anno et dis, quibus supra, celebrata est in ecclesia metropolitana Coloniensi provincialis concilii sessio solemnis tertia. Quoad solemnitates et ritum omnia, ut in sessione secunda, ad amussim sunt observata.

Summum sacrum celebratum est ab Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo Monasteriensi, qui eo finito sermonem habuit ad synodum, ut sequitur:

Eminentissime et Reverendissime Metropolita,
Reverendissimi et Illustrissimi Patres,
Reverendi et honorandi plurimum omnium ordinum synodales!

A vero aberrare mihi non videor, si convocationem synodi provincialis, ab Eminentissimo et Reverendissimo Metropolita nostro nuperrime factam, maximam apud omnes, qui Ecclesias Dei bene volunt, excitasse laetitiam existimem. Cuius rei causas exquirenti non leves sane nec paucae ante oculos sese ponunt. Quot enim a celebrato huiusmodi concilio exspectantur fructus saluberrimi, tot cognoscimus laetitiae causas, qua nuncius de celebranda synodo ab omnibus Ecclesiae filiis matrem amantibus exceptus est.

Ecclesiam ex conciliorum usu uberrimos semper speravisse fructus, ex eo ipso satis patet, quod mos ille synodos cogendi antiquissimus atque ipsius Ecclesiae suppar sit aetati. Non solum inde ab Ecclesiae primordiis synodorum celebrationem, ubicunque ex rerum et temporum statu et conditione licuit, usu venisse invenimus, verum etiam rationem et methodum salubriter et fructuose procedendi in instituendis synodis iam inde antiquitus multis sancitam esse legibus, historia duce docemur; atque quum Conciliorum celebratio generalium propter causas maiores et totum Ecclesiae corpus tangentes et, ut ita dicam, pro re nata habenda esset, provincialium synodorum celebratio ex praescripto sacrorum canonum tertio quoque anno, dioecesanarum etiam pluries locum habere debuit. Quae omnia nobis innuunt, magnam semper fuisse in Ecclesia synodorum aestimationem. Certe ex historiae ecclesiasticae monumentis compertum habemus, quod, ubicunque Ecclesiae leges de celebrandis synodis sancte et stricte observabantur, laetior ibi rerum ecclesiasticarum effulserit facies, maior efferbuerit ecclesiasticorum virorum zelus, sanctior vitae quum cleri tum populi enituerit integritas, uberius fidei omniumque virtutum augmentum, perfectior cultus divini honor et decor, plenior denique exstiterit vitiorum flagitiorumque profligatio.

Neque mirum. Qui enim sincera ducti obedientia erga Christi sponsam, quae est Ecclesia, in concilium conveniunt, ii in Christi nomine conveniunt. Christum ipsum inter se habent et benedictionis suae rivos uberrimos sibi inferunt secundum Ipsius verba: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. (Matth. 18, 20.) Ubi autem Christus, ibi Spiritus sancti, quem nobis promeruit quemque credentibus

et exposcentibus non denegat, operatio efficacissima. Perlegatis, quaeso, Fratres carissimi, conciliorum sanctae Ecclesiae catholicae monumenta, quotqnot invenire licet, cuiuscumque temporis et regionis: nonne qnovis quasi passu specimina obvia vobis sunt luculentissima sapientiae et prudentiae sanctioris? nonne invenietis zelum eximium instaurandae sanctae disciplinae, praedicandum sane fervorem angendae et promovendae fidei, admirandum studium caritatis fraternae inflammandae, laudandum qnam maxime salutis animarum provehendae ardorem? Diffiteri monumentorum istorum cognitor nullo modo potest, conditum in iis esse thesaurum admirabilem decretorum saluberrimorum, quae ntilitatem qnam maximam populo christiano non afferre, nisi hominum vitio neglecta, non poterant.

Ut ad rem nostram propius accedamus, quid vobis videtur, Fratres dilectissimi? Num synodis, nunc Deo favente post longas, quas Christi inimicus intulit, moras denno coeptis, qnae ex eadem, quam vix laudavimus, erga sanctam Ecclesiam obedientia ortum dncunt et in Christi nomine congregantur iisdemque fusis ad Deum precibus rigantur et sanctificantur — num minor iis arridebit benedictionis spes? minor in regnum Dei his in terris profectus? minus denique Dei assistricis sapientiae adiumentum?

Ne minime quidem id timendum erit, nisi, quod bene coepimus, segnius prosequamur; nisi in posterum obliti fuerimns obedientiae erga sanctam Ecclesiam, quae nos hic congregavit; nisi animo cadamus, qui hic nos vegetavit; nisi recedamus ab eo, qno hic corroborabamur, spiritu; nisi defuerimns nobismet ipsis, qui tot et tantis nos obstrinximus sacramentis, ut Christo serviamus et sponsae, quam in terra reliquit, nt sponsi divini adimpleret partes.

Caveamus ergo, Fratres desideratissimi, ne pigriores simus in synodi decretis exseqnendis, quam condendis. A synodo non discedamns, quin iterum iterumque mente revolverimus, omnem synodi utilitatem omnesque, qui exspectantur ex ea, fructus ex eo pendere, ut in id omnes intendant, id agant, ut strictissime ab omnibus, quorum interest, vivendo et perficiendo inhaereatur iis, quae ex communi multorum consilio, doctrinae divinae et sacris canonum decretis insistendo, sancita snnt, ne vituperetur miuisterium nostrum, neque illis similes esse videamur, qnos Apostolus commemorat dicens: Si quis anditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo: consideravit enim se et abiit et statim oblitus est, qualis fuerit (Iac. 1, 23. 24.). Ne unquam obliviscamnr, tunc solummodo in gregibns nobis commissis orituram esse aemulationem in legibus synodalibus exsequendis, quando earumdem legum strenuos nos ipsos exhibuerimns exsecutores. Iterum iterumque perpendamus, a multis, ad quos nuncius de celebranda hac synodo pervenit, dictum iri: Videamus, num institutio ista ad solam speciem quandam vitae resuscitata sit, an ad veri nominis vitam fructumque ferentem! Admodum igitur solliciti omnem, qnam possumns, curam et operam interponamus, ne in ln-

dibrium deveniant tot et tanta Ecclesiae sanctae molimina, quibus instaurare fidem, corrigere mores, debilitatamque ac pene collapsam falsis ac perversis doctrinis hominum societatem erigere et renovare satagit. Denique, Fratres carissimi, quae superest maximi momenti admonitio Apostolica, nunquam non adsit mentibus nostris, scilicet sine intermissione orandum nobis esse (I. Thess. 5, 17.), quia Deus solus est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (Phil. 2, 13.). Memores igitur infirmitatis et insufficientiae humanae a Deo omnipotente, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit (Iac. 1, 17.), enixis quotidie precibus imploremus auxilium acieque intendamus immota in Christum agonothetam nostrum, qui laborum nostrorum fidelissimus est testis et sponsor, aliquando vero copiosissima erit merces. Amen.

Deinde instante promotore primo in hac sessione, adhibitis iisdem, quibus in priori, solemnitatibus, promulgata sunt haec decreta: Ex prima parte titulus IV. de homine (cap. 14.—17.); titulus V. de Christo humani generis reparatore (cap. 18. et 19.), omisso cap. 20. de beata Maria; titulus VII. de gratia (cap. 27. et 28.); titulus VIII. de sacramentis (cap. 29.—37.); titulus IX. de altera vita (cap. 38. et 39.). Et ex secunda parte decretorum, de disciplina ecclesiastica tractante, prooemium cum capite 1. de Episcopis et capite 4. de synodo provinciali, omisso secundo et tertio.

Quibus lectis exquisitus est de more singulorum Patrum consensus, qui omnes responderunt, placere decreta. Deinde sessio proxima consentientibus Patribus ab Eminentissimo Archiepiscopo indicta est pro Vigilia Ascensionis Domini, die decima sexta Maii.

Impertita solemni benedictione, Eminentissimus Archiepiscopus a synodalibus ad portam primariam ecclesiae metropolitanae comitatus ibique cum ceteris Reverendissimis Episcopis thurificatus omnes in pace demisit.

Et ita actum esse, ut supra, testamur:

Dr. Mathias Henricus Kirch, notarius Apostolicus.
Carolus Theodorus Dumont, notarius Apostolicus.
Adolphus Kolping, notarius Apostolicus.
Franciscus Henricus Ruland, notarius Apostolicus.

7) Congregatio generalis quarta.

Actum Coloniae die 12. Maii 1860.

Die sabbathi, quae fuit duodecima Maii, hora octava et dimidia matutina, Eminentissimo Metropolita praeside, congregatio generalis quarta habita est in aula maiori aedium archiepiscopalium. Dicta oratione: Adsumus, relatio brevis eorum, quae in congregatione generali praecedenti acta fuerant, lecta et approbata est. Deinde expedita sunt, quae circa caput vigesimum primae partis dubia remanserant, expungendo citationem decreti

Ludovici, Episcopi Monasteriensis, quia relatio de allegata festi immaculatae Conceptionis per Episcopum Monasteriensem Ludovicum institutioue solum verbis Hartzhemii et Schatenii, sed nullo docnmento publico coaevo niteretur, addendo vero antiquae nostratum erga mysterium illnd fidei et devotionis argumentum, desumptum ex insigni ornatu, qnem canonici ecclesiae metropolitanae iam ab antiquo gestant. Lectum deinde et deliberationi submissum caput 2. secundae partis, agens de Episcopis auxiliaribus, in praecedenti congregatione praetermissum. Uberior expositio eorum, quae aliam ac propositam Reverendissimorum Episcoporum auxiliarium ante capitulares praecedentiam suaderent, ab uno e synodalibus recitata et actis apposita est. Inter varia minoris momenti, quae praecedentiae Episcoporum auxiliarium obstarent, expositio memorata nrgcbat locum e Bulla: De salute animarnm, qui statuit: Praeposituram in cathedralibus dignitatem esse maiorem post pontificalem; qua de causa igitur Episcopus auxiliaris locum primum praeposito cedere deberet. Ad ea respondit Eminentissimus Praeses, decretorum S. R. C. in calce capitis, de quo deliberatur, allegatorum sensum fusius exponendo, nsum Romanae Curiae indicando, atqne urgendo, Episcopo canonico ueqne stallum denegari posse, si canonicus sit, ueque praecedentiam prae cunctis capituli presbyteris, quum propter pontificalis dignitatis eminentiam ipsi ne liceat quidem, primam sedem sacerdoti sponte cedere. Nec etiam allegatum locum ex Bulla: De salute animarum obversari, quum in illo loco uou statutum sit, praeposituram dignitatem esse maiorem post Ordinarii dioecesani dignitatem, sed tantummodo generaliter post Pontificalem, et idcirco Episcopis auxiliaribus, qui ut Episcopi dignitate poutificali gaudent, deberi praecedentiam prae dignitate praeposituræ, quae qnamquam dignitas, nihilominus dignitas tantummodo presbyteralis sit atqne locum dignitati pontificali cedere debeat.

Lecta dein atque deliberationi modo consueto snbiecta est propositio addenda capiti 3. de Metropolita, quae iuxta decretum Concilii Tridentini indicaret, quis uegligentiam capituli metropolitani in eligendo Vicario capitulari suppleat. Porro pariter recitatum et deliberatum est caput quintum secundae partis decretorum. Ad caput hoc, agens de capitulis cathedralibus, Pl. RR. DD. procuratores capitulorum cathedralium, quae ipsis delenda vel etiam mutanda viderentur et desiderarentur, instrumento couscripto exposuerunt, atque praeterea omnia iura capitulorum expresse reservantes, poposcernnt ab Eminentissimo Praeside et Reverendissimis atque Illnstrissimis Patribus, ut tenorem decreti de hac materia ferendi nna cum tenore uunc proposito et observationibns atqne reservatione procuratorum, antequam decreta approbationi Sedis Apostolicae subiicerentur, capitulis communicandum ipsis traderent; simulque petierunt, ut liceret observatiouum, reservationis iurium et petitionum suarum instrumentum actis addere. Quoad hoc ultimum petitum placuit Patribns de more interrogatis, dictum

instrumentum ad acta admittere, ut de singulis, quae in eo continentur, maturius deliberarent, salva tamen libertate Reverendissimorum Patrum statuendi, quae ipsis secundum canones in Domino expedire viderentur. Proinde dictum instrumentum, cui etiam duo e canonicis ecclesiae metropolitanae subscripserant, actis hic insertum est:

Instrumentum procuratorum capitulorum.

Mutationes propositae ad caput 5. partis secundae de capitulis.

Mutandum: 1) Missa conventualis quotidie persolvatur et applicetur pro benefactoribus ecclesiae cathedralis, et quidem per dignitarios, canonicos et vicarios iuxta praescriptum statutorum capitularium.

Motivum: Ex iure communi missa conventualis habenda est ab omnibus beneficia choralia obtinentibus, proinde etiam a vicariis. Benedictus XIV. in Constitutione Quum semper, die 19. Augusti 1744. edita, §. 12. ait: Etenim huiusmodi debitum (missa conventualis) non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiae, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et missam conventualem suis respective vicibus celebrant. Ordo persolvendi hoc debitum praefinitur per statuta capitularia ad praescriptum Bullae: De salute animarum, sub verbis: Onerum iis respective incumbentium supportatione.

Mutandum: 2) Ordo missarum a canonicis et vicariis e serie tam feriis, quam diebus dominicis et festis in cathedrali celebrandarum a capitulo Ordinario approbante statuatur stricteque observandus est, ut dignitati ecclesiae primariae populique aedificationi satisfiat.

Motivum: Ad praescriptum Bullae: De salute animarum.

Mutandum: 3) Omnes sive dignitarii sive canonici sive vicarii horis canonicis in choro recitandis ac missae conventuali ad praescriptum statutorum capitularium tum ferialibus tum praecipue dominicis et festis diebus assidue intersint.

Motivum: Constitutiones priorum saeculorum circa frequentationem chori dignitarios et canonicos respiciebant, qui numero 40 aut 50 praeter chori frequentationem nil officii habebant; longe aliter res se habet nostro tempore nostrisque in regionibus; ideoque Bulla: De salute animarum, qua universa dioecesium regni Borussici constitutio nititur, praescribit, ut pro novo et circumstantiis magis accomodato archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum earumque chori quotidiano servitio statuta a capitulo sub inspectione et approbatione Episcopi condantur. Iuxta hoc praescriptum statuta nostra condita et per approbationem Episcoporum vim legis nacta sunt. Dicitur quidem in Bulla: S. Tridentini decretis et constitutionibus Apostolicis minime adversantia; sed nec nostra statuta hisce constitutionibus adversantur. Si praecipitur: canonici quantum possunt, quotidie chorum frequentabunt et

diebus Dominicis et festis saltem summo sacro et vesperis omnes interesse debent: statutum huiusmodi constitutionibus generalibus non adversatur, sed modificationem solummodo continet, novis rerum circumstantiis, ut praecipit Bulla, accomodatam. Quodsi ex Reverendissimis, qui nunc provinciae dioeceses regunt, Episcopis aliquis sentiret, statuta capituli constitutionibus generalibus nimium derogare, coniunctim cum capitulo rem sanctae Sedi Apostolicae decidendam proponere posset. Si vero per decretum concilii provincialis constitutiones generales capitulis simpliciter inculcarentur, nullo ad statuta legitime condita habito respectu, capitula cathedralia publice accusarentur, quasi obligationibus suis hucusque minime satisfecissent.

Mutandum: 4) Paragraphus: Ad ordinem sustinendum . . . videtur delenda. Quod si non placuerit, solummodo dicendum esset: Capitulum aliquem praesentiarum qnem vocant punctatorem constituet, qui absentes accurate notabit et capitulo deferet.

Motivnm: Capituli est freqnentationi chori invigilare, absentes notare et per subtractionem distributionum corrigere, iuxta Bullam: De salute, sub verbis: Singulorum praesentiis et absentiis notandis.

Mutandum: 5) In paragrapho: Qunm ecclesiae cathedrales . . . . . . passus finalis, incipiens a verbis: sumptus, qui in scholam . . . . . . delendus videtur.

Motivum: Fabrica ecclesiae cathedralis ad scholam choralem, quae toti dioecesi inservit, sustentandam tantum solummodo contribuere debet, quantum officium divinum in ipsa cathedrali ex ea schola subsidium et adiumentum capit. Summa annua a capitulo determinanda erit, quia administratio fabricae capitulo competit.

Mutandum: 6) Paragraphus: Episcopi curabunt . . . . . videtur delenda, quia, quo casu concionator auxiliaris necessarius est, inter Episcopum et capitulum conveniendum erit. Quodsi omissio non placet, in fine dicendum: Remunerationis summam capitulum approbante Ordinario definiet, qui concionatorem vero auxiliarem nti et theologum libere depntabit.

Motivum nti ad Nr. 5.

Mutandum: 7) Paragraphus: secundum Pontificale Romanum . . . . . . videtur delenda, quia sufficiet, uni vicariorum tanquam sacristano inspectionem sacristiae, aedituorum et puerorum ministrantium committere. Sin minus placuerit, in fine ponendum erit: Eius salarium capitulum constituet. Vocabitur vero et revocabitur ab eo, cui de iure et consuetudine competit nominare aedituos.

Motivum nti ad Nr. 5. Concilium provinciale non intendit, iuri tertii derogare.

Quae quum Eminentissimo et Reverendissimo Praesidi et Illustrissimis Reverendissimis Patribus concilii provincialis summa cum reverentia proponimus, iura capitulorum hisce expresse reservamus atqne humil-

lime petimus, ut Eminentissimus Reverendissimus Metropolita et Illustrissimi Reverendissimi Episcopi tenorem decreti de hac materia ferendi nobiscum communicare gratiosissime velint. Partibus quippe nostris nos satisfecisse non putaverimus, nisi capitulis nostris tenorem decreti emissi et approbationi sanctae Sedis Apostolicae subiiciendi una cum propositione hac et reservatione nostra atque copia capitis quinti partis secundae typis impressi, quatenus capitulorum iuribus praeiudicium parat, exhibuerimus.

Coloniae die 12. Maii 1860.

Procuratores capitulorum cathedralium:

Franciscus Boner, canonicus Trevirensis, unicus procurator capituli Trevirensis.

Fridericus Felix Menke, praepositus Monasteriensis.

Casparus Franciscus Krabbe, decanus Monasteriensis.

Ioannes Peine, canonicus ecclesiae cathedralis Paderbornensis.

Fr. Casparus Drobe, canonicus ecclesiae cathedralis Paderbornensis.

Propositioni et reservationi supradictis, in quantum iura capituli metropolitanae ecclesiae Coloniensis tangunt, accedimus:

Petrus Nicolaus Schweitzer. Nicolaus München.

Seniores capituli metropolitani Coloniensis.

Lectum denique et deliberatum est secundae partis caput vigesimum agens de cantu ecclesiastico.

Capitibus omnibus supradictis recitatis et sedulo expensis, placuit Patribus, hanc congregationem generalem finire ceteraque capita discutienda ad congregationem generalem, feria secunda proxime sequenti, quae erit decima quarta Maii, habendam remittere. Absoluta est denique congregatio hora duodecima et dimidia oratione: Deus cuius misericordiae, et suffragio: Sub tuum praesidium, et omnes recesserunt in pace.

Actum ut supra:

Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, praeses seminarii archiepiscopalis, protosecretarius.

Casparus Antonius Heuser, iuris canonici doctor et professor seminarii archiepiscopalis, secretarius.

8) Congregatio generalis quinta et ultima.

Actum Coloniae die 14. Maii 1860.

Feria secunda, quae fuit decima quarta Maii, hora octava et dimidia matutina, Eminentissimo Archiepiscopo praeside, congregatio generalis quinta, quae fuit ultima, habita est in aula maiori palatii archiepiscopalis.

Dicta oratione: Adsumus, succincta enarratio eorum, quae in congregatione generali quarta acta fuerant, lecta et approbata est.

Recitata deinde et more consueto deliberationi omnium synodalium

submissa sunt capita reliqua secundae partis decretorum, incipiendo a capite vigesimo primo, post quod caput sub nr. XXII. interiectum, agens de ieiunii et abstinentiae praecepto, ita ut caput de scholis elementaribus, quod numero vigesimum secundum erat, vigesimum tertium factum sit, et pari modo sequentium quoque capitum numerus augendus.

Quum congregatio particularis quinta proposuisset, ut in decretis exprimeretur, quantum concilium provinciale exoptet, partem disciplinarum philosophicarum nec non theologiam dogmaticam et moralem latino sermone in facultatibus theologicis doceri, delegati facultatum theologicarum, rationibus, quibus ducerentur, additis, exposuerunt, se in hoc voto unanimiter consensisse: non expedire neque exsecutioni mandari posse, ut linguae latinae usus in praelectionibus theologicis quibuscumque adhibeatur, sed augendae et excolendae sermonis latini peritiae multum prodesse posse, ut exercitationes practicae de disciplinis theologicis sermone latino instituantur; ea de re iudicium sapientissimo consilio et dispositioni singulorum Episcoporum relinquendum. Delegatorum preces admittens Eminentissimus Praeses, consentientibus Patribus, eorum expositionem et votum actis adnectendum esse iussit.

Omnibus ergo, quae supererant, capitibus mature deliberatis, Eminentissimus Metropolita exponit, quum iam congregationes particulares et generales officio satisfecissent, iuxta decretum in prima congregatione promulgatum statuta typis expressa restituenda esse, quod scopus, ob quem tradita fuerint, iam obtentus sit.

Exemplaria ergo synodalibus tradita ab ipsis secundum ordinem reddita sunt.

Addidit Eminentissimus Praeses, consensu Patrum desuper erogato, actionem concilii non perfici, nisi promulgatione decretorum a Sede Apostolica approbatorum; eousque igitur decretum de silentio observando obligare.

Transit deinde Eminentissimus Archiepiscopus ad petita procuratorum capitulorum cathedralium, exponendo: instrumentum, in congregatione generali praecedenti ab eis traditum, fuisse quidem a Patribus ad acta admissum, sed ea conditione, ut nullo modo protestationis loco habeatur, quae Patrum libertatem in statuendis decretis impedire possit, atque tantummodo eum ad finem, ut exceptiones diligentissime examinarentur; et illud iam perfectissime factum esse. Praeterea triplicem in dicto instrumento petitionem additam fuisse: 1) Ut copia decreti in statutis, quae typis impressa sunt, propositi procuratoribus capitulorum traderetur; 2) ut iisdem traderetur copia decreti de capitulis ferendi et approbationi Sedis Apostolicae subiiciendi; 3) ut exhiberetur similiter copia instrumenti, Patribus ab iisdem traditi, eum in finem, ut, domum reversi, haec omnia cum capitulis suis communicarent. Priusquam Patrum decisionem de hoc negotio exquireret, quaerendum sibi esse, num duo canonici capituli cathedralis Coloniensis suo vel

capituli nomine subscripserint. Respondit Pl. R. D. praepositus capituli Monasteriensis, duos illos Colonienses canonicos a se rogatos, proprio nomine, non vero capituli nomine subscripsisse. Porro Eminentissimus Metropolita edixit, sententiam suam de re agitata eam esse: Si praetendi vellet, non esse concilii provincialis, sed capitulorum singulorum ea ordinare, quae ad ipsa spectent, id in iure non fundari; siquidem Tridentinum Sess. XXIV. cap. 12. de ref. praeter alia expresse statuisse, ut, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si quae huiusmodi, synodus provincalis pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribat. Huic decreto Tridentino inhaerentes Patres huius concilii sane nil aliud velle, nisi quod pro provinciae utilitate et rerum conditione ad abusus, si qui adsint, tollendos vel praeveniendos et ad capitulorum aestimationem augendam ubique congruum sit et bono ordini conveniat. In decreto de capitulis cathedralibus ab hoc concilio condendo omnia ad amussim facta esse, quae a procuratoribus secundum canones expostulari possent. Singulas decreti paragraphos, non calamo et paucis exemplaribus conscriptas, sed ad maiorem commoditatem typis exaratas, singulis procuratoribus iam ab initio concilii esse traditas et eorum manibus per tres hebdomadas ad accuratissimam earum examinationem esse relictas, easdemque paragraphos in congregatione diligentissime esse examinatas, ac cuique liberrimam, quid sentiret, aperiendi facultatem concessam fuisse. Sed ita procedendo omnia servata esse, quae a procuratoribus expostulari potuissent. Capitula ad concilium rite fuisse citata, procuratores esse auditos, eosque sententiam liberrime aperire potuisse; sed ultra ea, quae facta sint, capitulis nullum ius competere, atque idcirco triplicem procuratorum petitionem admitti non posse, quin capitulorum procuratores et capitula ipsa idem cum Patribus ius, nempe ius votum decisivum in concilio emittendi, sibi arrogarent; id autem fieri, si procuratores praetenderent, ut statuta non nisi cum eorum consensu definirentur, atque ut ipsis statutorum copia traderetur, de quibus, domum reversi, cum capitulis circa eorum adhaesionem vel reiectionem deliberarent. De hisce capitulorum praerogativis in iure nihil inveniri. Quae quum ita se haberent, per se liquere, procuratorum petitis cedi non posse, immo perspectum esse, quod Patres, eiusmodi petitionibus satisfaciendo, munus suum negligerent propriaque iura et episcopalem libertatem et auctoritatem laederent; id vero ipsis minime licere. Omnibus igitur perpensis, nec levissimam speciem iuris huic capitulorum petitioni assistere, eodemque iure etiam academias, decanos, parochos et quoscumque alios, de quorum obligationibus in concilio provinciali aliquid statuendum esset, postulare posse, ut non solum ipsorum praeviae deliberationi, sed etiam consensui subiicerentur, ac cum ipsis communicarentur, quae Reverendissimi Patres decernere et sanctae Sedi

recognoscenda subiicere vellent. Quapropter, ita Eminentissimus Praeses expositionem conclusit, sententiam suam eam esse, petitionem procuratorum admitti non posse nec esse admittendam. Postea addidit, se nunc ex Patribus concilii quaerere, num ipsis placeret, sententiam expositam approbare eique consentientes declarare, procuratorum petitiones admittendas non esse. Patres omnes secundum ordinem responderunt: Placet. Quo facto Eminentissimus Praeses prosecutus est, se nunc ex unanimi decreto et consensu Reverendissimorum Patrum declarare, triplex procuratorum petitum non admittendum esse neque admitti.

Deinde Eminentissimus Praeses pro sua benevolentia synodalibus omnibus de adiumento, quod Patribus consilio, rerum experientia, eruditione, sapientia attulerint, Suo et Patrum Reverendissimorum nomine gratias egit quam benignissimas, addens, concilii Patres bonum ordinem et rectam disciplinam prae oculis habuisse, et quidem omni cum mansuetudine in eum finem intendisse, memores tamen gravissimae rationis coram Deo omnipotente reddendae; se sperare, largam Spiritus sancti benedictionem opus tam feliciter coeptum feliciter perfecturam, ut in honorem Dei et in salutem animarum conducat.

Denique Eminentissimus Praeses de consensu Reverendissimorum Patrum edixit, sessionem solemnem quartam celebrandam esse in ipso festo Ascensionis Domini, videlicet die decima septima Maii, in metropolitana ecclesia hora octava matutina.

Quibus omnibus finitis congregatio haec ultima generalis absolvitur hora fere prima post meridiem oratione: Deus, cuius misericordiae, et suffragio: Sub tuum praesidium. Et omnes recesserunt in pace.

Actum ut supra:

Elbertus Guilelmus Westhoff, ss. theologiae doctor, Sanctitatis Suae ab intimo cubiculo, praeses seminarii archiepiscopalis, protosecretarius.

Casparus Antonius Heuser, iuris canonici doctor et professor seminarii archiepiscopalis, secretarius.

9) Sessio solemnis quarta et ultima.

Actum Coloniae die decima septima Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen.

In festo Ascensionis Domini, anno et die quibus supra, celebrata est in ecclesia metropolitana Coloniensi provincialis concilii sessio solemnis ultima. Pulsatis iterum totius civitatis campanis et processione ab ecclesia S. Andreae ad summam aedem instituta, eodem modo et ordine, quo in prima sessione solemni, Eminentissimus Archiepiscopus missam solemnem celebravit ceteraque omnia, quae in Pontificali pro hac ultima sessione praescripta sunt, rite peregit.

Quibus absolutis promotor primus instituit pro continuanda publicatione decretorum, quae supererant, et primus secretarius accepta decreta alternando cum secundo ex ambone praelegit. Lecta est autem tota pars secunda decretorum, capite primo et quarto exceptis, et ultimo loco ex prima parte caput vigesimum, tractans de beatissima Virgine Maria.

Finita lectione secretarius cum notario Reverendissimos Patres adiit, singulos interrogans, num decreta ipsis placerent, et singuli responderunt: Placent. Quo responso ad Eminentissimum Archiepiscopum relato, ipse dixit: Decreta placuerunt omnibus Patribus, ideo agendae sunt Deo gratiae. Et omnes responderunt: Deo gratias.

Deinde promotor secundus instituit pro delectu testium synodalium his verbis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Antiquus mos in conciliis provincialibus observatus exigit, ut duo saltem testes synodales pro qualibet dioecesi deligantur et nominentur. Quam ob rem ego, huius concilii constitutus promotor, insto et devotissime oro, ut Eminentia Vestra decretum de eligendis et electis testibus synodalibus promulgandum decernere dignetur. Eminentissimus Dominus dixit: Ita decernimus et mandamus. Quo facto secretarius accepit decretum nominationis testium illudque ex ambone praelegit.

Decretum de testibus synodalibus.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, etc.

Quum usus in celebrandis conciliis provincialibus postulat, ut pro qualibet provinciae dioecesi duo viri ecclesiastici, aetate moribusque graves, prudentes ac vitae et disciplinae purioris amantes, ut testes synodales eligantur et constituantur, quorum munus est, diligenter attendere, ut constitutiones et decreta ab hoc concilio condita, postquam, obtenta Apostolica recognitione, publicata fuerint, in provincia ubique exsecutioni mandentur, quibusque praeterea incumbit, de omnibus, quae ab exitu huius synodi usque ad proximum concilium provinciale Ecclesiae ordini rectaeque disciplinae obstantia, quosque defectus vel abusus tam in clero, quam in populo dioecesis suae per concilium tollendos interea compererint, ad provinciae Metropolitam vel iam ante futurum concilium, si id postulatum fuerit, vel postea concilio congregato sincere et veraciter referre: hinc eundem usum retinentes duos testes synodales pro qualibet dioecesi eligere et nominare decrevimus. Nominamus igitur testes synodales:

1) Pro archidioecesi Nostra:

a. Adm. R. D. Petrum Christianum Schnepper, parochum primarium ad S. Columbam, capituli parochorum Coloniensium decanum et ordinariatus nec non officialatus Nostri assessorem;

b. Adm. R. D. Henricum Broix, parochum primarium ad S. Mariam in Capitolio.

2) Pro dioecesi Trevirensi:
- a. Adm. R. D. Iacobum Kraft, ss. theologiae doctorem et in seminario maiori Trevirensi professorem;
- b. Adm. R. D. Iacobum Marx, in seminario maiori Trevirensi professorem.

3) Pro dioecesi Monasteriensi:
- a. Pl. R. D. Ioannem Guilelmum Kres, ecclesiae cathedralis Monasteriensis canonicum et seminarii episcopalis maioris rectorem;
- b. Adm. R. D. Antonium Berlage, ss. theologiae doctorem et in academia Monasteriensi professorem.

4) Pro dioecesi Hildesiensi:
- a. Pl. R. D. Antonium Hagemann, ecclesiae cathedralis Hildesiensis parochum;
- b. Adm. R. D. Iosephum Koch, ss. theologiae doctorem et in seminario Hildesiensi professorem.

5) Pro dioecesi Paderbornensi:
- a. Pl. R. D. Robertum Degenhardt, ecclesiae cathedralis Paderbornensis canonicum nec non eiusdem ecclesiae parochum;
- b. Pl. R. D. Franciscum Schumacher, Sanctitis Suae ab intimo cubiculo, protonotarium Apostolicum, nec non parochum et praepositum ecclesiae ad S. Udalricum.

6) Pro dioecesi Osnabrugensi:
- a. Pl. R. D. Ioannem Gerardum Buss, ecclesiae cathedralis Osnabrugensis canonicum;
- b. Pl. R. D. Ioannem Henricum Franksmann, ecclesiae cathedralis Osnabrugensis canonicum.

Quorum qui aderant, ad Eminentissimum Archiepiscopum advocati, coram ipso iuramentum, se testis synodalis munus sincere expleturos esse, super evangelium praestiterunt in hunc modum:

Iuramentum testium synodalium.

Ego N. N. testis synodalis ab Eminentissimo et Reverendissimo Metropolita pro dioecesi N. N. nominatus promitto, spondeo et iuro, amodo et postmodum, quidquid quocumque modo audivero ac certo compertum habuero, quod in exsecutione decretorum huius concilii, postquam legitime publicata fuerint, desideraretur, aeque et omnia, quae ab exitu huius synodi usque ad proximum concilium provinciale Ecclesiae bono ordini sanaeque disciplinae obstantia, quosque defectus vel abusus tam in clero, quam in populo dioecesis meae per concilium tollendos cognovero, Metropolitae iam ante futurum concilium, si id a me postulatum fuerit, vel postea concilio congregato sincere et veraciter me relaturum esse; sic me Deus adiuvet et haec sancta evangelia.

De ceteris autem testibus supra memorato decreto nominatis, qui absentes erant, Eminentissimus Archiepiscopus mandavit, ut ipsi idem iuramentum, quod supra relatum est, in manus proprii Episcopi emitterent, de quo facto postea Reverendissimi Praesules Metropolitam certiorem redderent.

Post haec promotor institit pro subscriptione concilii his verbis: Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater! Quum post promnlgationem decretorum, quae in hoc concilio, Deo adiuvante, condita sunt, quaeque omnibus Patribus placuerunt, adhuc illnd supersit, nt Patres, antequam discedant, concilio subscribant: ego huius concilii promotor insto et exoro, nt Eminentia Vestra decretorum subscriptionem faciendam decernere dignetur. Eminentissimus Archiepiscopus dixit: Ita decernimus et mandamus. Quo facto secretarius accepit decretum de subscribendis statutis illudque ex ambone praelegit.

Decretum de subscribendis statutis.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, etc.

Postquam, auxiliante Deo, eo pervenimus, ut omnia, qnae huic concilio deliberare, statnere ac definire placuit, nunc peracta sint et absoluta, fraterna caritate obsecramus et admonemus Illustrissimos et Reverendissimos Patres, qui huic synodo intersunt, ut secundum Nos singuli loco et ordine ad altare maius accedant et iis, quae in hoc concilio provinciali statuta et definita sunt, snbscribant.

Decreto praelecto omnes Patres secundnm ordinem accesserunt altare, in cuius mensa in cornu evangelii qnatuor exemplaria omnium decretorum in unum collectorum posita erant, quibus Eminentissimus Archipraesul primus ac deinde ceteri Reverendissimi Episcopi Ordinarii subscripserunt.

Finita subscriptione promotor institit pro indictione proximi concilii provincialis dicens: Eminentissime et Reverendissime Pater! In conciliis provincialibus usus viguit, ut in fine ultimae sessionis tempns concilii subsequentis praefigeretur atque promnlgaretur. Quare ego huius concilii promotor insto et oro, nt Eminentia Vestra inxta eundem usum tempus celebrandi concilii provincialis proximi iam nunc determinare et praefigere ac decretum de futuri concilii termino promnlgandum mandare velit. Eminentissimus Archiepiscopus respondit: Ita decernimus et mandamus. Et secretarius ex ambone praelegit decretum, e quo anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio celebrandum est proximnm concilium proviuciale. Tenor huius decreti hic fuit:

Decretum de proximo concilio provinciali.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, etc.

Antiquum conciliorum provincialium morem, quo in fine ultimae sessionis tempus concilii subsequentis proximi praefigitur, sequentes, de assensu Illustrissimorum et Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium Nostrorum statuimus et decernimus, proximum subsequens concilium provinciale anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio celebrandum esse, ita tamen, ut hic terminus contrahi aut prorogari libere possit, prout rerum ac temporum ratio in provincia nostra Ecclesiae incremento et prosperitati conducere videbitur.

Denique promotor institit pro fine concilio imponendo dicens: Eminentissime et Reverendissime Pater! Postquam ea omnia, quae Patribus in hoc concilio deliberare et statuere placuit, Deo auxiliante, feliciter peracta et ad finem deducta sunt, et pastoralis cura Reverendissimos Episcopos, qui huic synodo intersunt, ad gregem ipsis creditum revocat: ego huius concilii promotor insto et devotissime peto, ut Eminentia Vestra huic concilio finem imponere et decretum de concilio finiendo et finito promulgandum decernere dignetur. Metropolita dixit: Ita decernimus et mandamus, si ita Reverendissimis Patribus placeat. Et secretarius ascendit ambonem et dixit: Illustrissimi et Reverendissimi Patres! Placetne Vobis ad Dei omnipotentis gloriam huic concilio finem iam fieri? Et Eminentissimus Metropolita ac Reverendissimi Patres a secretario et notario interrogati singuli responderunt: Placet. Quo responso ad Eminentissimum Archiepiscopum delato ipse dixit: Placuit omnibus Patribus. Itaque decernimus huic synodo Nostrae provinciali finem fieri et iam factum esse. Et secretarius decretum de concilio finiendo ab Eminentissimo Archiepiscopo acceptum ex ambone promulgavit:

Decretum de concilio finiendo.

Ioannes S. R. E. Presbyter Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis, etc.

Quum omnia, quae hoc concilium provinciale deliberanda, statuenda et decernenda sibi proposuit, Deo adiuvante, iam peracta et ad finem deducta sint, nihilque supersit, quod deliberandum foret, praetereaque pastoralis cura Reverendissimos Patres, qui huic synodo intersunt, ad gregem eorum sollicitudini subditum revocet: de assensu eorundem Reverendissimorum Patrum statuimus et decernimus, huic synodo Nostrae nunc finem fieri et iam factum esse. Deo gratias.

Decreto promulgato promotor primus notarios allocutus est his verbis: Ego huius concilii promotor admoneo et rogo vos venerabiles huius concilii notarios constitutos, ut pro officio vestro omnes, qui hac ultima sessione adfuerunt, diligenter annotetis atque omnium, quae in hoc concilio tractata et peracta sunt, accuratam ac fide dignam relationem conficiatis. Ad quae primus notarius respondit: Conficiam.

Post haec Eminentissimus Archipraesul hanc ad concilium habuit orationem:

Illustrissimi et Reverendissimi Patres,

Plurimum et admodum reverendi synodales dilectissimi!

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius, et veritas Domini manet in aeternum.

Ita profecto est: veritas Domini manet in aeternum, et super nos confirmata etiam est misericordia eius. Exsultat cor meum in Domino. Opus, quod gravissimum erat et difficillimum, quod non sine magno labore sumus aggressi, maiori etiam continuavimus, perfectum absolutumque est. Quodnam opus? Concilium provinciale celebravimus, opus gravissimum sane satisque arduum: nec tamen arduum, si, quae a nobis tractanda erant, perpendimus. Nostrumne erat, in hoc concilio novam praedicare fidem novamque constituere Ecclesiam? Minime vero. Non agebatur inter nos de veritate recens detegenda nec de construenda Ecclesia aliqua aevi futuri. Revelationem non quaesivimus hucusque inauditam, doctrinam novam non tradidimus, insolita dogmata non condidimus, novos fidei articulos non excudimus. Nec disceptatum inter nos est, quos quis articulos vellet admittere, quidve credere sibi placeret. Nec nova instituimus sacramenta, neque in iis, quae instituta sunt, unum aut alterum tanquam obsoletum reiecimus. Pari modo nec novam constituimus Ecclesiae disciplinam, nec novam vitae christianae praescripsimus normam. Quid ergo? Toti in eo eramus, ut, quae Apostoli a Domino nostro Iesu Christo edocti tradiderunt, quaeque Ecclesia per ipsos fundata tot retro saeculis tenuit ac docuit, eadem et nos integre et sincere recipientes conservaremus. Itaque nil nobis antiquius erat, quam ut tot Patrum vestigia secuti eandem cum ipsis fidem profiteremur, antiquam restauraremus Ecclesiae disciplinam, abusus, si qui essent, perstringeremus. Quid multa? Omnis noster labor studiumque omne eo ferebatur et fertur, ut, quae depravata sunt, convertantur, quae disrupta, consolidentur, quae infirma, sanentur et corroborentur, atque ita tam in nobis, quam in clero et populo vita catholica renovetur et augeatur.

Ecce quem in rebus definiendis et statuendis finem prae oculis habuimus, et ad quem assequendum Deus mire nobis adfuit. Quum enim probe perspectum haberemus, omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum (Iac. 1, 17.): Dei implorato auxilio opus nostrum incepimus, Deo adiuvante prosecuti sumus. Ut nauta septentrione, stella lucida, duce tutum prosequitur iter, ita et nos, stella radiante ducti, prosperum tenuimus cursum. Neque enim circumiecti sumus fluctibus in errorum gurgite vasto; neque opinionum ventis agitati, aut nebulosis hominum commentis decepti huc illuc erravimus, scopulis tandem illidendi aut syrtibus. Praelucebat videlicet nobis crux illa Domini, in Ro-

mana petra erecta et in toto terrarum orbe radiis resplendens, qua duce crucis doctrinam fidemque Crucifixi professi sumus. Et quo ulterius progrediebamur, eo vehementiorem in nobis sentiebamus Spiritus sancti afflatum. Nonne cor nostrum ardens erat et magis magisque incendebatur, quum veritates illas meditaremur aeternas, quibus tanquam cardinibus vertitur sancta nostra religio? Evolvebamus ante oculos nostros coelestis doctrinae thesaurum, aperiebamus sacramentorum fontem e corde Salvatoris transfosso gratiis innumeris scaturientem, expandebamus vitae christianae multiplicem disciplinam; atque in his omnibus reperiebamus verum Dei opus, veram Christi Ecclesiam, quam sponsam ornatissimam gratiarumque divitiis cumulatam sanguine suo acquisivit pretiosissimo. Quae omnia intuiti et admirati laetabamur sancta laetitia, nos tantae matris esse filios, quos e Spiritu sancto et aqua peperit, coelestis doctrinae lacte nutrit, pane Angelorum pascit, sinu suo ab incunabulis ad sepulchrum usque fovet et custodit, denique inter Patris misericordiarum brachia salvos deponit.

Et vero magis meditando, quam docendo, magis exponendo, quam definiendo in concilio progressi sumus. Unde factum est, ut Reverendissimi concilii Patres in omnibus, quae a nobis decreta et statuta sunt, unanimes, voce una unoque voto semper inter se convenerint et statuerint. Persuasum enim sibi habebant, eiusdem augustissimae matris se esse filios, quos unus idemque Spiritus sanctus posuit Episcopos, quosque unius eiusdemque sacri ordinis chrisma unxit, unumque pacis et caritatis coniungit vinculum.

Opere nostro ita ad finem feliciter deducto, superest, ut decreta et statuta a nobis condita summo sanctae Sedis Apostolicae arbitrio submittamus. Ab illa enim Ecclesia Romana, quam omnium ecclesiarum matrem et magistram, doctrinae et disciplinae supremam custodem ex animo veneramur, quaecunque synodus nostra provincialis statuit, examinanda sunt, ut, quae forte minus recte definita fuerint, emendentur, et quae recte statuta, recognoscantur, atque omnia a summo Ecclesiae Capite sancita maiorem auctoritatem adipiscantur novumque inter Ecclesiam matrem et provinciam Coloniensem unitatis et caritatis vinculum efficiant.

Iuxta canonicas sanctiones nunc Vos, Illustrissimi et Reverendissimi Patres, ex hoc concilio in nomine Domini dimittere meum est; quod quidem facere non possum, quin Vobis gratias referam maximas. Dies Vobiscum in concilio peracti iucundissimi mihi acciderunt. In omnibus enim deliberationibus, quotquot habuimus, egregiam, qua excellitis, sapientiam, prudentiam sollicitudinemque pastoralem non minus, quam augendi divini honoris et promovendae Ecclesiae prosperitatis studium, ac salutis animarum procurandae zelum eximium animadvertere et admirari gratissimum mihi erat. Suscipite igitur gratias, quas Vobis persolvere gestio. Revertimini nunc ad gregem curae Vestrae pastorali creditum. Qui vero animarum summus Episcopus ad oves pascendas Vos vocavit, refundat super Vos uberrimum gratiarum thesaurum in Vestram gregisque Vestri omnigenam

salutem. Quod Vobis et mihi benignissimus Deus elargiri velit per misericordiam suam.

Nec minus vos quoque, plurimum et admodum reverendi synodales, qui nobiscum in hoc concilio consedistis, nunc in Domino dimittens, laetissime alloquor vobisque omnibus, qui sincero animo zeloque eximio labores nostros conciliares promovere studuistis, gratias ago maximas. Ecclesiae nostrae gratulor ac nobis Episcopis gaudeo; nam in deliberationibus, quas nobiscum mirifico zelo prosecuti estis, tot inter vos sacrae scientiae et doctrinae, eruditionis et rerum gerendarum peritiae, nec non sensus in Ecclesiam propensissimi specimina animadvertimus, ut persuasum nobis fuerit, in provincia nostra praeclare se habere rem catholicam.

Denique et Tibi, Celsissime et Reverendissime Princeps-Episcope, Patrum ac meas gratias reddere iucundissimum mihi est. Licet vinculo provinciali exemptus Apostolicae Sedi immediate subsis, ac ceteroquin copiosissimis in administranda Tua dioecesi vastissima negotiis retentus videreris, mirifico tamen zelo ductus ex remotioribus regionibns huc properasti, ut sponte concilii nostri labores susciperes. Quam laeto animo in concilium Patres Te receperint, Tibi persuasum est. Gratulamur nobis de auxilio, quo deliberationes nostras egregia Tua sapientia et pastorali prudentia promovisti quibnsque ad decreta et statuta feliciter condenda haud parum contribuisti. Accipe igitur grates Tibi merito oblatas cum votis, quibus Te ad gregem revertentem, faustissima quaecunque precantes, ex animo prosequimur.

E concilio in pace discessuri Patres statuerunt, termino, quantum fieri poterit, canonico ad alterum concilium provinciale se esse conventuros. Speramus enim fore, ut omnipotentis Dei gratia, quae concilia, tam diu intermissa, tam feliciter restaurare nobis concessit, etiam deinceps eorum seriem producere largiatur. Sed tempora vivimus difficillima. Christi Sponsa undequaqne impugnatur; Principis Apostolorum Cathedra ab innumeris inimicis impetitur, atque tam gloriose in ea sedens Sanctissimus Pater noster Pius IX. angustiis et doloribns acerrimis premitur et contristatur. Oremus igitur et orando instemns, ut, intercedente beatissima Virgine Maria sine labe originali concepta, Deus optimus maximus sanctae Ecclesiae et Apostolicae Sedis hostium conatus reprimere, pacem et concordiam donare, ac Sanctissimum nobisque dilectissimum Patrem et Dominnm nostrum Pium IX. in orbis christiani solatium et laetitiam, atque in Ecclesiae suae salutem et gloriam incolumem semper servare dignetur.

Quis ex nobis ad futurum concilium provinciale conventurus sit, nescimus. Nam quae futura sunt, Deus solus novit. Sed id certo confidimus et speramus fore, ut omnes, hic in Domino congregati, aliquando in Beatorum coetum assumpti coniungamur ante thronum Dei, cui soli sit benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo in saecula saeculorum. Amen.

Post orationem, Eminentissimo Archiepiscopo ac ceteris Reverendissimis Episcopis cum mitris stantibus ante infimum gradum altaris facie versa ad synodales, qui omnes surrexerunt, Illustrissimus et Reverendissimus Episcopus Paderbornensis, cunctis synodalibus acclamantibus, alta voce pronuntiavit sequentes acclamationes:

A. Sanctissimae et individuae Trinitati laus et adoratio ab omni creatura in perpetuas aeternitates!

R. Gloria laudis resonet in ore omnium Patri Filioque et Spiritui sancto ab utroque procedenti!

A. Deo ac Domino nostro Iesu Christo adoratio et sempiterna gloria!

R. Christum Regem adoremus!

A. Beatissimae Virgini, Dei genitrici, sine originali labe conceptae, gloria et cultus devotissimus!

R. Pulchra ut luna, electa ut sol! Te beatam dicunt omnes generationes! Tuo filio nos commenda, tuo filio nos repraesenta!

A. Sancto Petro, Apostolorum Principi, sancto Iosepho, sancto Mathiae, sancto Ludgero, sancto Liborio, sancto Bernwardo, sancto Wihoni, dioecesium nostrarum Patronis, omnibusque Sanctis iugis veneratio et supplicatio!

R. Potenti patrocinio adeste gregibus vestris, et omnia ab eis propulsate pericula!

A. Beatissimo Patri, Pio Papae Nono, fidei puritatis custodi, cultus beatissimae Virginis immaculatae promotori, ecclesiasticae libertatis et beati Petri patrimonii vindici!

R. Infractus in adversis animus, tutum contra omnes impetus praesidium, gloriosus de Ecclesiae Deique hostibus triumphus! Amen, Amen!

A. Eminentissimo Metropolitae, Ioanni, sapientissimo huius concilii Praesidi, conciliorum in hac provincia post tria saecula instauratori, gratiarum actio et aeterna remuneratio!

R. Benignissime Deus, Metropolitam nostrum multos in annos praesta incolumem, ut seminum, quae spargere eidem concessisti, laetus conspiciat fructus uberrimos!

A. Reverendissimis Episcopis, qui suam ad hoc concilium celebrandum operam contulerunt, gratiarum actio et faustus ad greges suos reditus!

R. Praesta, quaesumus, Domine Deus, ut quos famuli tui in cultu divino promovendo, clero educando et regendo, fide pietateque in populo promovenda impendunt labores, salutarem sortiantur effectum, ipsisque vitam aeternam propitius redde mercedem!

A. Reverendissimis Episcopis auxiliaribus, dignitariis et canonicis, omnibusque viris ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, qui in laborum partem adsciti sunt, salus et benedictio!

R. Confirma Deus, quod operatus es in eis, et dirige gressus eorum secundum eloquium tuum!

A. Omnibns huius provinciae sacerdotibns salus et plurimi cum exsultatione messis manipuli!

R. Adesto, Domine, famulis tuis, ut scrutentur legem tuam et custodiant illam in toto corde suo!

A. Populo urbis Coloniensis, fidelis semper Ecclesiae Romanae filiae, gratia et pax et prosperitas!

R. Copiosos gratiarum tuarum imbres, Domine, super populum tunm fidelem effunde, nt in vera fide perseveret, et innumerabilium Martyrum, qui hanc urbem suo illnstrarunt sanguine, vitae puritate premat vestigia — in aeternum! Amen.

Post haec Eminentissimus Archiepiscopus ascendit ad altare singulosque Episcopos ad eum accedentes amplexus est in osculo pacis, quod et ipsi inter se invicem distribuerunt. Deinde intonuit hymnum: Te Deum laudamns, qui ab omnibns synodalibus alternantibus organis cantatus est. Post hymnum dicta oratione: Nnlla est etc., ut in Pontificali habetur, Eminentissimns Metropolita solemnem benedictionem impertivit cum indnlgentia plenaria. Quibus peractis diaconus cantavit: Procedamus in pace. Et omnes responderunt: In nomine Christi. Amen.

Postremo Eminentissimus Archiepiscopus, depositis paramentis, et cappa magna indutus, ad portam primariam ecclesiae metropolitanae a synodalibns comitatus ibique cum ceteris Reverendissimis Episcopis thurificatus omnes in pace dimisit.

Et ita omnia acta esse, nt supra, testamur:

Dr. Mathias Henricus Kirch, notarius Apostolicus.
Adolphus Kolping, notarius Apostolicus.
Carolus Theodorus Dumont, notarius Apostolicus.
Franciscus Henricus Ruland, notarius Apostolicus.

D. ACTA CONCILII CELEBRATIONEM SUBSECUTA.

1) Litterae Eminentissimi Archiepiscopi, quibus acta et decreta concilii Sanctissimo Domino recognoscenda transmisit.

Sanctissime Pater!

Litteris benignissimis die 30. Iulii a. pr. datis, qnibus Sanctitas Vestra licentiam concilii provincialis convocandi mihi concedere dignata est, omni, qno par est, fervore obsecutus sum, atque maxima laetitia nunc referre pos-

sum, nos huius provinciae Coloniensis Episcopos denique post tria saecula, Deo auxiliante, eo pervenisse, nt synodum tam din intermissam rite potuerimus celebrare. Incoeptum est hoc concilium Dominica III. post Pascha, quae fuit 29. Aprilis h. a., et in festo Ascensionis Domini, 17. Maii, feliciter finitum. Praeter provinciae Suffraganeos: Trevirensem, Monasteriensem et Paderbornensem synodo nostrae interfuerunt qnoque Episcopi Hildesiensis et Osnabrugensis, qui utpote exempti secundum decretum Tridentinum Sess. XXIV. cap. 2. de. ref. Metropolitam Coloniensem vicinum sibi elegerunt. Nec minus summo nobis obtigit gaudio, quod et Princeps-Episcopus Vratislaviensis, pariter exemptus, quamvis eius dioecesis fere 150 milliaribus Colonia distet, attamen zelo vere pastorali ductus synodum nostram adierit, ubi non quidem nt Episcopus synodalis ad mentem decreti Tridentini (quod facere variae causae ei dissuadebant), sed nihilominus nt synodalis honorarius omnibus nostris consultationibus interfuit, atque sapientissimis suis consiliis maximo fervore et ad haud exiguum rei uostrae progressum feliciter nos adiuvit.

Quibus ita peractis nunc meum est, acta et decreta, quae in hoc concilio provinciali pro temporum et locorum conditione condenda esse existimavimus, Sanctitati Vestrae, summo doctrinae et disciplinae arbitro, recognoscenda et approbanda, aut, ubi opus fuerit, emendanda humillime offerre; nec minus hac occasione devotionis humillimae et obedientissimae subiectionis obtestationem, quam Episcopi in concilio nostro congregati erga sanctam Sedem Apostolicam et erga Principis Apostolorum Successorem, nunc eam tanta gloria occupantem, uno animo unaque voce professi sunt, ad sacratos Sanctitatis Vestrae pedes deponere, sanctum mihi est. Amantissimi Patris ac Domini nostri dolores, sollicitudines et anxietates, quibus cor Eius paternum hisce tristissimis temporibus premitur, cum Ipso sentientes, non cessamus cum ovibus nostris Deum omnipotentem sine intermissione exorare, nt omnes Ecclesiae inimicos brachio suo fortissimo profligare, eorum conatus exsecrandos confundere, ac Sanctitatis Vestrae personam augustissimam dilectissimamque in omnibus et ubicunque sospitem semper et incolumem servare velit.

Ad Sanctitatis Vestrae pedes sacratos provolutus, mihi et Coepiscopis ac gregibus nostris Apostolicam exoro benedictionem.

Coloniae die 15. Iunii 1860.

Sanctitatis Vestrae
humillimus devotissimus obedientissimus servus
† Ioannes Cardinalis de Geissel,
Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita.

2) Responsio Sanctissimi Domini Pii PP. IX.

Dilecto Filio Nostro Ioanni tituli S. Laurentii in Viminali Presbytero S. R. E. Cardinali de Geissel, Archiepiscopo Coloniensi,

Pius PP. IX.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex Tuis obsequentissimis litteris die 15. proximi mensis Iunii datis et amanter scriptis non levi certe iucunditate novimus, Dilecte Fili Noster, quanta cura studioque provinciale concilium (quod tribus abhinc saeculis, uti significas, minime fuerat habitum) a Te et Venerabilibus Fratribus Episcopis Tuis Suffraganeis sit celebratum. Ac pergratum Nobis fuit, ex eisdem Tuis litteris intelligere, eidem concilio praeter istius ecclesiasticae provinciae Suffraganeos interfuisse etiam Venerabiles Fratres Episcopos Hildesiensem, Osnabrugensem et Vratislaviensem. Iam vero quod attinet ad eiusdem concilii decreta et statuta, quae ex more institutoque maiorum supremo Nostro et huius Apostolicae Sedis iudicio subiicere curasti, optime noscis, Nos Congregationis Tridentinis tuendis interpretandisque decretis praepositae opera uti ad huiusmodi noscenda negotia. Quocirca eidem Congregationi iam in mandatis dedimus, ut eiusdem concilii provincialis acta recognoscat ac deinde omnia accuratissime ad Nos referat et congruum suo tempore Tibi det responsum. Interim vero haud possumus, quin de singulari Tua ac Tuorum Suffraganeorum pastorali sollicitudine summopere gratulemur, qua idem concilium fuit celebratum. Ac plane non dubitamus, quin a Te eisdemque Venerabilibus Fratribus omnia ad sacrorum canonum normam fuerint in eodem concilio exacta et ea praesertim inita consilia, quae in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate ad divinam nostram religionem eiusque salutiferam doctrinam tuendam, ad ecclesiasticam disciplinam sartam tectamque servandam, ad populorum pietatem morumque honestatem fovendam, ad inimicorum hominum errores profligandos ac nefarios reprimendos conatus valeant. Nihil vero Nobis gratius, quam hac etiam uti occasione, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam benedictionem, quam ex imo corde profectam Tibi ipsi, Dilecte Fili Noster, et Venerabilibus Fratribus Tuis Coepiscopis cunctisque clericis laicisque fidelibus Tuae et illorum vigilantiae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 19. Iulii anno 1860.

Pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Pius PP. IX.

3) Litterae Eminentissimi Cardinalis Caterini, S. C. C. Praefecti, de recognitione actorum et decretorum concilii.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Observandissime!

En iterum redit ad Eminentiam Tuam Coloniense provinciale concilium, ex praescripto Sixtinae Constitutionis, incipien. Immensa, ab hac sacra Congregatione, Tridentino iuri interpretando praeposita, expeusum et recognitum. Idem ipsum prosequi me debere gaudeo amplissimis laudum praeconiis, quibus honestandum gravi suo testimonio Eminentissimi Patres censnerunt.

In primis immortales Deo, misericordiarum Patri, gratiae sunt habendae, quod provincialium conciliorum usum, per tria et amplius saecula intermissum, Tibi, Eminentissime Domine, redintegrare datum fuerit. Subinde vehementer gratulandum est, quod opus hoc tam fausto ac felici exitu successerit, ut laetissima bonorum spiritualium seges optimo iure speranda sit. Sapientissime quidem duas in partes synodalia decreta divisa sunt, quarum una fidei doctrinam, Ecclesiae disciplinam altera complectitur; ex hoc enim duplici fonte res sacra universa deducitur. Porro quoniam inimicus homo etiam in dominico isto agro malorum contra fidem errorum zizania superseminare connititur, provide per vos factum est, ut vestro indicio et auctoritate sarta tecta ea dogmata servaretis, quibus periculum, qua palam, qna clam per insidias, ab inimicis crucis Christi creari cognoscebatis. Itaque praeclara a vobis praesertim de religione et fidei fundamentis, de sanctissima Trinitate, de Ecclesia, de sacramentis, ac de ultimo alterius vitae hominum fine exposita sunt. Subinde disciplinae robur tenacius adstringere solliciti, de personis et ministeriis ecclesiasticis non sine multo consilio ac diligentia saluberrima decreta edidistis. Hinc singulos ecclesiasticae hierarchiae ordines recensuistis, et suas cuique leges praestituistis officiorumque snorum implementum inculcastis. Quum insuper praesentes populorum vestrorum necessitates apprime calleatis, idcirco de illis ecclesiastici officii partibus singulatim permulta provisa voluistis, quae, quum a clero et populo in usum deducta fuerint, uberrimas ad cleri dignitatem servandam, ad spiritualem populi salutem tuendam, ad omnis rei sacrae incrementum promovendum utilitates derivabunt.

Sed enimvero per vos velnti communis excisus est fons aquae vivae, qui largiter effluens ad agrum dominicum irrigandum gregemqne cuique vestrum concreditum siti reficiendum abunde sufficiat. Per vos facillime intelligitis, loqui me de synodo dioecesana, in qua leges, a provinciali concilio generatim constitutas, ad proprias ovium vestrarum necessitates speciatim concinnetis oportet: ita enim spiritualis utilitas, quae a synodo provinciali exspectanda est, haud parum fructuosa torpebit, quin etiam centuplum dabit tempore suo.

Ceterum quae pauca sacra Congregatio praenotanda censuit, ea ex pagella, quae hisce litteris attexitur, Eminentia Tua dignoscet.

Haec habe nomine sacrae Congregationis; ego vero quod singulariter ad me pertinet, impensos animi mei sensus testatos velim Eminentiae Tuae, cui manus humillime deosculor

Romae 19. Decembris 1861.

Eminentiae Tuae
humillimus et addictissimus famulus
P. Card. Caterini Praefectus.
Petrus Archiepiscopus Sardianus Prosecretarius.

Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Coloniensi.

4) Litterae Sanctissimi Patris Pii PP. IX. de concilio Coloniensi.

Dilecto Filio Nostro
Ioanni S. R. E. Presbytero Cardinali de Geissel, Archiepiscopo Coloniensi ac Venerabilibus Fratribus eiusdem ecclesiasticae Coloniensis Provinciae Episcopis.

Pius PP. IX.

Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Summa illa laetitia, qua affecti fuimus, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, ubi accepimus acta provincialis synodi a Vobis tanto studio habitae, maiorem in modum est aucta, postquam eiusdem synodi acta a Nostra Congregatione Concilii Tridentini decretis tuendis interpretandisque praeposita ex more perpensa ad Nos relata fuerunt. Etenim singulari animi Nostri consolatione magis magisque intelleximus, quae sit eximia vestra religio, virtus, quaeque egregia sane vestrum omnium erga Nos et hanc Petri Cathedram, omnium ecclesiarum matrem et magistram, fides, amor, studium et observantia. Atque etiam novimus, quo domus et gloriae Dei et animarum salutis zelo Vos, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, incensi in eodem synodico conventu, collatis inter Vos consiliis, ea statuenda curaveritis, quibus in vestris dioecesibus quotidie magis sanctissimae fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiatur, et catholicae Ecclesiae doctrina propugnetur ac promoveatur, et cleri disciplina servetur, et populorum religio, pietas morumque honestas foveatur, excitetur, et quod aegrotum sit, sanetur, quod confractum, alligetur, quod abiectum, reducatur, et quod perierit, quaeratur. Quum autem Vobis apprime notae sint nefariae ac multiplices insidiae et monstrosa opinionum portenta, quibus Dei hominumque hostes in hac tanta temporum asperitate et iniquitate omnium animos mentesque corrumpere et acerrimum catholicae Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi bellum inferre ac iura omnia divina et humana delere connituntur, idcirco pro spectata vestra postorali sollicitudine in eadem

synodo haud omisistis, inimicorum fraudes detegere et errores hisce praesertim infelicissimis temporibus serpentes notare, refellere et coarguere, ne tam dirae contagia pestis oves curae vestrae commissas inficiant ac perdant. Itaque, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, Nobis temperare non possumus, quin hanc Vobis scribamus epistolam, qua Vobis etiam atque etiam ex animo gratulamur ac maximas meritasque tribuimus laudes, quod in commemorata provinciali synodo vestram omnem episcopalem vigilantiam explicantes intentissimo studio ea omnia peragenda curastis, quae ad maiorem Dei gloriam eiusque sanctae Ecclesiae et istarum dioecesium utilitatem pertinere posse existimastis. Nihil vero dubitamus, quin Vos divino auxilio freti pergatis maiore usque alacritate et contentione ministerium vestrum sedulo implere, catholicae Ecclesiae causam eiusque iura, doctrinam strenue tueri ac defendere, et gregis curae vestrae commissi saluti et incolumitati provide sapienterque prospicere. Denique pro certo habeatis velimus, nihil Nobis optatius esse, quam ut hac etiam occasione libentissime utamur, quo iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde profectam et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Dilecte Fili Noster ac Venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 7. Aprilis anno 1862.

Pontificatus Nostri anno decimosexto.

Pius PP. IX.

5) Litterae Eminentissimi Archiepiscopi Metropolitae, quibus acta et decreta concilii provincialis promulgantur.

IOANNES

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE SUB TITULO S. LAURENTII IN VIMINALI

PRESBYTER CARDINALIS DE GEISSEL

MISERATIONE DIVINA ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

ARCHIEPISCOPUS COLONIENSIS

ET PROVINCIAE COLONIENSIS METROPOLITA

EIUSDEM S. SEDIS APOSTOLICAE LEGATUS NATUS &c. &c.

Reverendissimis Fratribus Episcopis, venerabilibus capitulis metropolitano et cathedralibus, decanis, parochis, praepositis et superioribus regularibus, ceterisque Nostrae provinciae personis ecclesiasticis, laicisque fidelibus

Salutem in Domino.

Muneris episcopalis est, gregem dominicum coelesti pascere doctrina, salutaribus dirigere praeceptis, divinorum mysteriorum dispensatione divinique cultus moderatione supernae gratiae reddere participem. Quamvis coelesti freti auxilio ex eo, quo Dei et Apostolicae Sedis gratia Coloniensi praesumus metropolitanae ecclesiae, variis, quae suppetebant, rationibus, totisque, quas gratiarum auctor infirmo licet, sincero tamen servo nunquam non largitur, viribus id praestare sategerimus: modum tamen efficaciorem, qui in synodorum suppeditatur usu, adhibendum cum Venerabilibus Nostris in Episcopatu Fratribus decrevimus, quamprimum impedimenta, quae Episcoporum synodo olim obstabant, Deo favente, feliciter sublata et tempora, quae efficaciora admitterent subsidia, rediisse conspeximus.

Communibus enim, qui in Dei Ecclesiam omnemque revelatam religionem fiunt, incursibus communi etiam consilio iunctisque simul viribus et armis occurrendum censuimus. Quum porro in Clero nostro egregio vividior ubique effloresceret animarum zelus atque in Christi fidelium animis ferventior erga

Ecclesiam matrem iam se proderet amor, plurisque in dies fieri videremus, quae nullo non saeculo Ecclesia ad regnum Dei in terris promovendum sancte instituit legibusque sanxit: Nos cum Venerabilibus Fratribus provinciae Nostrae Episcopis in concilio congregatis, in unum quasi focum unamque flammam colligendos esse duximus eos, qui passim emicabant ardores ignneaque plurimorum desideria.

In concilio provinciali celebrando imprimis testatam publice et solemniter nostram omnium voluimus cum Romana Ecclesia Petrique Cathedra unionem et concordiam, quum persuasissimum nobis fuerit, eo tutius nos progressuros esse, quo arctius eius fidem et doctrinam ubique profiteremur eiusque disciplinae normam sequeremur. Ea igitur duce et magistra antiquum verae fidei depositum exposuimus, Ecclesiam eiusque hierarchiam divinitus institutam descripsimus, sacramentorum fontem vivificum aperuimus, sanam vitae vere clericalis et christianae disciplinam expandimus atque errores et abusus, quos in agrum dominicum irrepsisse deprehendebamus, reiecimus et perstrinximus. Id vero quam opportunum fuerit, quamque ex omnium animis et votis egerimus, rerum demonstravit eventus, quum summa semper in deliberationibus sese prodiderit erga Romanam Ecclesiam matrem observantia, summa in Petri successorem, omnium christianorum patrem et doctorem, obedientia, summum in eundem obsequium. Atque huius nostrae in Sedem principem, ad quam omnes ex orbe catholico, qua late patet, tamquam centrum et unitatis originem radii convergunt, venerationis et obsequii testimonium solemnius praebere tanto consultius visum est, quum, quotquot hodie implacabili in Dei Ecclesiam fremunt odio, in illam, cui superstructa est, petram saevos excitare fluctus non desistant. Ex eiusdem denique Sedis Apostolicae suprema auctoritate gravius etiam pondus accessurum esse censuimus iis, quae ex matura multorum deliberatione et communi pastorum definitione ad fidem

tuendam, ad salutis media rite administranda et ad disciplinam ecclesiasticam salubriter promovendam in concilio decrevimus ac statuimus.

Itaque omnia decreta, quae a Nobis et Venerabilibus Fratribus Nostris huius provinciae Episcopis in concilio unanimi voto condita sunt, sanctae Sedis Apostolicae summo arbitrio recognoscenda subiecimus atque eadem ab illa sancta Sede revisa et recognita nunc hisce Vobis exhibemus et auctoritate Nostra metropolitica promulgamus.


Accipite igitur doctrinam veterem sane et catholicam, quam tutam Vobis ipsis et edocendo populo in fide facem sequamini, quaque praelucente errores novos et singulares, quos inimicus homo in agro Domini superseminare connititur, eradicetis. Definitas inspicite muneris Vestri partes, ubi de potestatis ambitu officiove exsequendo oritur quaestio. Oculis Vestris subiecta cernite illa, quae in sacro ministerio obeundo diligentiorem requirunt curam et attentionem. Denique ubi de conversatione clericali agitur, sacerdotalis vitae, quod exhibemus, intuemini exemplar. Quae si observantur, ut ministri Christi inveniemur et fideles mysteriorum Dei dispensatores (I. Cor. 4, 1.).

Haec autem provincialis concilii nostri Coloniensis dum exhibemus et promulgamus decreta, simul mandamus et obsecramus in Domino, ut fideliter ab omnibus, ad quos spectat, deinceps observentur. Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis (Hebr. 13, 17.). Legum enim vel praestantissimarum quid iuvat subsidium, nisi vitae fiant regula actionumque norma! Prima autem lex, quae reliquas omnes fulciat et pervadat, illa sit, quam Spiritus sanctus in cordibus scribere et imprimere solet, divina videlicet caritas, qua diligimus, quod iubemur. Haec enim, si viguerit, vigebunt et reliquae, nec solum certius observabuntur, verum et suavius. Ceterum qui custodit mandatum,

custodit animam suam (Prov. 19, 16.). Quibus enim imponuntur, in eorum quoque gratiam feruntur leges, quum, quod e re communi est et totius corporis consulit saluti, id etiam in singulorum redundet commodum et membris singulis vitam conservet et vigorem. Unde quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia (Gal. 6, 16.).

Denique orando speremus fore, ut magnus ovium pastor in haec concilii nostri decreta uberrimos benedictionis suae coelestis fructus refundere atque ita opus Nostrum perficere velit in maiorem sui Ipsius gloriam, in totius provinciae prosperitatem et in animarum salutem.

Datum Coloniae in Aedibus Nostris archiepiscopalibus in festo Translationis sanctorum trium Regum, quae est dies vigesima tertia Iulii anni salutis millesimi octingentesimi sexagesimi secundi.



† Ioannes Cardinalis de Geissel,
**Archiepiscopus Coloniensis
et Metropolita.**

DECRETA
CONCILII A SANCTA SEDE RECOGNITA.

PARS PRIMA.
DE DOCTRINA CATHOLICA.

Prooemium.

„Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit".[1]) Fides est lucerna illa, quae lucens „in caliginoso loco"[2]) generi humano supernam ostendit civitatem, quae peregrinantibus nobis proposita est meta itineris. Est enim „fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium".[3]) Fides et viam ostendit, quam oporteat ingredi, et pericula, quae sint fugienda. Fides remedia exhibet, quibus, ne quis lassus in itinere deficiat, sit utendum. Haec arctissimo nos vinculo Deo adstringit, „in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi."[4]) Hinc a fide praedicanda Apostoli olim mundi convertendi fecerunt initium. Fides a gentibus suscepta mentis tenebras discussit, idolorum aras cultu infando celebratas evertit, pacem amicitiamque inter homines sociavit, et cupiditatum fregit iugum. Fide obfirmati cruciatus et mortem tot Martyrum subiere chori.[5]) Ut fidei depositum sartum tectum filiis suis transmitteret Ecclesia, longa saeculorum serie tot odia subiit, tam diras persecutiones sustinuit; ipsa suo nos exemplo hortata est, ut fidem catholicam eadem sinceritate teneamus eodemque animo profiteamur.

[1]) Hebr. 11, 6. — [2]) II. Petr. 1, 19. — [3]) Hebr. 11, 1. — [4]) II. Cor. 10, 5. — [5]) Hebr. 11, 36—39.

TITULUS I.

DE RELIGIONE ET FIDE GENERATIM.

CAPUT I.

De Dei exsistentia, religionis fundamento.

Ea iam, proh dolor! vivimus tempora, quibus non solum revelatae doctrinae quaedam capita, sed revelationem ac religionem totam omnisque adeo religionis fundamentum impugnari et in dubium vocari cernimus. Unde pastorum vigilantia eo allaborare debet, ut non tantum contra errores singulares, sed etiam contra infidelitatem ipsam, ubi luem tam funestam diffundi intellexerint, fidelium mentes muniantur. Quum e S. Augustini[1]) sententia „omnis vitae bonae ac beatae via in vera religione sit constituta, qua unus Deus colitur et purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, a quo universitas et inchoatur et perficitur et continetur": hinc Deus, etsi „lucem inhabitat inaccessibilem"[2]), tamen hanc primam, qua omnis superstruitur religio, veritatem hominibus reddidit manifestam.[3]) Etenim „invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles".[4]) Si vero iam excusari non potest homo, quum Deum, qui „non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra"[5]), non agnoscit: quanto magis reprobandus foret, si eundem Deum etiam conscientiae voce sibi loquentem nollet audire! Etenim testibus externis internum addidit Deus, quum homines ostendant „opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus

[1]) De vera relig. cap. 1. — [2]) I. Tim. 6, 16. — [3]) Ps. 52, 1. — [4]) Rom. 1, 20. — [5]) Act. 14, 16.

aut etiam defendentibus".[1]) Neque terrere solum et ad iudicem supremum agnoscendum etiam invitos voluit adigere, sed insito quoque felicitatis desiderio bonis delectabilibus inhaerentes ad se tamquam omnis beatitudinis fontem suavi impulsu invitat; unde fit, ut homo, postquam in bonis caducis felicitatem suam finemque frustra se quaesiturum cognovit, in Deo ipso supernae quandam praecipiat felicitatis suavitatem, fateaturque cum S. Augustino: „Tu excitas, ut laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te".[2]) Et quamvis homines non raro eo delapsi sint dementiae, ut operibus manuum suarum cultum soli Deo debitum prodigerent, tamen, repentinis casibus admoniti, ut Tertullianus [3]) refert, Dei imaginem imis quasi mentis penetralibus abditam recordati, ad eum, qui solus est Deus, opis petendae gratia sese convertere solebant; unde merito idem exclamat: „O testimonium animae naturaliter christianae!"

Diffitendum non est, nimio illo, quod cernimus, rerum caducarum studio, quo mens rebus corporeis quasi mancipatur, nobilem illam veluti flammam, quae ad superna ascendit, deprimi mentisque aciem obtundi. Imo vero non sine animi horrore religionis hostes eo audaciaene an impudentiae progressos esse videmus, ut, quemadmodum gentes illa, quibus tenebantur, vitia numina quaedam esse fingebant, ita isti materiam, cui se totos manciparuut, a se ipsa exsistere ponant eiusque auctorem negent. Quemadmodum vero illos, de quibus agit Apostolus[4]), Deus tradidit in reprobum sensum, ita etiam effecit, ut novi huius atheismi asseclae Deum, qui „illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum" [5]), non alia ratione negare possint, nisi mentis lumen in se exstinguendo et materiae se totos acquiparando videntes se non videre fateantur. Et vero videntes non vident, qui e mundo hoc aspectabili, summam prodente sapientiam, auctorem summe sapientem patefieri negant. Audientes non audiunt, qui populorum, esse quendam supremum Dominum, communi consensu testantium voces non advertunt.

[1]) Rom. 2, 15. — [2]) Confess. lib. I. cap. 1. — [3]) Apol. cap. 17. — [4]) Rom. 1, 28. — [5]) Joan. 1, 9.

Sentientes non sentiunt, qui conscientiam, quae iudicis supremi timorem licet reluctantibus incutit, non percipiunt. Intelligentes non intelligunt, qui necessariis cogitandi legibus, quibus in rebus humanis obsequuntur, tunc, quum causae primae a mundo distinctae seu Dei personalis exsistentia eisdem legibus evincitur, vim demonstrandi denegant.[1])

Impietatis, qua atheismus Deum mundi auctorem tollit, eiusdem vel maioris etiam reus est pantheismus, qui mundum ipsumque hominem facit Deum.[2])

Mens porro humana non solum esse Deum, rerum omnium auctorem et finem, sed hominem, utpote a Deo, creatore suo, undequaque pendentem, etiam teneri intelligit summae in eum reverentiae, obedientiae, grati animi amorisque obligatione, qua illud constituitur vinculum, quod religionem dicimus. Unde ab Apostolo rei aguntur illi, qui, „quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt".[3])

CAPUT II.

De revelatione supernaturali.

Licet Deus rebus creatis homini se aliquo modo, revelatione naturali, cognoscendum praebeat, haec tamen naturalis manifestatio non ea est, quae vel hominis naturae imbecilli, qualem conspicimus, sufficiat, vel Dei bonitati immensae plane congruat. Etenim certiore et clariore, quae ipso Dei sermone fieret, revelatione destituti homines quamvis suis ipsi viribus e rebus creatis Deum mundi artificem cognoscere possent, reipsa tamen paucis tantum eius inesset cognitio, quum, quemadmodum loquitur Doctor angelicus[4]), a fructu studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, alii mentis imbecillitate, rei familiaris necessitate alii, alii socordia impedirentur. Et illi ipsi, quibus mentis acumen viam pandisset planiorem, nonnisi multo post tempore ad accuratiorem veritatum religiosarum cognitionem pervenissent. Difficilius demum fuisset, cavere ab errori-

---

[1]) Propp. emiss. a S. Congreg. Indicis a. 1855. Vid. Append. n. 30. — [2]) Cf. infra part. I. cap. 11. — [3]) Rom. 1, 21. — [4]) Cont. gent. lib. I. cap. 4.

bus innumeris, qui sensim ipsas labefactassent cognitiones certiores. Quodsi vero, quae ad Dei cultum et finem hominis ultimum aptis modis prosequendum spectant, inconcussa non polleant firmitate: manifestum est, in misera hac vita, tot laqueis irretita tempestatibusque iactata, fieri non posse, ut homo impugnationibus omnibus fortiorem se praebeat.[1]) Quae quam sint vera, ipsa testatur historia, quum, quocunque demum oculos convertimus, facile detegamus, populos omnes, qui, suo confisi ingenio, primitivae revelationis callem deseruerant, in religionis negotio misere aberrasse.

Verum meliora homini Deus prospexerat benignissimus. Pro naturali enim qualicunque felicitate, qua homo per naturalem Dei cognitionem et amorem aliquando potiretur, finem ei statuerat felicitatem illam, quae e claro et immediato Dei intuitu, naturae viribus nunquam assequendo, promanaret.[2]) Hinc est, quod, quum revelatio supernaturalis veritatum naturalium seu illarum, quas mens humana e naturae consideratione eruere per se potuisset, humano generi ob maximas, de quibus dictum est, difficultates moraliter esset necessaria: iam, postquam finis ille supernaturalis ei praestitutus est, revelatio supernaturalis etiam veritatum supernaturalium, seu Dei ut gratiae auctoris, omnino necessaria erat, quum haec sola praeberet subsidia illa, quibus finis supernaturalis attingeretur.[3])

„Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime ... locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula".[4]) Et vero „quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse, ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis".[5]) Ad argumenta illa tam multa, tam mira, tam splendida contemplanda fidelium mentes saepe erigendae sunt, ne a revelatae et supernaturalis religionis hostibus in fraudem inducantur.

[1]) Cf. infra part. I. cap. 17. — [2]) I. Joan. 3, 2. — [3]) Cf. infra part. I. cap. 17. [4])Hebr. 1, 1. 2. — [5]) Encycl. Pii IX. d.d. 9. Nov. 1846. Vid. Append. n. 26.

CAPUT III.

De revelationis plenitudine a Christo Ecclesiae commissa, dupliceque consignata fonte.

Revelationis pleuitudinem tanquam depositum Christus commisit Ecclesiae, quam per Apostolos inter omnes gentes propagari voluit.[1] Ore primum, Christi praedicantis exemplum, imo et mandatum secuti, praedicaverunt Apostoli, parique ratione et ad posteros sacram doctrinam transmitti voluerunt.[2] Postea nonnulli eorum, ut et alii discipuli, Spiritu sancto inspirati, Magistri res gestas et doctrinam litteris consignarunt, quamvis nullus eorum omnia, quae Christus egisset et docuisset, litteris mandandi animum gereret; id quod tum disertis verbis profitentur[3]), tum modus scribendi, qui nonnulla tantum seligeret et vivae vocis subsidio indigeret[4]), tum demum primorum Christianorum usus, qui ad illa, quae verbis essent transmissa, imprimis provocabant, satis indicant. Etenim Apostolus iam monuerat: „Itaque, fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram".[5]) Quae verba explicans S. Chrysostomus: „Hinc", inquit, „patet, eos (Apostolos) non omnia per epistolam tradidisse, sed multa etiam sine litteris. Eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista. Itaque Traditionem quoque Ecclesiae fide dignam putamus. Traditio est, nihil quaeras amplius".[6]) Haec porro doctrina ad nos usque transmittitur tum historia publicisque monumentis, tum Ecclesiae usibus, liturgia, symbolis, tum Conciliorum generalium et particularium decretis, tum vero sanctorum Patrum scriptis, qui, quid primis saeculis tamquam ab Apostolis traditum Ecclesia crediderit, luculenter testantur uberrimeque exponunt. „Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere proprieque catholicum".[7])

Apostolorum et sanctorum Patrum voce edocti profitemur, veritatem revelatam contineri tum in libris divinitus inspiratis veteris et novi testamenti, tum in traditionibus non scriptis.

[1]) Matth. 28, 18—20. — [2]) II. Tim. 1, 13. 14. — 2, 2. — [3]) Joan. 21, 25. — [4]) I. Cor. 11, 34. — [5]) II. Thess. 2, 14. — [6]) Hom. 4. in Ep. II. ad Thess. — [7]) Vincent. Lerin. Common. cap. 2.

Libros autem divinitus inspiratos cum omnibus suis partibus illos habendos esse fatemur, qui in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, quam ipsam veterem et vulgatam editionem pro authentica habendam esse, e Concilii Tridentini decreto [1]) retinemus.

Non eo fine Scripturae et Traditio commissae sunt Ecclesiae, ut a singulis eo, quo videretur, sensu exponerentur. Non enim vanum erat illud, quod Christus omnes gentes docendi munus Apostolis detulerat: vanum autem fuisset, si Apostolorum reiecta auctoritate revelationis monumenta arbitrio tantum suo explicare, et fidei controversias, quae nascerentur, ipsi pro auctoritate dirimere voluissent christiani. Et fidei unitas, quam Christus et Apostoli tantopere commendant et inculcant, qua ratione salva esset, si suum quique in Scripturis exponendis sensum sequerentur? Quomodo Ecclesia sancta persisteret, si suis quique cupiditatibus, ut humana fert infirmitas, vivendi regulam e Scripturis aptarent? Nonne Apostolorum princeps redarguit quosdam, qui in Pauli epistolis „quaedam difficilia intellectu .... sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem" depravabant? [2]) Unde in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquere et contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, quippe qui Ecclesiae ipsius sensum testentur, interpretari nemini fas est. [3]) Atque in hac regula commendanda et inculcanda animarum pastores eo diligentius versari oportet, quo magis timendum intellexerint, ne sentiendi et iudicandi libido, quam profanis in rebus tam late dominari videmus, in res etiam sacras temere transferatur.

CAPUT IV.

De fidei divinae necessitate.

Quum hocce tempore multi vitae aliquam probitatem sine fide atque illam, quam „honesti viri" religionem dicunt, sibi

[1]) Sess. IV. — [2]) II. Petr. 3, 16. — [3]) Cf. infra part. I. cap. 24.

sufficere perverse iactitent, summopere necessarium est, ut animarum pastores fidei ad salutem necessitatem saepe verbisque gravissimis exponant et demonstrent. Profecto si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio, ut sibi fides habeatur. Nec potest is, qui fidem detrectat, non inferre iniuriam aut Dei scientiae et veracitati, dum eum erroris vel fraudis non expertem innuit, aut Dei sapientiae, dum eum absque consilio agere et loqui opinatur, aut supremo eius dominio, cui se non vult submittere; unde etiam aeternae damnationis reus pronnnciatur.[1])

Quamquam autem omnes promptum gerere debent animum credendi omnia, quae Deus per Ecclesiam credenda proponit: quaedam tamen non solius praecepti, sed „medii" etiam vim habent et absoluta necessitate explicite sunt credenda. Docet id Apostolus, dum ait: „Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit".[2])

Ad salutem consequendam minime sufficit fides illa qualiscunque et late dicta seu Dei cognitio, quae ex testimonio creaturarum similive motivo hauritur.[3]) Ad finem enim supernaturalem supernaturalia ducant oportet; fides vero e mundi visibilis testimonio seu conspectu similive argumento naturali concepta cognitionis naturalis ambitum non excedit.

Quantam igitur dicamusne inscitiam an temeritatem prae se ferunt illi, qui fidem hominibus quidem rusticis et inscii, minime vero excultis sublimiorive praeditis ingenio necessariam dictitant![4]) Fides enim necessaria est omnibus illis, quibus Deus per Apostolos suos eorumque successores evangelium praedicari iussit, et quos ad finem supernaturalem per solam revelationem cognoscendum destinavit; omnibus autem finem hunc praefixit, et omnibus evangelium praedicari voluit. Omnes proinde in Deum fide supernaturali tendant necesse est. Commendanda vero et inculcanda est haec fidei ad salutem necessitas eo vehementius, quo magis videtur esse verendum, ne ardens, quod conspicimus, bona terrena comparandi studium plurium in dies animos a rebus coelestibus avocet et luctuoso illo, quem indifferentismum

[1]) Marc. 16, 16. — [2]) Hebr. 11, 6. — Cf. infra part. I. cap. 24. — [3]) Propp. damn. ab Innoc. XI. a. 1679. prop. 23. Vid. Append. n. 13. — [4]) Prop. Raimundi Lulli damn. a Greg. XI. a. 1376. Vid. Append. n. 7.

vocant, morbo inficiat. Non improbandus quidem est ille, quo terrena comparantur, labor et industria, quamdiu intra iustos limites constringitur et in altiorem illum dirigitur finem, cuius gratia terrena omnia homini sunt concessa; vehementer autem vituperandus et reprobandus, si insanae tantum fruendi libidini subservit aut ita totum occupat animum, ut coelestia negligantur, imo et vilipendantur.

Religionis revelatae vim et naturam minime intelligunt vaneque fidem aliquam se habere existimant nostri temporis sapientes illi, qui religionem, quasi senio langueat, scientia renovandam et perficiendam dictitant. His cum Vincentio Lerinensi respondemus: „Mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excaecatae mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel et accepta antiquitus credendi regula, sed nova ac nova in diem quaerant, semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere; quasi non coeleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quae aliter perfici nisi assidua emendatione, imo potius reprehensione non possit, quum divina clament oracula: Ne transferas terminos, quos posuerunt patres tui".[1]) Profecto temerario plane et sacrilego ausu abripiuntur, quotquot humanum quendam progressum in religionem revelatam vellent inducere, „perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat".[2]) Doctrinam revelatam qui corrigere, mutare, alium ei sensum, quam quem huсusque tenuit Ecclesia, subiicere praesumit, ipsam revelationem opus divinum esse negat, aut Ecclesiam, quae est veritatis columna, incusat erroris. Manifestum quoque est, illos, qui asserunt, posse aliquando scientiarum et imprimis philosophiae progressus exigere, ut dogma aliquod alio, quam prioribus saeculis tenuit Ecclesia, sensu iam intelligendum sit, fidem totam funditus evertere. Non enim firmo mentis assensu, qui ad fidem requiritur, ille potest dogma aliquod sensu nunc ab Ecclesia declarato admittere, qui vereri possit aut debeat, ne philosophiae progressus alium ali-

[1]) Common. cap. 21. — [2]) Encycl. Pii IX. d. d. 9. Nov. 1846.

quando dogmatis sensum requirat, eumque, quem nunc tuetur Ecclesia, falsum fuisse ostendat.

Quodsi quis omnem in religionis scientia progressum sibi praeclusum vane queratur, audiat eundem Vincentium a tot iam saeculis eiusmodi querelas praevenientem: „Sed", inquit, „forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus. Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsam unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia." [1])

CAPUT V.

De fidei et scientiae discrimine et amico simul consortio.

„Animae medicina, quae divina providentia et ineffabili beneficentia geritur, gradatim distincteque pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem et rationem". [2]) Fides auctoritate nititur. Est enim fides assensus ille, quo iis, quae ab altero edicuntur, adhaeremus, non ob rei prolatae internam veritatem perspectam, sed ob loquentis auctoritatem seu peritiam veracitatemque certo nobis cognitam. Scientia autem illa tenemus, quae ratio ex interno idearum nexu vera esse perspicit. Quum igitur aliud sit, quo fides, aliud quo scientia nititur, etiam fidem, auctoritate suffultam, et scientiam, rationis intelligentia perfectam, inter se differre necesse est.

Et vero quod ad veritates religionis revelatae admittendas nos movet, non est earum interna evidentia, sed Dei revelantis auctoritas. Etenim teste Apostolo fides est „argumentum non apparentium." [3]) Non e perspecta rerum propositarum interna

---

[1]) Common. cap. 23. — [2]) S. Aug. de vera relig. cap. 24. n. 45. — [3]) Hebr. 11, 1.

veritate, sed ex auctoritate seu scientia et veracitate divina Christus, ut doctrinam suam homines admitterent, postulabat.[1]) Unde quamvis eadem res et fide et scientia possit attingi, tamen si quis aliqua menti humanae pervia non ideo, quia revelata sunt, sed solum propterea, quod ea perspiciat intellectu, admitteret, haec non fides esset, sed scientia.

Porro fides divina et scientia, ut semper motivo, ita persaepe differunt etiam obiecto, quum illa quoque revelentur, quae nulla humanae mentis acies intelligere potest.[2]) Differunt demum principio etiam, ex quo nascuntur. Scientia enim solius mentis viribus attingi ipsa quidem potest; fides vero divina, quae ad salutem requiritur, Dei gratia excitetur oportet.[3])

Quemadmodum religionem, ut e terris eam exulare faciant, rebus humanis inimicam esse impie iactitant nonnulli, ita etiam fidem divinam, ut eam deprimant, et humanam scientiam dissidere sibique opponi posse perverse asserunt, ac si, quod revelatione tanquam verum proponitur, ratio falsum esse quandoque perspiciat. Etenim quum non veritas veritati,[4]) sed veritati sola opponatur falsitas, nunquam, quae vera esse perspicue videt ratio, contradicent his, quae vera esse divinum testatur eloquium. Praeterea quod lumini rationis vere contrarium est seu falsum, id ipsius etiam Dei sapientiae adversetur necesse est, quum mens humana, utpote a Deo efformata, Dei sit quodammodo discipula et legibus ab illo sibi inditis dirigatur. Quod vero divinae sapientiae adversatur, id, utpote falsum, revelari nunquam potest. Et profecto si, quod revelatione declaratur verum, rationi unquam falsum esse posset, Deus aut vellet, ut, spreta revelatione, rationis lumini obsequeremur, et sanctus non esset, quum non exigeret illud, quod sibi debetur, obsequium; aut vellet, ut, spreto rationis lumine, revelationi haberemus fidem, et sapiens non esset, quum rationem eo solum fine largiri potuerit, ut eius dirigamur legibus.

Quinimo tam consona rationi est fides, ut illa ad hanc inducat viamque sternat. Non enim credimus, nisi ratione per-

[1]) Joan. 3, 11. — 8, 26. — [2]) Cf. infra part. I. cap. 6. et 9. — [3]) Cf. ibid. cap. 27. — [4]) Conc. Lateran. V. Sess. VIII.

spicientes, Deo esse credendum eumque esse locutum. „Itaque humana ratio ex splendidissimis.. aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum (christianae) fidei auctorem exsistere, ... omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, quum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit".[1]) Argumenta illa, quibus Deum locutum esse evincitur quaeque motiva credibilitatis dicuntur, quum sint tam multa et tam varia, alia semper pro alia hominum conditione, aetate, indole mentisque cultura praesto sunt, ipseque puer, dum a parentibus fidem docetur, aliqua, quae ei quidem sufficiunt, haurit. Fidei enim firmitas, etsi non his quidem argumentis, conditione tantum praevia, sed ipsa Dei auctoritate primum cognita, dein etiam credita nititur, tamen requirit, ut, qui credit, ratione certo cognoscat, Deum esse locutum, nulloque dubio prudenti hac de re pulsetur.[2]) Neque illud praetereundum, certitudinem hanc a gratia, qua Deus mentem adiuvat, ipsoque voluntatis imperio maiora etiam capere incrementa.[3]) Atque ita fit, ut rationis usus fidem praecedat et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducat.[4])

Dum vero fidei subservit ratio, maxima simul a fide capit emolumenta. Liberatur enim erroribus innumeris, quibus genus humanum, divina reiecta auctoritate, oppressum conspicimus. Et quamquam morales nonnullas veritates ratio etiam revelatione destituta certo demonstrare potest, id tamen eo facilius praestat, quo certiorem earundem e fide hausit cognitionem. Alias vero quasdam, etsi ipsae quoque mentis aciem non penitus effugiunt, nunquam argumentis, utpote nimis reconditas, demonstrasset ratio, nisi eas revelatio primum aperuisset. Et ita quidem ratio seu intelligentia sequitur fidem, quam alio modo praecedit.[5])

---

[1]) Encycl. Pii IX. d. d. 9. Nov. 1846. — [2]) Propp. damn. ab Innoc. XI. a. 1679. prop. 21. Vid. Append. n. 13. — [3]) Prop. 19. inter easdem. Vid. Append. n. 13. — [4]) Propp. emiss. a Congreg. Indicis, a. 1855. Vid. Append. n. 30. — [5]) S. Aug. in Ps. 118. serm. 18. n. 3.

CAPUT VI.

De rationalismo a fide excludendo.

Attamen nimium tribueretur rationi, si ad demonstrandam revelationem eiusmodi requirerentur argumenta, quae non solum omne dubium prudens excluderent, sed quae sua evidentia omnem homini potestatem, dubium quodcunque quamvis imprudens concipiendi, adimerent. Maiorem enim libertatem, quam quae argumentis eiusmodi evidentia sua nos urgentibus reliqua esset, Deus, qui insignis meriti occasionem homini praebere volebat, teste experientia, cum fide coniunxit. Si argumentis certis quidem, non tamen semper tanta, de qua dictum est, evidentia fulgentibus, in negotiis etiam gravissimis vitae communis duci solemus, neque ut alteri fidem habeamus, evidentiam illam semper exigimus: cur, ut revelationi prudenter assentiamur, alia exigeremus argumenta, praesertim quum absoluta fidei certitudo, ut diximus, alio nitatur fundamento?

Longissime vero aberrant, qui hanc homini vindicant libertatem, ut fidem divinam abiiciat aut suspendat, scrutaturus interim argumenta, quibus inductus sit ad credendum. Etenim credendi obligatio perpetua est nec ullo unquam tempore ei se homo subducere debet; perpetuo etiam gratia sua Deus, ut credamus, nos movet et adiuvat, cui unquam resistere nefas est. Argumenta demum, quibus ad credendum homo inductus est, huiusmodi sunt, ut, quo magis perpenduntur, eo clariora et graviora appareant; unde consequitur, causam, cur homo, quasi illa non sufficiant, fidem suspendat, exsistere nunquam posse. Itaque sententiam, quae dubium positivum basin statuit omnis theologicae inquisitionis, iam proscriptam denuo proscribimus.[1])

In aliud rationalismi genus incidunt illi, qui a religione mysteria excludunt, dum omnia, quae revelatione nobis proponuntur, ratione etiam certo demonstrari posse asserunt. Esse autem quaedam fidei mysteria, quae ratio per se nec cognoscere, nec, postquam revelata sunt, argumentis internis certis ipsa demonstrare possit, sancti Patres et Ecclesiae Doctores, sacrae Scriptu-

[1]) Gregor. XVI. Brev. *Dum acerbissimas* d. d. 26. Sept. 1835. Vid. Append. n. 24.

rae effatis innixi, passim docent, ut neminem, qui eorum opera pervolverit, latere potest. Et quidem quod de mysteriis dicitur, non eo solum sensu accipiendum est, quo intimam rerum vel obviarum naturam non intelligi recte asserimus, sed ita etiam, ut illarum veritatum, quae religionis mysteria vocantur, ne exsistentiam quidem certo demonstrare seu, cur esse debeant, perspicere possimus. Namque Deum esse, et esse infinitum, ratio quidem demonstrat, quamvis modum, quo Deus sit infinitus, longe minus perspiciat, quam rerum creatarum naturam. Sed ratio sola non tantum, quomodo in una essentia tres sint personae divinae, sed ne hoc quidem, esse in una essentia tres personas divinas realiter distinctas, etiam postquam id revelatum est, suis viribus et principiis demonstrare seu, cur esse debeant, intelligere potest. Quaecunque de mysterio sanctissimae Trinitatis a Patribus et theologis vere demonstrantur, illa non innituntur principiis e ratione, sed e revelatione divina petitis. Erit igitur, quemadmodum ait Doctor angelicus, in mysteriis „hic modus servandus, ut ea, quae in sermonibus sacrae Scripturae sunt tradita, quasi principia sumantur; et sic ea, quae occulte nobis traduntur, studeamus utcunque mente capere, a laceratione infidelium defendendo, ut tamen praesumptio perfecte cognoscendi non adsit. Probanda enim sunt huiusmodi auctoritate sacrae Scripturae, non autem ratione naturali"[1]). Qua quidem monitione posthabita qui humana ratione ac philosophia, „quae", ut sanctissimus Pater noster Pius IX. docet, „in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debent"[2]), mysteria profundissima penetrare et explicare sibi videbantur, eo aberrarunt, ut ipsa illa dogmata sacratissima, quibus velut cardinibus tota vertitur religio, depravarint.

Etsi, ut beatissimi Papae Gregorii XVI. verbis utamur, „superbi seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus", tamen ubi ista abest temeritas nec fides submittitur scientiae, argumentis etiam quibusdam, non quidem necessariis et eviden-

---

[1]) S. Thom. cont. gent. lib. IV. prooem. — [2]) Litterae ad Emin. Cardinalem Archiep. Colonien. d. d. 15. Junii 1857. Vid. Append. n. 32.

tibus demonstrare, sed congruis tantum et quasi similitudinibus illustrare et aliquatenus manifestare mysteria ratio potest, quemadmodum sanctos Patres et S. Augustinum prae ceteris circa sanctissimae Trinitatis mysterium versatos esse videmus.[1]

Nimium rationi tribuunt etiam illi, qui liberum, ut vocant, examen seu rationis usum eo usque extendere eamque a fidei iugo emancipare sibi licitum ducunt, ut in suis disputationibus non attendentes ad id, quod Ecclesia hucusque docuerit, doctrinas et systemata quaecunque sibi construant, et tunc demum, postquam Ecclesia ea reprobavit, quae construxerant, dissolvenda fateantur. Etsi verissimum est, obsequendum esse Ecclesiae iudicio de doctrina iam prolata, tamen verissimum etiam est, non tentandum esse quidquam, quod illis, quae Ecclesia adhuc docuit, sit contrarium. Etenim non solum ius et munus errores iam sparsos resecandi inest Ecclesiae, sed etiam munus docendi facemque praeferendi fidelibus. Unde sequitur, incumbere his audiendi obligationem, et etiam antequam Ecclesia aliquem represserit, eius esse, rationem submittere illis, quae ab Ecclesia hucusque tradita esse norat.

Quae dicta sunt, non de theologicis solum, sed de philosophicis etiam placitis et systematibus sunt intelligenda. Procul dubio Ecclesiae, quamvis naturales scientias non tradat, tamen, quia veritatis revelatae custos est, ius competit proscribendi doctrinas philosophicas, quae vel revelatae doctrinae contradicunt, vel ad fidem in hominum animis subvertendam ducunt. Unde consequitur, non solum recedendum esse a sententiis, quas Ecclesia proscripsit, sed etiam cavendum esse, ne systemata fingantur, quae eiusdem doctrinae et menti adversentur; et reformandas esse Patrum ac praestantissimorum theologiae Doctorum exemplo doctrinas philosophicas, ubi veritatem revelatam quomodocunque tangunt, secundum Ecclesiae doctrinam ac mentem, cum ipsius philosophiae, utpote scientiae inferioris et minus tuto fundamento suffultae ratio exigat, ut, quemadmodum loquitur Doctor angelicus,[2] „sit ad metas fidei

[1] S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 10. — [2] In librum Boëthii de Trinit. quaest. 2. art. 3.

redigenda secundum illnd Apostoli: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obseqninm Christi".[1]) Neque illo Ecclesiae de doctrinis philosophicis iudicio detrahitur quidqnam veritatis naturalis indagandae stndio. Non enim philosophiae usus, sed eiusdem solus abnsus interdicitur[2]), nec veritatem indagare, sed errorem solum eumque fidei adversantem aut ad eam labefactandam accomodatum complecti homo prohibetur. Imo potius iuvatur et provehitur ipsa philosophia, qnum non exignum sit in omni inquisitione emolumentum, nosse sententias quasdam, qnae, ntpote certo falsae, scopnlorum instar sint fugiendae.

CAPUT VII.

De fide externe profitenda.

Fides neganda est nunqnam, ne vitae qnidem proposito discrimine. Nam „qni negaverit me coram hominibus, negabo et ego enm coram Patre meo, qui in coelis est".[3]) Palam etiam profitenda est, quoties honor Deo debitus vel spiritualis aliorum utilitas, ni profitearis, caperet detrimentum. Quoniam igitur „corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salntem"[4]), propterea animarum pastores fideles sibi commissos moneant constanterqne hortentur, nt fidem catholicam libere, nbi tulerit occasio, profiteri minime erubescant, veriti gravissimam illam Redemptoris nostri comminationem: „Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, quum venerit in maiestate sua et Patris et sanctornm Angelorum".[5]) Doceant eosdem, quam iniquum foret, Deo, qui totum hominem, anima et corpore constitutum, nt creavit, ita etiam ad sempiternam beatitudinem fide viva obtinendam destinavit, impendere qnidem internum mentis, negare tamen externnm oris obsequinm; qnam turpe et improbum sit, Ecclesiae catholicae fidem, tot confirmatam miraculis, tot illustratam Martyrum victoriis, tot haereticorum assultibns fortiorem, tot sancti-

[1]) II. Cor. 10, 5. — [2]) Cf. S. Thom. l. c. ad 2. — [3]) Matth. 10, 33. — [4]) Rom. 10, 10. — [5]) Luc. 9, 26.

tatis exemplis gloriosam, quasi ea non ferat hominum ora et conspectum, tenebrarum latebris velle abscondere. Haec aliaque si perpenderint Christi fideles, procul dubio publico sacramentorum usu, ecclesiasticorum praeceptorum observantia aliisque religionis pietatisque exercitiis fidem suam manifestare gestient. Nos vero, quae sacrosancta Tridentina Synodus [1]) de orthodoxae fidei publica professione a quibusdam e formula facienda praescripsit, in nostris dioecesibus observanda esse denuo sancimus.

CAPUT VIII.

De fidei periculis cavendis.

Hanc fidem tam sanctam origine, tam praestantem doctrinis, meritis tam foecundam, denique ad salutem consequendam tam necessariam, ut gregi suo illibatam conservent, animarum pastores in praecipuis sibi curis demandatum existimabunt. In operis sui partem aliquam vocabunt imprimis parentes, eosque frequenter monebunt, quanta cura et sollicitudine advigilare debeant, ut fidem catholicam aut ipsi liberos suos mature doceant, aut per alios iidem doceantur; et quam gravis criminis coram divina maiestate reos se fore existimare deberent, si, quod vel cogitare nefas, liberos suos errori mancipandos consentirent, aut iis praeceptoribus institutoribusve committerent, a quibus fidei immineret periculum.

Curabunt porro pastores, ut fideles abstineant a legendis illis libris et libellis et pravis ephemeridibus, narratiunculis, historiolis aut obscoenis schematibus impressis paginis, hodie, proh dolor! nimium per orbem sparsis et, quod magis etiam dolendum, ipsorum catholicorum pecunia nutritis et sustentatis, quibus catholica fides, etsi, quod saepe longe periculosius, tectis solum artibus ad incautas et leves mentes facilius capiendas, seducendos pusillos impugnatur, aut Ecclesiae usus legesque carpuntur, aut quae pro aeterna hominum salute ipsaque hac vita mortali praeclare gessit, narratione depravantur. [2]) Nonne veren-

[1]) Sess. XXIV. de reform. cap. 12. — [2]) Synod. dioeces. Tusculan. celebrata ab Emo Cardin. Cagiano a. 1858.

dum est, ne in illo, qui eiusmodi libros aut ephemerides assidua terit manu, fides, si nondum occubuit, tamen aegrum modo trahat spiritum, quum fieri nequeat, ut is, qui matri Ecclesiae sincere est addictus, aequo animo eam calumniis audiat proscindi?

Quum constet, non raro inter fideles spargi Scripturarum sacrarum versiones, quae aut depravatae sint, aut ecclesiastica approbatione aut iis conditionibus careant, quas Ecclesia exigere solet, ne ipsi veritatis fontes hominum culpa aut inscitia in erroris occasionem pervertantur: hinc summorum Pontificum ordinationibus obtemperantes, pastores gregem sibi creditum sedulo et prudenter edoceant, istiusmodi versiones et imprimis illas, quae a Societatibus biblicis offeruntur, esse respuendas. Alioquin enim dedecet, fideles aliunde, quam ab Ecclesia catholica, cui soli veritas revelata simul cum eius fontibus commissa est, libros sacros accipere; imo illicitum est, obsequi illis, qui ea mente catholicis offerunt Scripturas, ut ipsi, reiecta Ecclesiae auctoritate, propria interpretatione, quid credere velint, inde eruant ac sibi ipsis fidem qualemcunque condant.

Ipsi vero animarum pastores omnesque, qui sacram doctrinam exponunt, summopere commendatum sibi existiment illud, quod tam sollicite monet Apostolus: „O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt". [1]) E fontibus puris illam, qua gregem pascunt, hauriant doctrinam. Sanctorum Patrum et Ecclesiae Doctorum libris, quantum per tempus licebit, et imprimis Catechismo Romano legendis sint addicti, magnamque iis exhibeant reverentiam. Inter dogmata et opiniones probe discernant, et etiam in illis, quae ab Ecclesia conceptis verbis definita non sunt, Ecclesiae tamen sensum, ubi de illo constare videbitur, arctissime complecti satagant. Neque tum solum, si anathematis poena intentetur, sententiam aliquam ecclesiastica auctoritate proscriptam et sibi aversandam ducant; maior enim quum in quolibet catho-

[1]) I. Tim. 6, 20. 21.

lico, tum in Ecclesiae potissimum ministro iure merito exigitur animi promptitudo. Sanctissimi Patris nostri Pii IX. monitis [1]) obsecuti caveant, ne qua in re violent sanam loquendi formam; memoresque sint eorum, quae gravissime monuit Augustinus: „Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem". [2]) Etiam a doctrina praestantiorum theologorum communi non facile declinent. Cur enim nostris temporibus nonnulli in tot lapsi sunt errores, nisi quia communem theologorum doctrinam aut non noverunt aut temere deserendam duxerunt?

Verum non solum a tentationum ventis praeservandum, sed bonis etiam operibus sacramentorumque frequenti usu velut oleo nutriendum assidue fovendumque est verae fidei lumen. Quod si praestabunt fideles vitamque ad fidei regulam conabuntur instituere, non exiguam aliquando in fide servata spem reponent dicentque cum Apostolo: „Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex". [3])

TITULUS II.

DE DEO UNO PERSONARUMQUE TRINITATE.

CAPUT IX.

De personarum in una divina essentia Trinitate.

Quum sanctissimae Trinitatis mysterium totius nostrae fidei, qua Deum creatorem, redemptorem et sanctificatorem profitemur, sit fundamentum, fide prorsus illibata tenendum et profitendum esse facile conspicitur. Itaque in una simplicissima divina substantia seu essentia tres sunt personae realiter distinctae. „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est

---

[1]) Litt. ad Emin. Cardinalem Archiep. Colonien. d. d. 15. Junii 1857. Vid. Append. n. 32. — [2]) De civ. Dei lib. X. cap. 23. — [3]) II. Tim. 4, 7. 8.

verus Deus, ... Pater et Filius et Spiritus sanctus: tres quidem personae, sed una essentia, substantia seu natura simplex omnino." [1]) „Damnat (Ecclesia) Sabellium personas confundentem et ipsarum distinctionem realem penitus auferentem." [2])

Quamquam personae realiter distinguuntur inter se, non tamen realiter distinguuntur ab essentia divina. „In Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina." [3])

Unde etiam omnia essentiae divinae attributa tribus personis sunt communia. „Patris et Filii et Spiritus sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas". [4])

Proprium singulis personis id solum est, quo quaelibet persona constituitur, seu relationis oppositio. „Omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio". [5]) „Omnia, quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem". [6])

Pater a nullo, Filius a Patre aeterna generatione, Spiritus vero sanctus a Patre et Filio tanquam uno principio et unica spiratione procedit. [7])

Quum Filius a Patre generatur, et Spiritus sanctus ab utroque procedit, non generatur aut procedit essentia, sicut nec essentia generat vel spirat; sed una semper et eadem numero essentia a Patre communicatur Filio, et a Patre Filioque Spiritui sancto. „Illa res (substantia, essentia seu natura divina) non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura". [8])

Propter hanc essentiae unitatem una persona in altera sine personarum confusione exsistit. [9])

Nulla est in hac generatione aut processione temporis successio. „Nullus alium aut praecedit aeternitate, aut excedit

[1]) Conc. Lat. IV. cap. 1. — [2]) Conc. Flor. Decret. pro Iacobit. Vid. Append. n. 9. — [3]) Conc. Lat. IV. cap. 2. — [4]) Symb. Athan. — [5]) Conc. Flor. Decr. pro Iacobit. — [6]) Conc. Flor. Decret. union. Graecorum. Vid. Append. n. 9. — [7]) Conc. Lat. IV. cap. 1. — Conc. Flor. Decret. union. Graecorum. — [8]) Conc. Lat. IV. cap. 2. — [9]) Conc. Flor. Decret. pro Iacobit.

magnitudine, aut superat potestate. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patre exstitit; et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit".[1])

Atque hoc est tremendum Trinitatis mysterium, quod qui humiliter adoraverit, fiduciam aliquando hauriet ex illis, quibus pia mater Ecclesia morientem supremo iudici commendat verbis: „Licet .. peccaverit, tamen Patrem et Filium et Spiritum sanctum non negavit; sed credidit et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit".[2])

Augustissimum hoc Trinitatis mysterium, quamvis sancti Patres Ecclesiaeque Doctores similitudinibus ad fidelium eruditionem illustrare conati sint: tamen uno quasi ore ineffabile et incomprehensibile esse proclamant. Et iure quidem merito. Etenim quum Dei invisibilia per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur[3]), e rebus creatis ad personarum Trinitatem pertingendum nobis esset. Id autem fieri nequit, quum actus ille, quo Deus mundum creavit, utpote tribus personis communis, unitatem quidem essentiae, non vero personarum Trinitatem manifestet.[4]) Verum quidem est, quum personarum in Deo processiones per actus intellectus et voluntatis fieri sancti Patres e Scripturis colligant, dici etiam hominem, intellectu et voluntate praeditum, non solum, ut res ceterae, Trinitatis vestigium, sed etiam imaginem quandam, quum in eo sit verbum mentis conceptum et amor procedens.[5]) Sed haec similitudo ad illustrandam quidem aliquatenus, nequaquam tamen ad demonstrandam aut intelligendam personarum Trinitatem valere potest, quum admodum imperfecta sit[6]), et quae in nostro intellectu deprehendimus, aut non possimus omnia continuo ad intellectum transferre divinum, aut si transferenda esse videntur, quomodo transferenda sint, non intelligamus, multoque minus, si triplici mentis nostrae affectioni in Deo aliquid respondeat, hanc personarum esse Trinitatem concludere certo liceat. Caveant igitur doctores et fideles, ne in se impleatur illud: „Qui scrutator est maiestatis, oppri-

---

[1]) Conc. Flor. Decret. pro Iacobit. — [2]) Breviar. Rom. Ordo commend. animae orat. 4. — [3]) Rom. 1, 20. — [4]) S. Thom. 1. p. q. 45. a. 7. — [5]) Ibid. — [6]) S. Aug. de Trinit. lib. XV. cap. 10. n. 19.

metur a gloria"[1]); satisque sibi esse existiment, firmissima fide tenere, quod certissima veritate est revelatum.

CAPUT X.

De erroribus nonnullis in Ss. Trinitatis explicatione vitandis.

Si, quemadmodum sapienter monet Doctor angelicus[2]), illi, qui Trinitatem naturali ratione demonstrare nituntur, dupliciter fidei derogant, scilicet tum deprimendo eius dignitatem, qua quae rationem humanam excedunt complectitur, tum exponendo eam irrisioni infidelium, qui facile opinentur, nos ex argumentis non certis aliqua habere vera: longe gravius offendunt illi, qui non solum rationibus non certis demonstrare Trinitatem conantur, sed illis ipsis, quas temere dicunt demonstrationes, mysterium hoc sanctissimum deformant, in pravum detorquent sensum atque ita catholicam de Ss. Trinitate doctrinam errore inficiunt.

Et hanc quidem doctrinam errore inficiunt illi, qui processionem personarum e conscientiae processu repetentes dicunt, Deum ceu esse absolutum se sibi tanquam obiectum opponendo sui sibi fieri conscium, quo deiu conscientiae processu constituatur Pater, Filius et Spiritus sanctus.

Etenim, ceteris omissis, quum secundum Ecclesiae doctrinam Filius sit „Deus verus de Deo vero", dici nequit, solum per generationem Filii Patrem acquirere illam scientiam seu cognitionem sui ipsius, quae in Deo, cui „est esse quod sapere, et ea essentia est quae sapientia"[3]), ut „Deus verus" sit, abesse non potest. Si generando Filium Pater fieret sapiens seu perfecte se intelligens, potius Pater, quod praeclare evolvit S. Augustinus[4]), dicendus esset Deus de Filio, quod fides catholica vetat. „Nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando exstitit sine Patre; et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio.... Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio".[5]) Praeterea, quum Pater ab aeterno Filium generando suam sub-

[1]) Prov. 25, 27. — [2]) 1. p. q. 32. a. 1. — [3]) S. Aug. de Trinit. lib. XV. cap. 7. n. 12. — [4]) De Trinit. lib. VII. cap. 1. n. 2. — [5]) Symb. fidei Conc. Tolet. XI. Vid. Append. n. 2.

stantiam ei dederit omniaque attributa, ac proinde sapientiam quoque et perfectam sui cognitionem, dici sane non potest, Patrem generando demum accepisse, quod ut communicare posset, habere iam debebat.[1])

Pariter doctrinam catholicam errore iidem inficiunt, dum substantiam unam numero personis inesse negantes docent, aut unam substantiam ter adesse, aut tres sibi immanentes substantias, aut tres substantialitates, aut tres substantias personales, aut tres essentias, aut substantiam ternariam adesse, aut Deum emanatione se duplicare vel triplicare, aut esse in Deo non unitatem, sed identitatem substantiae.

Error quidem inde suam ducit originem, quod qui secundum catholicam fidem personarum e persona est processus, substantiarum e substantia processus et emanatio perperam statuitur. Laeditur igitur imprimis haec Concilii Lateranensis IV.[2]) definitio: „Illa res (substantia, essentia seu natura divina) non est generans, neque genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit". Laeditur illa Ecclesiae doctrina, qua substantiam inter et personam quamlibet realis distinctio negatur. „Id quod est Pater, est Filius, et Spiritus sanctus idem omnino".[3]) Si autem substantia in Filio generatur et in Patre generat, substantia Filii utpote generata a substantia Patris utpote generante realiter distincta sit necesse est. Laeditur summa illa simplicitas, quam substantiae divinae fides catholica vindicat. Quod enim non est unum numero, sed ternarium, non est simplex omnino. Laeditur ipsum de unitate Dei dogma. Tot enim vere adsunt dii, quot adsunt essentiae realiter distinctae.

Demum errore doctrinam catholicam inficiunt, quicunque in personarum divinarum processione veram aliquam temporis successionem inducunt, quamvis tempus in hac successione infinitum statuant.[4]) Ordinem et processionem, non temporis successionem significamus, Patrem ante Filium, Patrem Filiumque ante Spiritum sanctum nominando.

---

[1]) S. Aug. de Trinit. lib. XV. cap. 14. n. 23. — [2]) Cap. 2. — [3]) Conc. Lat. IV. cap. 2. — [4]) Conc. Flor. Decr. pro Iacobit.

Quamvis recte, consecrata iam formula, Deum unum et trinum dicamus, illud ad substantiam, hoc ad personas referendo, tamen facile rudes et incautos in fraudem impellere posset is, qui diceret, ipsum Deum in tribus personis distingui; et perperam discederet „a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam".[1])

Quemadmodum substantiae simplicissimae unitas, ita etiam personarum realis inter se distinctio ne tollatur cavendum est. Hanc tollunt et negant illi, qui Deum ab operibus tantum, quae in mundo creando hominumque salute procuranda operatus sit, modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum sanctum vocari Sabelliano errore asserunt.

TITULUS III.

DE CREATIONE.

CAPUT XI.

De Deo rerum omnium uno principio contra absurdas pantheismi doctrinas.

„Patrem .. et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, ... esse creatorem, factorem, gubernatorem et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium, corde credimus et ore confitemur .... qui .... de nihilo cuncta creavit".[2]) „Pater et Filius et Spiritus sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium".[3]) Quum omnia, quae non exprimunt re-

[1]) Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* in fine. Vid. Append. n. 18. — [2]) Profess. fid. praescripta Waldens. ab Innoc. III. Vid. Append. n. 5. — [3]) Conc. Flor. Decret. pro Iacobit.

lationis oppositionem seu id, quo persona divina constituitur, tribus personis sint communia, etiam virtus creandi, quippe quae huiusmodi oppositionem non innuat, communis sit necesse est. Et vero, Deus est causa rerum per intellectum et voluntatem. Intellectus autem et voluntas tribus personis est communis; ergo et communis est ille, quo creant, actus. Unde licet tres personae sint creantes seu creatione agant, quia tamen una eademque essentiae virtute agunt, unus tantum est creator, quo nomine essentia simul denotatur.

Alio autem modo opera, utut tribus personis communia, uni prae ceteris attribui seu appropriari solent. Licet enim inter rerum finitarum e nihilo productionem et Filii generationem ingens sit discrimen, tamen illa huius est quaedam quantumvis exigua similitudo. Unde sicut Patri generatio Filii est propria seu soli competit, ita mundi ei attribuitur seu appropriatur creatio. Pariter Filio, quia intellectu gignitur seu est sapientia genita, illa attribuuntur, in quibus sapientia imprimis elucet, sicut Spiritui sancto, quia voluntate seu amore procedit, opera illa, in quibus Dei bonitas potissimum manifestatur.

Porro quum artifex agat per intellectum et voluntatem, etiam Pater mundum creasse legitur per Verbum seu Filium, qui intellectu, et per Spiritum sanctum, qui voluntate seu amore procedit.[1])

Ut fides in Deum unum adversus materialismum seu novum atheismum[2]), ita fides, qua mundum creatum sive e nihilo productum esse profitemur, validissimus est adversus pantheismum clypeus: adversus illam iniquam doctrinam, quae Deum cum mundo confundit, dum aut a Deo incipiens res e Dei substantia profluxisse et eiusdem proin cum eo esse naturae statuit; aut a rebus creatis ipsaque mente humana incipiens vim illam, quam in natura et se ipso homo experitur, facit Deum. Enimvero quum mundum e nihilo productum esse docemur, eum non e Dei substantia promanasse, et vim illam, quam in mundo experimur, finitum aliquid et caducum esse intelligimus.

Abs re non erit, si illic, ubi detestanda illa opinionum mon-

---

[1]) S. Thom. 1. p. q. 45. a. 6. — [2]) Cf. supra part. I. cap. 1.

stra subinde iam latius grassantia quacunque demum specie vel nomine etiam in gregem suum irrepere vident, pastores fidelibus caute et prudenter exponant, quam sit non impium modo, sed etiam absurdum, Deum, quem infinitum, immensum, immutabilem Scripturae et Symbola docent atque recta ratio intelligit, commiscere cum mundo finito, fluxo perpetuisque mutationibus obnoxio; quam sit sacrilegum et numinis sanctitati iustitiaeque adversum, asserere, Deum ipsum omnium scelerum in homine esse patratorem. Neque difficile erit, hominibus sanae mentis ostendere, quam non solum conscientiae testimonio damnatus, sed humanae simul societati perniciosus sit ille error, qui hominis facinora in ipsum Deum coniicere, omnesque recti ordinis perturbationes ipsius numinis quasi totidem evolutiones dicere non veretur, unde homo quidcunque demum nefarie moliens omni culpa esset eximendus. Denique non eiusdem posse esse naturae Deum et res huius mundi, ille facile perspiciet, qui norit, Deum, quum a se ipso exsistat et sit infinitus, infinitum distare ab aliis rebus quibuscunque mutationi subiectis.

A sanctis Patribus et Ecclesiae Doctoribus, licet, eorum tempore lue ista nondum ut nunc grassante, vocibus quandoque utantur, quas alii deinceps, in alium eas sensum trahentes, pantheismi veneno infecerunt, validissima tamen ad perniciosissimum hunc errorem impugnandum iam subministrata sunt tela. Constanter enim docent, esse divinum differre ab esse rerum creatarum, unde etiam in Dei consideratione utendum sit „via remotionis", procedendumque non „per differentias affirmativas", ut in rebus finitis, in quibus, quod commune est pluribus, notis positivis additis ab aliis distinguitur, sed „per differentias negativas", quum nihil Deo rebusque finitis sit commune.[1]) Docent, esse divinum non dici esse commune rerum omnium; Deum non contineri in eodem cum rebus creatis genere.[2]) Et quum Scripturae vestigiis insistentes, res esse similes Deo dicunt, diserte tamen docent, non tantum hanc similitudinem esse imperfectam, sed talem etiam, quae sola analogia nitatur, unde

[1]) S. Thom. cont. gent. lib. I. cap. 14. — [2]) S. Thom. cont. gent. lib. I. cap. 25. et 26. — 1. p. q. 13. a. 5. ad 3.

etiam illa nomina, qnae de Deo et rebus creatis pariter usnrpantur, non quidem „aequivoce" adhibeantur, sen ita, ut eiusdem denominationis nulla sit ratio; nec tamen „univoce" seu ita, quasi id, quod iisdem nominibus designatur, eadem ratione in Deo sit et in rebus creatis; sed „analogice" seu per quandam habitudinem et proportionem.[1] Demum quum complura et perfectiora Denm continuo creare posse ostendunt, simul tamen docent, non posse talem unquam rerum constitni seriem, ut ad Deum usqne pertingant et Deus sit summus solum gradus in eadem velnt scala; sed potins nulla unqnam rerum multitudine et perfectione illud, quod inter Deum et mundum interiacet quasi spatium, impleri posse.[2]

Haec aliaque qni mente consideraverit, lubens fatebitur, tantum abesse, ut theologorum scholasticorum methodns causa fnerit, cur apud scholas hodiernas philosophia in pantheismum impingeret, ut contra, si a doctrina et methodo, qnam approbante vel saltem tacente Ecclesia usurparunt, non fnisset recessum, pantheismus invectus non esset.[3]

CAPUT XII.

De Dei in rebus creandis libertate.

Deus „quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales quam corporales condidit creaturas"[4]. Non enim indiguit mundo, vel ut perfectionis ex eo aliquid acqnireret, quum ipse in se sit perfectissimns sibiqne sufficiat; vel ut creandi actn vita interna exerceretur: ea enim infinitae essentiae intelligentia et amore completur. Qnod si prodnctio aliqna dicatur necessaria, haec personarum processione interna absolvitur, nec, quum sit perfectissima, productione aliqna externa perficienda est. Nec ideo Deus mundum necessario creasse dicendus est, quod ut sui ipsius, sic etiam rei a se distinctae et qnidem prodncendae aut productae conscius esse deberet. Nam conscientia seu

---

[1]) S. Thom. 1. p. q. 15. a. 5. — [2]) S. Thom. cont. gent. lib. II. cap. 26. — [3]) Cf. Propp. emiss. a Congreg. Indicis a. 1855. — [4]) Conc. Flor. Decret. pro Iacobit.

scientia Dei non complenda est rei exsistentis, quae ab ipso diversa sit, cognitione, quum a rebus externis perfectionis aliquid haurire non possit. Mundi quidem ut possibilis cognitionem, quae sane abesse ab eo non poterat, ex ipsa suae essentiae, quae rerum omnium similitudines continet, et suae virtutis perfecta intelligentia habebat.[1] E bonitate est, ut Deus non possit non impertiri bona, si creat, et non possit non velle benefacere his, quae creavit; attamen bonitas non ita eum impellit, ut non possit non creare. Ut enim homini, sic etiam sibi ipsi solus Deus seu infinita ipsius essentia summum est bonum, quod semper non possit non velle seu amare. Amare autem infinitam suam essentiam seu bonitatem absolutam potest etiam sine rerum productione. „Licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea, quae vult propter bonitatem suam, quia bonitas eius potest esse sine aliis".[2]

Patet etiam, Deum eodem simplicissimo actu, quo se suamque bonitatem necessario vult et amat, libere velle alia. Ille enim actus quum sit infinitus, sine novo incremento ad omnia omnino sufficit et est expeditus.

Quemadmodum penes Deum erat, mundum creare aut non creare, ita penes ipsum etiam erat, hunc creare mundum aut alium.[3] Et vero, quaecunque Deum in mundo creando liberum fuisse demonstrant, eundem et liberum in hoc illove creando docent. Supremam hanc in rebus creandis libertatem si serio perpenderint christiani, amplissimas Dei bonitati, qui nulla adigente necessitate de nihilo nos produxit, agent gratias.

Non ab aeterno mundus exstitit, sed in tempore a Deo est creatus.[4] Ille quidem actus, quo mundum esse voluit, ab aeterno erat in Deo, in quem nulla cadit successio, nulla haesitatio; sed in tempore seu initio temporis sortitus est effectum.

Itaque ad fidem catholicam sartam tectam gregibus nostris conservandam proscribimus omnem doctrinam, quae statuit, Deum non potuisse non creare mundum, vel non potuisse alium atque

---

[1]) S. Thom. 1. p. q. 14. a. 5. et 6. — [2]) S. Thom. 1. p. q. 19. a. 3. ad 2. — [3]) Ps. 134, 6. — [4]) Ioan. 17, 5.

hunc mundum creare, sive illa quacunque demum voce appellata necessitas repeti dicatur e Dei intelligentia seu conscientia, sive ex Dei amore in seipsum, sive ex eius bonitate, sive demum e divina sapientia et sanctitate aliave perfectione.

Pariter proscribimus et illam doctrinam, quae mundum ab aeterno creatum esse et exstitisse asserit, quamvis hanc aeternitatem ita restringere videatur, ut Deum natura solum, non tempore, mundo priorem affirmet.

CAPUT XIII.

De mundi creati fine.

Si id, quod Deum ad creandum impulerit, seu finis operantis quaereretur, dicendum esset, nihil Deum, quod ab eo sit distinctum, impellere potuisse, quum, utpote sibi sufficiens, nihil sibi possit appetere.[1]) Quum porro Deum creasse constet, et quum, quidquid agit, ex amore bonitatis suae absolutae cum agere pariter constet, recte dicimus, Deum bonitate sua, ut libere mundum crearet, motum esse. Hoc etiam sensu S. Augustinus dixit: „Quia bonus est, sumus".[2])

Si vero non iam, quid Deum ad creandum moverit seu finis operantis, sed id, quod Deus, quum creavit, in opere a se producto intenderit seu finis operis quaeritur, dicendum profecto est, eum hoc intendisse et intendere adhuc, quod cum eius actione ita est coniunctum, ut ab ea separari non possit. Et primo quidem Deus dum creat, rebus boni aliquid non impertire non potest. Ipsum enim, quod accipiunt, esse bonum est; unde et S. Augustinus: „In quantum sumus", inquit, „boni sumus.".[3]) Alterum vero, quod ab opere Dei abesse non poterat, erat ipsa perfectionum divinarum, potentiae imprimis, sapientiae et bonitatis manifestatio, quae, quum in Dei laudem cedat, gloria Dei externa vocatur. Deum vero perfectionum suarum agnitionem et amorem seu gloriam externam revera intendisse, dubium esse non potest, sive spectamus res effectas,

[1]) S. Aug. de divers. quaest. q. 28. — De Gen. cont. Manich. lib. I. cap. 2. n. 4. — [2]) De doct. christ. lib. I. cap. 32. — Cf. S. Thom. 1. p. q. 19. a. 4. ad 3. — [3]) S. Aug. l. c.

quae natura sua Dei perfectiones manifestaut; sive hominem, qui ratioue praeditus est, ut Deum ex operibus agnoscat et amet; sive Deum ipsum, qui ut ex opere suo agnosccrctur, utpote sanctus, non velle uou poterat. Hinc illac tam crebrae Scripturarum voces, quibus ad laudaudum Deum ex operum cius magnitudiue mouemur.

Intime inter se conucctuntur hominum fclicitas et Dei gloria. Hanc enim dum homiucs promoveut, sua augent merita suamque felicitatem; et Deus quo maiora bona homiuibus largitur, eo maiora praebet suae bonitatis documenta suamque auget gloriam; unde sicuti hacc ad illam, ita illa ad hanc ducit. Si tameu de utriusque finis ordine quaeritur, diceudum est, ultimum operis finem esse Dei gloriam, ad quam etiam rerum creatarum et singillatim hominis felicitas referatur.[1]) Dei euim gloria, quum utpote Deum respiciens, altioris sit ordinis quam hominis felicitas, hanc sibi submissam subservieutemque habeat decet.[2]) Neque ex hoc existimandum est, detrahi aliquid Dei in nos bonitati. Nam bona nobis collata quum ad Dei referuntur gloriam, uou minuuntur, imo quo studiosius per ea nos Dei gloriam quaerimus, eo magis ditescimus ipsi; uec Deus ita suam in muudo inteudit gloriam, quasi ex ea aliquid, quod uon habeat, boui acquirat, quum id solum velit, quod rectus ordo exigit.[3])

TITULUS IV.

DE HOMINE.

CAPUT XIV.

De humani generis origine hominisque natura.

Primi parentes a Deo immediate conditi sunt.[4]) Itaque Scripturae sacrae fideique plane adversantem illorum declaramus

[1]) Prov. 16, 4. — [2]) S. Thom. 1. p. q. 65. a. 2. — [3]) S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 1. ad 2. — [4]) Gen. 2, 7.

sententiam, qui asserere non verentur, spontanea naturae imperfectioris in perfectiorem continuo ultimoque humanam hanc immutatione hominem, si corpus quidem spectes, prodiisse.

Adamum primum fuisse hominem ex eodemque totum genus humanum suam ducere originem, sacrae litterae testantur[1]), et S. Paulus in areopago disserens diserte docet.[2]) Illi igitur, qui vel nesciri aiunt, unde genus humanum ortum acceperit, vel totum genus humanum ab Adamo propagatum esse negant, Scripturae sacrae plane et aperte adversantur.

Homo corpore et anima ita absolvitur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma.[3]) Quum Ecclesiae sit, ea quae in Scripturis sacris de hominis formatione animationeque legimus, recte interpretari; quum ex hominis natura non tantum officia, quae ei incumbunt, sed dona etiam supernaturalia, atque ipsius quoque mercedis, quae promissa nobis est, ratio intelligatur; quum solum hominis natura probe explicata etiam de Christi natura assumpta recte sentiatur, erroresque in illa describenda commissi in huius etiam doctrinam illico redundare et debeant et experientia teste soleant: hinc Ecclesia, ne recta naturae humanae notio laederetur, sollicite curandum sibi existimavit. Et Synodus quidem oecumenica VIII.[4]) statuit, veteris novique testamenti effatis doceri, „unam animam rationalem et intellectualem habere hominem", eosque reprobat, qui „in tantum impietatis.... devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare.... pertentent". Concilium vero Viennense[5]) declarat, Dei Filium „partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus in se verus Deus exsistens fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem assumpsisse"; simulque „doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati ca-

[1]) Gen. 3, 20. — [2]) Act. 17, 26. — [3]) Pii IX. Litt. ad Emin. Cardinalem Archiep. Colonien. d. d. 15. Iunii 1857. Vid. Append. n. 32. [4]) Act. X. can. 11. Vid. Append. n. 3. — [5]) Cap. un. Clement. de summa Trinit. (I, 1.)

tholicae inimicam fidei" reiicit; et definit, „quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus". Quem canonem etiam Leo X. in Concilio Lateranensi V. innovavit. Neque alia ab his docuerant Patres illi, qui Verbi incarnationis veritatem iam pridem ab erroribus defenderant. S. Leo Papa in illa, quam ad Flavianum Constantinopoleos Episcopum contra Eutychis haeresin scripsit, epistola eandem, quam S. Cyrillus assentiente Concilio Ephesino doctrinam professus erat, hisce expressit vocibus: „Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: hoc est, in ea carne, quam assumpsit ex homine, et quam spiritu vitae rationalis animavit".[1])

Quum igitur secundum Conciliorum decreta anima rationalis vere ac per se sit corporis forma, et quum illorum temporum doctores gravissimi formam illud dicant principium, quo corpus vivit, sentimus, movemur et intelligimus[2]), sicut et Patres priores corpus humanum anima rationali animari dixerant: dubium esse nequit, e Conciliorum mente anima rationali a Deo creata ipsa omnes illas vitae nostrae operationes perfici, eamque esse veram per se atque immediatam corporis formam. Cavendum igitur est a sententia eorum, qui a sana doctrina aberrantes praeter animam rationalem in homine aliud quoddam fingunt vitae corporalis principium, quod animam sentientem vel somaticam vocant, sive hoc vitae corporalis principium psychicum seu vegetativum etiam a corpore distinguant, sive unam eandemque cum illo substantiam esse affirment.

Deus „sua omnipotenti virtute... utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam".[3]) Inhaerentes fidei decreto, quo animam humanam spiritum, hinc substantiam natura sua a materia distinctam esse profitetur Ecclesia, non possumus quin meminerimus illius gravissimae a Leone Papa X. in Concilio Latera-

---

[1]) Ep. ad Flavian. cap. 2. Vid. Append. n. 1. — [2]) S. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. — [3]) Conc. Lat. IV. cap. 1.

nensi V.[1]) editae sententiae, qua damnat et reprobat omnes, qui animam humanam asserunt esse mortalem aut in dubium id vocant. Etenim et Nos dolentes animadvertimus, a materiae cultoribus, ut Deum, sic animam quoque humanam materiae quasi immolari, dum mentis cogitationes nihil aliud nisi materiae affectiones et cerebri materiales quasdam secretiones ipsamque animam materialem et mortalem fingunt. Haec nimirum iam nunc est superborum poena, ut tradantur in reprobum sensum[2]) seque ipsos maxima afficiant contumelia, omnes ingenii sui vires in id impendendo, ut se ne homines quidem esse probent. Haec opinionum portenta praesenserat ille, qui dixit: „Homo, quum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis".[3]) Nec vero difficile erit, vel ex rationis argumentis christianae plebi demonstrare, qui, animam spiritualem et a corpore distinctam esse negando, alterum quasi religionis fundamentum evertunt, eos pari fere cum illis, qui Deum tollunt, poena plecti, quum et horum summa delicti sit nolentium recognoscere, quod ignorare non possunt.[4]) Ut enim e rebus creatis Deum, mundi auctorem, sic etiam ex animae cogitationibus, quae materiae vim superant, rem seu substantiam materiae superiorem cogitationumque principium esse merito inferimus; et ut in suae quilibet conscientiae intimo recessu Dei notionem aliquam deprehendit, sic etiam vitae post mortem perpetuo beatae desiderio quilibet se agi, modo attendat, sentit; et sicut omnium populorum voces et templa Deum esse clamant, eorundem populorum voces et sepulchra immortalitatis persuasionem attestantur.

CAPUT XV.

De hominis statu primitivo.

Cum Concilio Tridentino[5]) docemus, primum hominem in sanctitate et iustitia fuisse constitutum. Qui status iustitiae originalis erat supernaturalis minimeque debitus naturae hu-

[1]) Sess. VIII. Constit. *Apostolici regiminis sollicitudo* can. 2. Vid. Append. n. 10. — [2]) Rom. 1, 28. — [3]) Ps. 48, 13. — [4]) Tertull. adv. gent. cap. 17. [5]) Sess. V. de peccat. origin. can. 1.

manae, ac proinde Deus hominem donis supernaturalibus non instruendum condere poterat. Dona autem supernaturalia sunt illa, quibus humana natura ad altiorem ordinem elevatur, i. e. perfectionem aliquam recipit, quae eius vires proindeque id, quod exigere ipsa quodammodo potest, transcendit. Non esse inane scholae commentum hanc de donis naturae superadditis sententiam, Sedis apostolicae, quod de Baii doctrina tulit, scimus iudicio.[1])

Supernaturalis proin dicenda est gratia illa sanctificans, qua homo adeo supra conditionem suam elevabatur, ut filius Dei esset per adoptionem fieretque idoneus, qui felicitatem illam consequeretur, quae, quum in Dei cognitione intuitiva consistat, omnem hominis facultatem naturalem transcendit.

Supernaturalis et indebita erat concupiscentiae sub rationis imperium plena subiectio sive donum illud eximium integritatis, quo animi motus atque appetitiones ita Deus in homine temperavit, ut nunquam non parerent rationis imperio. Quum enim homo anima rationali et corpore constet, per se quidem fieri potest, ut ad corporis prae animae bonis quaerenda feratur et, nisi freno aliquo concupiscentia coërceatur, rebellis aliquando exsistat.[2])

Neque dici potest, Dei sapientiam et bonitatem exegisse, ut perfectus ille, qui in Adamo cernebatur, inferiorum cum superioribus viribus concentus in humanam naturam induceretur. „Non enim mediocria bona sunt“, ait S. Augustinus, „non solum quod anima est, quae natura iam omne corpus praecedit, sed etiam quod facultatem habet, ut adiuvante creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante et ab ignorantia caecante liberetur“.[3])

Immortalitatem quoque corporis immunitatemque ab aerumnis donum fuisse supernaturale facile liquet, quum e corporis, quod dissolutioni et corruptioni est obnoxium, natura non repe-

[1]) S. Pius V. Constit. *Ex omnibus afflictionibus* prop. 23. 24. Vid. Append. n. 11. — [2]) S. Thom. 1. 2. q. 82. a. 1. ad 3. — [3]) De lib. arbitr. lib. III. cap. 20. n. 56.

tatur, nec alio quocunque titulo debeatur homini. Unde S. Augustinus: „Mortalis", inquit, „(homo) erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris".[1]) Recte proin cum Doctore angelico concludimus: „Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione naturae suae relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens, in quo nihil humanae naturae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur; non tamen iste defectus in eo rationem culpae et poenae habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus esset."[2])

Hae catholicae Ecclesiae doctrinae ut a quorundam opinionibus nullum detrimentum patiantur, iuvat hic in mentem revocare Sedis apostolicae iudicio damnatas Baii sententias: „Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis".[3]) „Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio".[4]) „Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur".[5]) „Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio".[6]) Similiter eodem iudicio iam damnatam Quesnelli sententiam: „Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae".[7])

A veritate catholica illos aberrare asserimus, qui docent, Dei sapientiam et bonitatem exegisse, ut homini gratiam sanctificantem, immunitatem a concupiscentia aut immortalitatem corporis conferret; vel qui asserunt, immunitatem a concupiscentia necessario pertinere ad ipsius hominis ideam seu naturam; denique qui dona Adamo collata propterea solum supernaturalia vocanda esse dicunt, quod homini a Deo creante, et non ab homine sibi ipsi collata sint.

---

[1]) De Gen. ad litt. lib. VI. cap. 25. n. 36. — [2]) S. Thom. in 2. sent. dist. 31. q. 1. a. 2. ad 3. — [3]) Prop. 21. — [4]) Prop. 26. — [5]) Prop. 55. — [6]) Prop. 78. — [7]) Prop. 35.

CAPUT XVI.

De Adami praevaricatione et peccato originali.

Totam salutis oeconomiam non intelligunt, qui spreta revelatione hominem talem, qualis a Deo conditus erat, nunc nasci perverse statuunt. Ne immensa redemptionis beneficia maximi facere ac mirari unquam cesset populus christianus, generis humani lapsus eidem secundum Ecclesiae doctrinam saepe exponendus est. Itaque primus homo, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisit non sibi soli, sed nobis etiam: et inquinatus ille per inobedientiae peccatum non tantum mortem et poenas corporis in omne genus humanum transfudit, sed et peccatum, quod est mors animae.[1]) Aliena quidem erat actio Adami, si in ipso solo spectatur; nostra autem erat, quatenus tanquam caput nostrum peccavit.[2]) Quapropter cum Sede apostolica reiicimus hanc Baii sententiam: „Peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit".[3]) Prout vero reatum seu habitum dicit, qui post actum peccati perdurat et quo is, qui semel peccavit, vere peccator manet, peccatum originale est id, quod ex Adami actu in omnes est transfusum quodque baptismate tollitur. Baptismate enim tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.[4])

Itaque secundum catholicam fidem peccatum originale veram et propriam rationem peccati habere et culpae reatum includere et hominem vere peccatorem constituere dicendum est. Sensu enim vero et proprio peccatores sunt illi, in quos Adam per inobedientiae peccatum non solum „mortem et poenas corporis", sed etiam „peccatum, quod est mors animae", transfudit; vere peccatores, et culpae reatui subsunt illi, qui „in remissionem peccatorum veraciter baptizantur". Verum peccatum certe illic est, ubi reatus originalis peccati remittitur et tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.[5])

[1]) Conc. Trid. Sess. V. can. 1. et 2. — [2]) S. Aug. de nupt. et concupisc. lib. II. cap. 5. n. 15. — Serm. 165. n. 7. — In Ps. 103. serm. 3. n. 6. — [3]) Prop. 47. — [4]) Conc. Trid. Sess. V. can. 5. — [5]) Ibid. can. 2. 4. 5.

Adami peccatum „propagatione, non imitatione, transfusum omnibus inest unicuique proprium“ [1]); ergo peccati reatus non tunc demum noster fieri dicendus est, si ipsi consentimus. Nec consensum actualem singulorum illud peccatum requirit, quod e consensu seu voluntate Adami, capitis nostri, trahit originem.

Non in concupiscentia, quae in baptizatis manet, vera et propria seu formalis peccati originalis ratio sita est. Concupiscentia est e peccato et ad peccatum ducit, attamen quum homo, quantumvis ea moveatur, modo non consentiat, non peccet, neque illa peccatum est. Gratia baptismatis elevamur quidem, destructo simul peccato, ad statum iustitiae; sed non reddit baptisma, delendo concupiscentiam, quae scilicet ad agonem relinquitur, primam integritatem, quum tamen omne id, quod veram peccati rationem habet, baptismate tolli constet. Neque dicendum est, manentem post baptisma susceptum concupiscentiam ideo iam in renatis quidem veri peccati indole vel nomine carere, quod accedente gratia proportio et debitus ordo inter animae vires restituatur et proclivitas ad peccandum cesset. Non enim semper deprehendimus in baptizatis laudatum illum rationem inter et sensualitatem ordinem, qui efficiat, ut concupiscentia non iam trahat ad peccandum. Sed etiamsi per gratiam accedentem constricta esset concupiscentia, tamen si de se peccati rationem haberet, verum non esset, quod docet Ecclesia [2]): in baptismate tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, neque illud radi tantum aut non imputari. Maneret enim peccatum seu concupiscentia, sed non iam imputaretur utpote accedente gratia; vel rasum quidem, attamen non penitus evulsum esset, videlicet gratia cohibitum.

Patet etiam, peccatum originale reponi non posse tum in displicentia divina, tum in turbato recto inter hominis partes ordine. Etenim displicentia divina peccatum constituere nequit, quod, ut verum sit peccatum, homini ipsi insit necesse est. Si vero turbatus inter hominis partes ordo i. e. concupiscentia tanquam illius displicentiae causa designatur, non id statuitur, quod sensu vero et proprio sit peccatum.

[1]) Ibid. can. 3. — [2]) Ibid. can. 5.

Cum Dei bonitate et iustitia non pugnare, quod bonis non debitis, eximia autem liberalitate nobis praeparatis, Adami praevaricatione nos privari permiserit, id quidem eo facilius intelligimus, quum etiam sine illis hominem condere Deus potuerit, et miseriae, quibuscum ob eandem praevaricationem nunc conflictamur, uberrima nobis, si volumus, meritorum seges exsistant. Ampliora etiam, quam Adami abstulit culpa, Christi nobis contulit redemptio; unde canit Ecclesia: „O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem"! Haec aliaque animarum pastores commode tunc in mentem revocabunt fidelibus, si per revelationis adversarios e peccato originali fidem impugnari senserint. Tanto autem uberius id praestabunt, quo arctius Conciliorum, sanctorum Patrum et praestantissimorum Ecclesiae Doctorum sententiis inhaerendum et a rationis humanae, quae auctoritatis iugo se subducit, figmentis sibi cavendum existimabunt.

CAPUT XVII.

De peccati originalis effectibus nec restringendis nec exaggerandis.

Perversissima est quorundam sententia, quidquid sensibus blandiatur, id etiam congruere rationi, et quidquid libeat, id etiam licere. Etenim quas animi appetitiones integritatis dono Deus ita temperaverat, ut nunquam non parerent rationis imperio, iam solutae illo freno rebelles exsistunt et feruntur in vetita. Manifestum autem est, cupiditatibus tenebras offundi intellectui hominemque trahi ad multos errores, qui tanto difficilius vitantur, quo periculosioribus ei artibus illuditur a daemone. Recte igitur homo dicitur per peccatum originale spoliatus esse gratuitis, et vulneratus in naturalibus. Doctor angelicus id, quod S. Augustinus ignorantiae et difficultatis nomine complecti solet, uberius explicans haec docet: „Per iustitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animae vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subiecta. Haec autem originalis iustitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: et ipsa de-

stitutio vulneratio dicitur naturae .... In quantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiae; in quantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiae; in quantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiae".[1])

Hinc est, quod homo lapsus iam indiget revelatione et gratia, ut veritates religionis etiam naturalis eo, quo opus est, modo, brevi tempore et sine falsitate admixta cognoscat [2]) ac legem naturalem totam constanter observet.

Ut vero cavendum est, ne cum pelagianis peccatum originale negantibus et huius temporis rationalistis hominis vires nimium efferantur, ita pariter cavendum est, ne cum novatoribus saeculi XVI. eorumque asseclis, inter dona supernaturalia et naturalia non recte discernentibus, eaedem vel exstinctae dicantur vel nimium deprimantur. Errori veritas, non errori opponendus est error.

Quod imprimis ad voluntatem attinet, ea, licet ex peccato originali infirmior exstiterit, non tamen omni vi et efficacia vel libero arbitrio privata est.[3]) Et quamvis non solum gratia sanctificante, sed etiam fide careat homo, non tamen omnia eius opera, ut quidam voluere, peccata sunt. Cum Sede apostolica reiicimus hanc, et quascunque similes, Baii sententiam: „Omnia opera infidelium sunt peccata"[4]), itemque hanc: „Necesse est infidelem in omni opere peccare".[5]) Longe ab hac diversam S. Augustinus, peccati originalis et gratiae quantumvis strenuus assertor, tradit doctrinam, dum scribit: „Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere; si hoc est, quod dictum est, quia gentes, quae legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quae legis sunt faciunt, et quia huius-

---

[1]) S. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3. — [2]) S. Thom. cont. gent. lib. I. cap. 4. — [3]) Conc. Trid. Sess. VI. de iustif. can. 4. 5. 7. — [4]) Prop. 25. — [5]) Prop. 8. inter 31 damn. ab Alex. VIII.

modi homines ipsi sibi sunt lex, et scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, uou omni modo deletum est, quod ibi per imagiuem Dei, cum creareutur, impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat a vetere testamentum novum....... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae iuerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et seutit et facit; sed pictas, quae in aliam vitam transfert beatam et aeteruam, legem habet immaculatam, converteutem animas".[1]) Si ita est, potest homo lapsus etiam solius uaturae viribus quaedam opera moraliter bona seu houesta facere. Aliud tamcu est totam legem naturalem, aliud eius partem posse implere.[2]) Ipsa etiam Tridentina Synodus geutes „per vim uaturae", quum „iu eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet atteuuatum et incliuatum", potuisse boni aliquid facere, quod tamen non pertineat ad vitam aeteruam, aperte supponit.[3]) Merito igitur ab Ecclesia iuter alias similes haec proscripta est Quesnelli propositio: „Voluntas, quam gratia uon praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se praecipitaudum, virium, nisi ad se vulneraudum; est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum".[4]) Pariter doctrina syuodi Pistorieusis de duplici amore (domiuantis cupiditatis et charitatis dominantis), „qua parte inter dominautem cupiditatem et charitatem domiuautem nulli ponuntur affectus medii, a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis uaturalique propensioue ad bouum „„remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis""[5]), perinde ac si „„inter dilectionem diviuam, quae nos perducit ad regnum, et dilectiouem humauam illicitam, quae damnatur"", non daretur „„dilectio humana licita, quae uou repreheuditur""[6]), haec, inquimus, doctrina a Pio VI. Poutifice merito declaratur „falsa, alias damnata".[7])

Ut voluntas bonum aliquod perficere, ita etiam intellectus hominis lapsi veritates aliquas, quae ad religionem naturalem

---

[1]) De spiritu et litt. cap. 28. n. 48. — [2]) S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 2. — [3]) Sess. VI. de iustif. cap. 1. — [4]) Prop. 39. — [5]) S. Aug. de spir. et litt. cap. 28. — [6]) S. Aug. serm. 349. de char. n. 1. — [7]) Constit. *Auctorem fidei* prop. 24. Vid. Append. n. 18.

spectant, et imprimis Dei exsistentiam, certo et e suis principiis cognoscere potest. Docet enim de gentibus loquens Apostolus[1]), e manifestatione naturali per res creatas Deum et sane Deum verum, a mundo distinctum, cui scilicet gratias debebant agere, cognosci posse et cognitum esse. Non de dubia aliqua et incerta cognitione sermo est: quod enim manifestum est, quod intellectu conspicitur, id vero certissimum est. Unde etiam S. Augustinus cum aliis sanctis Patribus hanc Dei seu generatim religionis naturalis cognitionem aliquam a natura proficisci diserte docet, dum eam ex illis imaginis divinae „extremis lineamentis" atque ex „vi illa naturae, qua legitimum aliquid anima rationalis sentit et facit", explicat et a „pietate" distinguit.[2]) Huc spectat confixa pridem a Sede Romana Quesnelli sententia, omnem Dei cognitionem etiam naturalem, etiam in philosophis ethnicis Dei donum esse asserentis.[3]) Ex illis, quae diximus hactenus, satis iam liquet, non solum vago animi sensu Dei notitiam percipi, sed demonstratione legitima seu ratiocinatione, quemadmodum et alias quasdam veritates morales, Dei exsistentiam posse probari. Unde ex animo huic assentimus sententiae: „Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest".[4])

TITULUS V.

DE CHRISTO HUMANI GENERIS REPARATORE.

CAPUT XVIII.

De incarnationis causis.

Poterat quidem Deus genus humanum in Adamo lapsum non reparare ad pristinum finem supernaturalem, sed sorti sibi paratae et libere inductae suisque viribus naturali tantum auxilio

---

[1]) Rom. 1, 18—21. — 2, 14. 15. — Sap. 13, 9. — [2]) Cf. locum supra relat. de spir. et litt. cap. 28. n. 48. — [3]) Clement. XI. Constit. *Unigenitus* prop. 41. Vid. Append. n. 16. — [4]) Prop. 2. emiss. a S. Congreg. Indicis a. 1855. Vid. Append. n. 30.

adiutis committere.[1]) Poterat quoque aliis humano generi, si reparare volebat, succurrere viis. Si vero integram exigens satisfactionem iustitiam non minus quam misericordiam manifestando reparare volebat, nemo poterat satisfacere, nisi qui Deus simul esset et homo.[2])

Itaque Verbum, secunda Trinitatis persona, in plenitudine temporis naturam suscepit humanam, tum ut omnes omnino, etiam illos, qui praecessissent, passione potissimum et morte redimeret, tum ut omnes, qui subsequerentur, non redimeret solum, sed verbo et exemplo etiam doceret, quum non redemptore solum indigerent, sed et veritatis magistro.[3])

„Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis".[4]) Gloriam Iesu Nazareni, Unigeniti a Patre, viderunt homines, quum „aperti sunt ei coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se"; et vox audita est: „Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui".[5]) Viderunt hanc gloriam, quoties Iesus Christus ipse se Dei Filium asserens miraculis et vaticiniis veritatem suae attestationis comprobabat. Viderunt imprimis hanc gloriam in illa a mortuis resurrectione, quam signum praecipuum, quo Dei Filius comprobandus foret, praedixerat. Viderunt etiam hanc Iesu Christi tanquam Unigeniti gloriam, quum Apostoli eundem Deum, Dei Filium, Messiam esse toti nunciaverunt orbi, „Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis".[6]) Viderunt denique hanc gloriam, quum Ecclesia, ipsa miraculis et Martyrum triumphis veritatis comprobata magistra, Iesum Nazarenum Deum, Dei Filium, Patri consubstantialem professa est his symboli verbis: „Credo in Deum, Patrem omnipotentem.... et in Iesum Christum Filium eius unicum.... Deum de Deo... Deum verum de Deo vero".[7]) Videmus et nos hodie hanc gloriam, quum Ecclesia catholica, nullis unquam contaminata erroribus, nullis per tot saecula victa persecutionum procellis, eandem Iesu Christi

[1]) S. Aug. de nat. et grat. cap. 4. et 5. — [2]) S. Anselm. cur Deus homo lib. II. cap. 6. — [3]) S. Leon. serm. 3. de nativ. — [4]) Ioan. 1, 14. — [5]) Matth. 3, 16. 17. — [6]) Marc. 16, 20. — [7]) Symb. Apost. et Nic.

Dei Deique Filii professionem tanquam lucidum et fulgens inter infidelitatis tenebras profert vexillum.

Quum igitur non sit in alio aliquo salus, nec aliud nomen sit sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri[1]): christiani ut vivam ac sinceram in Iesum Christum redemptorem concipiant foveantque fidem et grati animi sensus, animarum pastoribus summopere allaborandum est. Et tanto id impensius procurandum existimabunt, si deismi, qui Deum unice praedicat, Iesum salvatorem ignorat, labem spargi ac vulgari alicubi senserint. Christiani nomen quomodo gerat, qui ignorat aut non adorat Christum! Nec sine causa primis saeculis Ecclesia, ut sinceram in Christum Dei Filium tueretur fidem, tanta vigilantia haereticorum elusit insidias, tam intrepido animo acerbas imperatorum subiit iras, crudelia passa est exilia, rapinas, carceres mortemque ipsam contempsit. Recta scilicet in Christum fide religio stat christiana.

CAPUT XIX.

De duabus in Christo naturis unaque persona.

Concilium Chalcedonense confitetur „unum eundemque Filium et Dominum nostrum Iesum Christum... eundem perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationabili et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato..... unum eundemque Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata naturarum differentia propter unitionem".

Unde etiam duplex in Christo agnoscenda est voluntas, divina et humana, haec tamen non contraria illi, sed subiecta.[2]) Quum porro natura utraque suam sibi propriam haberet formam et virtutem operandi, duplex etiam agnoscenda est operatio. Neque ideo, quod natura divina subiectam sibi haberet humanam

[1]) Act. 4, 12. — [2]) Conc. oecum. VI. (Constantin. III.)

et per eam operaretur, natura humana suam propriam amittebat formam et virtutem.[1]) Vocamus igitur cum Concilio Lateranensi celebrato a. 649.[2]) Christi operationes theandricas non ob confusionem aliquam operationum seu virtutum, sed ideo, „quod divina operatio eius utitur humana, et humana eius operatio participat virtutem divinae operationis".[3])

Unde iam colligitur, alio modo in Christo, qui naturam complectitur divinam et humanam, alio modo in homine, qui anima rationali constat et corpore, de operandi principio esse loquendum. In homine enim unum est operationum principium seu una operandi virtus, quia corpus, licet diversa ab anima rationali substantia, virtutem tamen operandi ab ea accipit, quum in Christo natura humana in se suum operandi principium virtutemque haberet, nec a Verbo, quasi id animae vice fungeretur, acciperet.

Una est in Christo persona et persona quidem divina, Verbum, cui humana natura unita est. „Si quis non confitetur, carni secundum hypostasin unitum Dei Patris Verbum unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, anathema sit".[4]) Natura igitur humana, quae in nobis, quia in se subsistit, est persona, in Christo, quia ad Verbum refertur eiusque hypostasi subsistit, persona non est. Verbum, facta incarnatione, quemadmodum divina, sic etiam humana natura utitur tamquam sua proindeque humanitas Verbi propria esse dicenda est.

Unio haec in persona ab unione illa in natura, qua anima et corpus in homine unum sunt, aliqua re differt, alia re cum ea convenit. Differt propterea, quod anima, secus ac Verbum naturae humanae, iungitur corpori ut forma materiae et ideo vitam ei praestat unamque cum eo constituit naturam, humanam. Convenit autem propterea imprimis, quod, ut unio animae cum corpore, ita et unio Verbi cum natura humana intima, imo substantialis, non accidentalis est, quum non sine Verbo operetur natura humana. Convenit etiam, quia, sicut anima corpore,

---

[1]) S. Leon. ep. dogmat. ad Flavian. cap. 4. Vid. Append. n. 1. — [2]) Can. 15. — [3]) S. Thom. 3. p. q. 19. a. 1. ad 1. — [4]) Decr. Conc. Ephes. can. 2.

praeterquam quod in eo est ut forma in materia, utitur simul ut instrumento proprio, ita Verbum natura humana, licet tamen eius non sit forma, utitur ut instrumento assumpto arctissimeque coniuncto, quod quidem vita sibi propria pollet. Id, in quo animae et corporis compositio cum Verbi et naturae humanae coniunctione convenit, significans symbolum Athanasianum dicit: „Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus". Quum persona Verbi non perficiatur a natura humana, neque hac constituatur vel ex parte, persona Verbi est simplex omnino; composita vocatur quandoque, quatenus duas complectitur naturas, per quas operatur.

Itaque quum secundum fidem Ecclesiae una sit agnoscenda in Christo persona, dogma catholicum ab illis laedi declaramus, qui ausi sunt docere, duas in Christo esse personas, alteram divinam, humanam alteram; Christum esse unum unamque personam catenus tantum, quod persona divina, utpote nobilior quam humana, principatum seu hegemoniam habeat; Ecclesiam duas in Christo personas negasse propterea quod, personae notione nondum recte constituta, duas personas dicendo perperam fuisset intellecta.

Quamvis aliud sit humana, aliud divina natura nec proinde fas sit dicere, humanitatem esse divinitatem, non tamen alius est Deus, alius homo in Christo, sed idem Deus et idem homo. Recte igitur, de Christo agentes, Scripturae sacrae Patrumque loquendi modum secuti, dicimus: Deus est homo, est natus, passus; hic homo est Deus, est omnipotens. Nec immerito canit Ecclesia: „Qui te creavit, parvulum lactente nutris ubere". Proprietates enim utriusque naturae recte praedicantur de una eademque earum hypostasi. Quae idiomatum communicatio quum inter hominis animam et corpus non sit (non enim anima corpus vel mortalis esse dicenda est), apparet denuo, alio modo in homine corpus iunctum esse animae, atque in Christo naturam humanam Verbo.

Hinc etiam sequitur, Christum hominem, etsi liberum, peccare non potuisse. Quum enim, quae per naturam fiunt, tribuenda sint personae, si Christus peccare omnino potuisset, di-

cere liceret: Deus potest peccare, quod sane blasphemum foret. Imo et „passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum" eum fuisse qui dixerit, impius iudicatur ab Ecclesia.[1]) Nec ut voluntas sit libera, requiritur, eam eligere posse inter bonum et malum: quis enim dixerit, Deum in suis operibus ideo, quod malum eligere non possit, non esse liberum? Sufficit, si inter bonum et bonum possit eligi. Unde impii in Christum sunt illi, qui eum peccare potuisse opinantur.

Fuisse in anima Christi praeter scientiam acquisitam etiam scientiam infusam, imo et visionem Beatorum, et quidem inde ab ortu, magno consensu docent theologi. Et sane eximium scientiarum thesaurum ei largiendum esse, praedixerat Propheta.[2]) Cavendum igitur est, ne quid humile vel eo indignum hac in re statuatur. Hac autem culpa sane illos non vacare iudicamus, qui docent, Christum hominem sensim sensimque, atque adeo in tentatione demum perfectam sui muneris conscientiam esse adeptum.

CAPUT XX.

De B. Maria, Deipara, Virgine perpetua, omnis labis experte.

Beata Virgo Maria vere Deipara est, quia Deum peperit.[3]) Etenim quia unus est Christus, et quia idem, qui Deus est, secundum humanam naturam ex Virgine natus est, Maria Deum peperisse dicenda est. Unde Concilium Ephesinum: „Si quis non confitetur .... Dei genitricem (esse) sanctam Virginem .... anathema sit".

Maria virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit. Partum virginalem Propheta stupens praedixerat[4]). Hinc illa in symbolis et liturgiis Mariae Virginis perpetua appellatio, quae, quo sensu intelligenda sit, S. Augustinus docet, dum scribit: „Quo (Christo) si vel nascente corrumperetur eius (Mariae) integritas, non iam ille de Virgine nasceretur; eumque falso,

[1]) Conc. oecum. V. (Constantin. II.) can. 12. — [2]) Is. 11, 2. 3. — [3]) Luc. 1, 35. — [4]) Is. 7, 14.

qnod absit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia"[1]). In eandem rem S. Hieronymus: „Pulchre", inqnit, „qnidam portam clansam Mariam Virginem intelligunt, qnae et ante partum et post partum virgo permansit"[2]).

Mariam his in terris nullnm nnquam commisisse peccatum, celebratissima S. Angustini est sententia.[3]) Communem hanc esse Ecclesiae ea de re persuasionem, Concilinm Tridentinum diserte edicit[4]).

Doctrinam de immaculata beatissimae Virginis conceptione in Ecclesia semper exstitisse velnti a maioribus acceptam ac revelatae doctrinae charactere insignitam, illustria venerandae antiqnitatis Ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Amplissimis enim verbis sancti Patres beatae Virginis sanctitatem, ab omni peccati labe integritatem, eius de hoste infernali, cnins capnt immacnlato pede contriverit, triumphnm plenissimum celebrant. Hinc illa a multis saeculis tot Ecclesiae praesnlum, doctorum ac pastorum in Virginis immacnlata conceptione celebranda consensio, cuius rei haec Provincia nostra duo iam pridem praebuit documenta, alterum, qnum Universitas Coloniensis anno 1494. ad eiusdem Virginis immaculatam conceptionem asserendam iureiurando se obstrinxit, alterum, quum iam ab antiquis temporibus canonici capitulares ecclesiae cathedralis Coloniensis decorationem pectoralem gestant stellam auream, in cuius parte aversa beatae Virginis icon conspicitur cnm hac inscriptione: „Virgo sine labe concepta". Omne, qnod superesse poterat, dnbium discussum est, qunm orbis catholicns laetabundns Pii IX. snmmi Pontificis omninmqne christianorum Patris ac Doctoris ore hanc editam accepit sententiam: „Auctoritate Domini nostri Iesn Christi, beatorum Apostolornm Petri et Pauli, ac Nostra declaramus, pronunciamns et definimns, doctrinam, qnae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeser-

---

[1]) Enchir. cap. 34. — [2]) In Ezech. cap. 44. — [3]) De nat. et grat. cap. 36. n. 42. — [4]) Sess. VI. de iustif. can. 23.

vatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam". [1])

Quanta Christi fidelium gratulatione et laetitia in hac quidem Provincia declaratio illa excepta sit et quos pietatis fructus protulerit, testes sunt processiones in ipsa promulgationis die solemniores et maiore, quam ab hominum memoria contigerat, populi frequentia celebratae, platearumque ac domorum festiva exornatio ac splendidissima sub vesperam illuminatio; testes sunt alibi columnae, alibi nosocomia, alibi ecclesiae etiam in perennem rei memoriam erectae; testes sunt devotio mensis Mariani magna fidelium pietate frequentata, litanias de beata Virgine cum antiphona Salve Regina diebus sabbathinis decantandi consuetudo passim inducta, et confraternitas de immaculato beatae Virginis corde ad peccatores convertendos latius propagata.

Haec in beatam Virginem sine labe conceptam populi devotio ut foveatur et maiora in diem capiat incrementa, pastorum providendum est sollicitae curae. Docendus et hortandus est, ut ad Dei Matrem illibatam, consolatricem afflictorum, auxilium christianorum, salutaris apud Deum intercessionis causa in rebus adversis confugiat, integerrimamque eius puritatem, quantum humana fert conditio et fragilitas, imitari satagat; et ut viva semper privilegii illius praestantissimi, quo divinae bonitati eam exornare placuit, apud omnes vigeat memoria, in litaniis semper adiungenda est invocatio: „Sancta Maria, sine labe originali concepta, ora pro nobis"!

---

[1]) Pii IX. Constit. *Ineffabilis Deus* d. d. 10. Dec. 1854. Vid. Append. n. 29.

TITULUS VI.

DE CHRISTI ECCLESIA.

CAPUT XXI.

De Ecclesiae origine perpetuaque constitutione.

Hac nostra aetate quum tanta passim vigeat libido subiectivis ut vocant placitis inhaerendi eaque in religionis etiam, unde vel maxime exulare debebat, transferatur negotium, Christi fideles, ut contra hanc pestem muniantur, sedulo sunt edocendi, eam solam religionis formam esse veram et ab omnibus amplectendam, quam ad consummationem usque saeculi duraturam Christus ipse instituit.

Christus autem his e terris discedens Apostolos operis sui vicarios Ecclesiae contulit praeesse pastores [1]), qui salutari nunciata doctrina eos, qui credidissent, baptismo tinctos, redemptionis gratiae efficerent participes arcteque inter se nexos pro potestate regerent.[2]) Visibilis haec hominum eandem doctrinam profitentium, eorundem sacramentorum communione iunctorum et Apostolorum eorumque successorum imperio submissorum societas est illa Ecclesia, quam se instituturum esse diserte praedixerat.[3])

Ecclesia igitur est novum hominum redintegratorum genus, quod a Christo ducit originem, quemadmodum homines lapsi ab Adamo. In Adamo adoptione spoliati, dum baptismate visibiliter in Ecclesiam cooptamur, invisibiliter Christo per gratiam coniungimur et filii adoptivi constituimur. Neque enim ut Ecclesiae externo accessu coniungamur, ad salutem sufficit; sed ut eius etiam animae per gratiam sanctificantem inseramur eaque vivamus necesse est. Quum videlicet tum iusti tum iniusti, modo baptismate suscepto Christi doctrinam profiteantur legitimisque subsint pastoribus, ad Ecclesiae visibile corpus pertineant, eius tamen anima soli iusti vivunt, quippe qui soli intime Christo sint coniuncti. Hac autem ratione non duae constituun-

[1]) Praefatio de Apost. — [2]) Matth. 28, 19. 20. — [3]) Matth. 16, 18.

tur Ecclesiae, visibilis altera, altera invisibilis, sed una eademque Ecclesia visibilis corpore vivo, sicut et corpus et anima unum constituunt hominem visibilem.

Christus porro suam ipsius potestatem ita per Apostolos exerceri continuarique voluit, ut quam ipse has in terras doctrinam intulerat, eam illi annunciarent gentibus; et quos gratiarum thesauros ipse morte sua nobis meruerat, eorum illi essent dispensatores; et quam ipse domum construxerat, eam illi regerent. Non igitur e terris omnino evanuisse dicendus est, quum in Ecclesia, suo quasi corpore, quod ab Apostolis regeretur, inter homines perpetuo versari et vivere voluerit.

Ecclesia enim tamdiu his in terris persistet et vivet, quamdiu homines sunt, qui Christo sunt inserendi. Etenim „non est in alio aliquo salus, nec .. aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri“.[1]) Nec quomodocunque perpetuo durabit Ecclesia, sed ea iugiter erit, quae a Christo est instituta; quapropter nunquam tempus erit, ut quidam somniaverunt, quo Ecclesiae locum regimen civile obtinere eiusque partes suscipere possit. Christus convelli et destrui opus suum non patietur, quum promiserit fore, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam. Sed nec ipse Ecclesiam dissolvet, ut aliam ei substituat, quemadmodum Ecclesia successit Synagogae. Hanc aliquando cessaturam Prophetae saepe praedixerant; Ecclesiam autem tanquam id, quod prioribus institutionibus esset praeparatum, perpetuo duraturam ea, qua Synagogae succederet, forma, et ipsi innuebant et Christus aperte praedixit, promittens, se fore usque ad consummationem saeculi cum Apostolis illam, quam acceperant, exercentibus potestatem.[2]) Itaque ut eadem doctrina eademque sacramenta, ita eadem quoque regiminis potestas et idem proinde praesidum collegium, quod Christus discedens affatus est, perpetuo erit in Ecclesia.

---

[1]) Act. 4, 12. — [2]) Matth. 28, 20.

CAPUT XXII.

De Romano Pontifice, Petri Apostolorum principis successore.

Christus ut Ecclesiae, corpori suo mystico et visibili, visibile etiam, postquam hinc discessisset, caput constitueret, Simonem Petrum Apostolorum creavit principem. Id ut significaret, supra Petrum se aedificaturum Ecclesiam edixit.[1]) Quam aedificium a fundamento, eandem a Petro, fundamento visibili, firmitatem acceptura declaratur Ecclesia. Sunt quidem et reliqui Apostoli, quum potestate praediti sint, Ecclesiae fundamenta, attamen non tam insigni, quo Petrus, modo. Hic enim prae ceteris unum et universale constituitur fundamentum, quum ei, sicuti prae ceteris Iesum Christum Dei Filium professus erat, prae ceteris praerogativa esset deferenda. Hoc quo fieret manifestius, plenam de omnibus, quae ad Ecclesiam respiciunt, statuendi seu clavium potestatem Christus ei promisit.[2]) Etsi clavium potestas etiam reliquis concedenda erat Apostolis, eminentiori tamen modo confertur Petro, quum, quod omnibus est commune, non singularis dignitas fuisset nec munus singulare ob singularem fidei professionem delatum. Hanc autem singularem dignitatem et potestatem reapse Christus tunc contulit in Petrum, quum, postquam e sepulchro vivus prodiit, agnos ovesque pascendi munus eidem imposuit.[3]) Soli iterum Petro munus hoc tam amplum, quod et agnos et oves totumque Christi gregem, omnes denique, qui inter Christi oves referri cupiunt, omnes proin Ecclesiae ordines respicit, demandari videmus, quum Petrus, an prae ceteris Apostolis Christum amet interrogatus, prae ceteris etiam distinguendus declaratur. Iam etiam manifestum est, cur soli Simoni Petro Christus nomen imposuerit, quod aliquam in Ecclesia significaret potestatem[4]); cur singulari modo pro Petro rogaverit, ne eius deficeret fides et ut aliquando conversus fratres confirmaret.[5])

Longum est, Patrum tam graecorum quam latinorum sin-

---

[1]) Matth. 16, 18. — [2]) Ibid. 19. — [3]) Ioan. 21, 15—17. — [4]) Ioan. 1, 42. — [5]) Luc. 22, 32.

gillatim recensere testimonia, qui modo a Petro unitatis originem repetunt[1]), modo eundem caput constitutum dicunt, ut schismatis tollatur occasio[2]), modo os et Apostolorum principem appellant[3]), modo, ubi Petrus, ibi Ecclesiam esse declarant.[4]) Communem fuisse apud Graecos et Latinos illam Christi verborum interpretationem e S. Gregorio Magno discimus, qui apud Mauritium imperatorem de Ioanne Constantinopolitano Episcopo, Universalis sibi appellationem arrogante, conquerens scribit: „Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est". [5])

Petro Apostolorum principi unum aliquem in principatu successisse, pronum iam est concludere, quandoquidem Christus cum illo Apostolorum collegio, quemadmodum tunc erat constitutum, se perpetuo mansurum promiserat; hoc autem Apostolorum collegium ita constitutum erat, ut unus in eo gereret primatum. Petrus porro illud est Ecclesiae fundamentum illeque rector, a quo firmitatem Ecclesia acciperet, ut hostibus perpetuo esset superior. Semper autem aedificium indiget fundamento semperque civitas rectore. Dein quum semper his in terris ligandae et solvendae sint res gravissimae, semper etiam sit, qui amplissima illa Petro demandata in Ecclesia polleat potestate, necesse est. Denique quum semper sint oves agnique pascendi semperque fratres confirmandi, non ad Petri personam munus hoc gravissimum Christus restrinxisse existimandus est. Itaque Petri aliquo successore constituto, corpus Ecclesiae visibile visibili insignitum est capite, et perfectissima gaudens unitate, quae facile per orbem disiicerentur membra, colligit mutuoque inter se iungit nexu.

Romanos vero Pontifices Petri, Romae pro fide interfecti, esse successores, id quidem inde ab initio constabat omnibus, unde et rerum ecclesiasticarum scriptores antiquissimi, quum Romanorum Pontificum texunt seriem, a Petro incipiunt.[6]) Quum

[1]) S. Cyprian. de unit. Eccles. — [2]) S. Hieron. in Iovin. lib. I. n. 26. — [3]) S. Chrysost. hom. 87. in Ioan. — [4]) S. Ambros. in Ps. 40. — [5]) Ep. lib. IV. ep. 32. — [6]) Tertull. de praescript. cap. 32. — S. Iren. adv. haer. lib. III. cap. 3. — S. Optat. Milev. adv. Parmen. lib. II. cap. 2. et 3.

enim Episcopo succedat is, qui defuncti sedem eo, qui statutus est, modo occupat, Petro tanquam Romanae Ecclesiae Episcopo defuncto sncccsscrunt illi, qui in cius locum Romae deinceps snffecti sunt. Collatam Petro potestatem pascendi, ligandi et solvendi fratresque confirmandi in se transiisse norant inde a primis saecnlis Romani Pontificcs. Pracclaris id S. Leo Papa effert verbis: „Quamvis", inquit, „singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibns snis praesint sciantque se pro commissis sibi ovibns reddituros esse rationcm, nobis tamen cum omnibus cura communis cst, neque cuiusquam administratio non nostri laboris est portio; ut, dum ad beati Apostoli Petri sedem ex toto orbe concnrritur, et illa nniversalis Ecclesiae a Domino eidem commendata dilectio etiam cx nostra dispensatione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus, qnanto cnnctis maiora debemus".[1] Petrum in Romanis Pontificibus vivere ac per eosdem loqui norant Concilii Chalcedonensis Patres omnes, qui recitata Leonis Papae epistola uno ore professi sunt: „Petrus per Leonem locntus est". Romana Ecclcsia S. Cypriano est „Petri cathedra atque Ecclesia principalis, nnde unitas sacerdotalis exorta cst"[2]; est Ecclesiae catholicae radix et matrix, qnam ut agnoscant et tcneant, alios hortatur.[3] De Romana Ecclesia agens S. Irenaeus ait: „Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omncm convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt nndiqne fideles".[4] Non sua solnm, sed omnium scnsa S. Bernardus pandit, quum Eugenium Pontificem hisce compellat verbis: „Age indagemns adhnc diligcntius, quis sis, qnam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcopornm, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatn Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritatc Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrns, unctione Christus. Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt. Sunt quidem et alii coeli ianitores et gregum pastores, sed tu tanto gloriosins, quanto et differentius utrumque prae ceteris

[1]) S. Leon. serm. 4. al. 5. cap. 2. in annivers. assumpt. — [2]) Ep. 55. — [3]) Ep. 45. — [4]) Adv. haer. lib. III. cap. 3.

nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, quaeris? Ex verbo Domini".[1])

Itaque ad declarandam nostram in hanc Sedem Romanam et illum, qui Dei providentia nunc eam gloriosissime tenet, Sanctissimum Patrem nostrum, Pium IX., venerationem et submissionem cum Patribus Florentini oecumenici Concilii profitemur, „sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem et doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur".

Agnoscimus etiam, divina providentia effectum esse, ut Romano Pontifici dominium temporale obvenerit, quo certius Sedis apostolicae et Ecclesiae totius libertas custodiretur et expeditior esset rerum ecclesiasticarum pro omnibus omnium nationum fidelibus administratio. Agnoscimus pariter et attestamur, impiam et sacrilegam esse, quae nuper tentata est, dominii pontificii spoliationem totique orbi catholico nefaria illa audacia illatam esse iniuriam. Sed et quae sanctissimo Domino nostro Pio IX. parata sunt opprobria, anxietates et sollicitudines, illa et Nos animis nostris intime sentire eiusque dolores et nostros esse dolores palam profitemur.

CAPUT XXIII.

De Episcopis, Apostolorum successoribus.

Christus quam potestatem Apostolis detulerat, eandem eorum successoribus committere voluit; subiunxit enim: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sae-

[1]) De considerat. lib. II. cap. 8.

culi". [1]) Itaque Apostoli a divino Magistro edocti et Spiritu sancto muniti in universam terram profecti sunt, praedicantes ubique Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis; atque, fidei doctrina sparsa, discipulos in evangelii ministerium assumptos et operis apostolici adiutores electos ecclesiis Deo congregatis praefecerunt. [2]) Timotheum discipulum Paulus ecclesiae Ephesi fundatae Episcopum instituit, Titum Cretae reliquit, ut per civitates presbyteros constitueret. [3]) Seniores Ephesinis fidelibus praefectos idem Paulus admonet, ut attendant sibi et universo gregi, in quo eosdem Spiritus sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. [4])

Itaque inde a suo primordio Ecclesia universa Episcopos „Apostolis vicaria ordinatione succedere" [5]), habere „successionem ab Apostolis, et cum episcopatus successione charisma veritatis certum" [6]), „Dei loco praesidere" [7]) credidit. Ob tantam igitur dignitatem S. Ignatius Martyr Episcopos, ecclesiarum etiam angelos appellatos, ab omnibus sequendos esse enunciat, ut Iesus Christus secutus est Patrem. [8]) Omnium denique saeculorum fidem sanciens sacrosancta Tridentina Synodus declarat, Episcopos in Apostolorum locum successisse et positos esse a Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei. [9])

Episcopi igitur legitime constituti imprimis dominici gregis rectores sunt, quibus, ut praecepta rite observentur omniaque tum in cultu divino tum in vita christiana rite ordinentur, cura commissa est. Pastores sunt, qui praeeuntes gregem in bona pascua educant, contra fures et latrones luposque rapaces, sanguine etiam et vita profusa, oves tueantur. [10]) Custodes sunt, qui supra muros Ierusalem excubias perpetuo agentes, quid de nocte sit, explorent et hostes in sanctam civitatem irruentes repellant. Doctores sunt, qui depositum fidei custodientes et facientes opus evangelistae, tanquam boni Iesu Christi ministri,

[1]) Matth. 28, 20. — [2]) Marc. 16, 20. — Rom. 16, 21. — I. Thess. 3, 2. — [3]) I. Tim. 1, 3. — Tit. 1, 5. — [4]) Act. 20, 28. — [5]) S. Cypr. ep. 69. — [6]) S. Iren. adv. haer. lib. IV. cap. 26. al. 43. — [7]) S. Ign. ep. ad Magn. n. 6. — [8]) Ep. ad Smyrn. n. 8. — [9]) Sess. XXIII. de sacr. ord. cap. 4. — [10]) Ioan. 10, 1—12.

verbis fidei et bonae doctrinae fideles nutriant, et habentes formam sanorum verborum, devitantes autem profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, sibi et suis attendant.[1]) Dispensatores mysteriorum Dei sunt, qui quum ipsi confirmationis praecipue aliorumque sacramentorum charismata salutaria distribuant, tum levitas ad sanctuarii ministerium vocatos et institutos manuumque impositione et unctione sacris ordinibus initiatos, per singulas ecclesias constituant presbyteros, qui idonei sint et alios docere ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, et in aedificationem corporis Christi.[2]) Iudices sunt, quos qui audit, Deum audit, et qui spernit, Deum spernit, quibusque a Deo delatum sit officium, non solum strenue invigilandi, ut quaecunque sunt vera, iusta et sancta in Ecclesia Dei observentur, sed etiam intrepide arguendi peccantes, ut et ceteri timorem habeant et scandalum de medio tollatur.[3]) Denique Episcopi etiam patres sunt constituti in domo Dei et familia sanctorum, patres, inquimus, qui quotquot in Iesu Christo per evangelium geniti et ex aqua et Spiritu sancto renati sunt, paterno affectu complectantur ac foveant, debiles in bono proposito sustentent, pusillanimes consolentur, aberrantes reducant, infirmos consolident, confractos alligent, depravatos convertant, eos qui perierunt quaerant, inquietos corripiant, recalcitrantes castigent, charitatem in omnes, praesertim in egenos et miseros foveant atque ita ministerium suum implentes et in omnibus bonorum operum exemplum seipsos praebentes, sollicitudine indefessa in id incumbant, ut, quos Deus redemit, Deo adducant in vitam aeternam.[4])

---

[1]) II. Tim. 1, 13. 14. — I. Tim. 4, 6. — 6, 20. — Ephes. 4, 14. — [2]) I. Cor. 4, 1. — Act. 14, 22. — Tit. 1, 5. — Ephes. 4, 12. — Col. 1, 24. — [3]) Phil. 4, 8. — I. Cor. 5, 5. — I. Tim. 5, 20. — [4]) Tit. 2, 7. — I. Thess. 5, 14. — S. Hilar. Comment. in Matth. cap. 27. — S. Chrysost. hom. 59. in Ioan.

CAPUT XXIV.

De Ecclesiae magisterio infallibili.

Ut illud, quod acceperat, fidei depositum Ecclesia fideliter custodiret omnibusque gentibus veram Christi transmitteret doctrinam; ut fidei controversias, quae pro hominum ingenio orirentur, secundum veritatis rationes dirimeret; ut denique ab omnibus integrum illud, quod Christo ipsi docenti mentis obsequium debetur, tuto posset exigere: Christus promisit deditque Spiritum veritatis, qui ut quondam Apostolos, ita eorum successores Episcopos in omnem duceret veritatem[1]), ipseque cum eisdem usque ad consummationem saeculi se fore pollicitus est.[2]) Ecclesia igitur, „columna et firmamentum veritatis"[3]), in illis, quae ad fidem moresque spectant, errare aut ulla hominum et inferorum fraude ac violentia in errorem induci non potest.[4])

Exercent autem Episcopi magisterium hoc nulli obnoxium errori, quoties congregati in Concilio, quid credendum sit, solemniter, approbante summo Pontifice, edicunt; nam Concilium generale universalem Ecclesiam repraesentat.[5]) Exercent pariter, dum dispersi licet per orbem cum summo Pontifice in doctrina conspirantes singuli gregem suum docent; Christi enim promissio ad locum restricta non est, et a pastorum etiam dispersorum doctrina christianorum fides et Ecclesiae in fide constantia pendet. Exercent demum, dum sequuntur sententia praeeuntem et pro suprema auctoritate fidei controversias dirimentem summum Pontificem, cui per Petrum transmissum est munus tum confirmandi fratres, tum pascendi oves et agnos, tum fundamentum et fulcrum praebendi toti Ecclesiae, ut portae inferi non praevaleant. Etenim Romana Ecclesia, in qua secundum Christi Domini vocem: Tu es Petrus etc. „immaculata est semper servata religio"[6]), est „mater universorum Christi fidelium et magistra"[7]), „et sicut (Romanus Pontifex) prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fue-

[1]) Ioan. 16, 30. — [2]) Matth. 28, 20. — [3]) I. Timoth. 3, 15. — [4]) Cf. supra part. I. cap. 8. — [5]) Martin. V. Constit. *Inter cunctas* art. 5. Vid. Append. n. 8. — [6]) Formula fid. Hormisdae Pontificis. — [7]) Conc. Lat. IV. cap. 5.

rint quaestiones, suo debent iudicio definiri"[1]), ipseque est omnium christianorum pater et doctor[2]), cuius in fidei quaestionibus per se irreformabile est iudicium.[3])

Atque hoc Ecclesiae magisterium, in rebus fidei et morum omnis expers erroris, est firmissima illa arx tutumque praesidium, ad quod fideles semper, praesertim quoties dubiis mentem pulsari senserint, ut confugiant, hortandi et assuefaciendi sunt.

CAPUT XXV.

De imperii ecclesiastici potestate Ecclesiaeque hierarchia.

Ecclesia solvendi et ligandi potestate a Christo Domino sibi tradita imperii accepit potestatem, qua leges ferre, ad eas observandas subditos adigere et salutaribus etiam poenis devios et contumaces coërcere possit, cui imperio qui reluctaretur, ethnici instar et publicani habendus pronunciatur.[4]) Amplissimis illis verbis: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos", confisi Apostoli plurima pro opportunitate constituebant, modo corripiebant, modo minis et poenis urgebant.[5]) Hanc vero potestatem ignorant aut nimium saltem extenuant, qui eam solum ad consilia, suasiones et hortationes, non ad poenas salutares infligendas pertinere dictitantes incidunt in systema alias damnatum ut haereticum.[6]) Imperii potestas, qua pollet Ecclesia, fidelibus in mentem revocanda est identidem, quo efficacius ad eius praecepta observanda urgeantur.

Non ab imperio civili, sed a Christo, suo auctore, Ecclesia amplissimam hanc potestatem accepit. Ecclesia, tanquam societas perfecta suique iuris, cum societate civili confundi minime potest. Alia enim est Ecclesiae, quae immediate a Christo instituta est, alia civitatis origo; alius Ecclesiae, hominum aeternam salutem procurantis, alius civitatis est finis; aliis Ecclesia,

[1]) Confess. fid. Michaeli Palaeologo proposita a Clemente IV. Vid. Append. n. 6. — [2]) Conc. Flor. Decret. union. Graec. Vid. Append. n. 9. — [3]) Art. Cler. Gallic. reiecti ab Innocent. XI. Vid. Append. n. 15. — [4]) Matth. 18, 17. — [5]) I. Cor. 4, 21. — [6]) Constit. s. m. Pii VI. *Auctorem fidei* prop. 4. et 5. Vid. Append. n. 18.

cui supernaturalia a Christo commissa sunt subsidia, aliis civitas utitur adminiculis; alia est Ecclesiae, cui certa et immutabilis a Christo indita est forma, alia civitatis mutabilis est constitutio.

Quamvis autem Ecclesiae et imperii potestas sit distincta, amicum tamen consortium optat Ecclesia neque res faustas et religioni et principatui ominatur „ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt".[1])

Illorum vero sententiam, qui asserere non verentur, Ecclesiam, quae Spiritu Dei regitur, imperii potestate ita posse abuti, ut disciplinam constituat periculosam aut noxiam, cum Pio VI. p. m. summo Pontifice falsam profitemur, temerariam, Ecclesiae ac Spiritui Dei iniuriosam, ad minus erroneam.[2])

Non omnes christiani potestate ecclesiastica potiuntur nec, qui potiuntur, partibus aequalibus eam tenent. Est enim in Ecclesia hierarchia divinitus instituta, ad quam praeter ceteros ecclesiasticos gradus Episcopi potissimum pertinent.[3]) Et Romano quidem Pontifici, ut Ecclesiae capiti et fundamento visibili, Episcoporum principi pastorique supremo, vera iurisdictio episcopalis competit in universam Ecclesiam. Propterea ius ei inest convocandi Concilia generalia, iisdem praesidendi et sua confirmatione eorum decreta sanciendi, quae dein irreformabilia sunt ex se et ante Ecclesiae reliquae consensum. Penes ipsum est dispensare in legibus seu canonibus universalibus Ecclesiae, a iudicio ecclesiastico inferiore ad eius iudicium provocare fas, ab eius autem iudicio, quum supremum sit, ad aliud provocare semper nefas est. Qui vero asserunt, summum Pontificem non a Christo in persona Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accepisse, haereticis adnumerandi sunt.[4])

Etsi Romano Pontifici episcopalis potestas competit in universam Ecclesiam, reliqui tamen Episcopi potestatis regendi

---

[1]) Encycl. Gregor. XVI. d. d. 15. Aug. 1832. Vid. Append. n. 23. — [2]) Constit. *Auctorem fidei* prop. 78. Vid. Append. n. 18. — [3]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de sacr. ord. cap. 4. — [4]) Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* prop. 3. Vid. Append. n. 18.

Ecclesiam, quem in finem episcopatus institutus est, sunt consortes, et Romani Pontificis auctoritate assumpti, illam, quam in ordinatione potestatem acceperunt, legitime exercent.[1])

Episcopi iure divino superiores sunt presbyteris.[2]) Hi uti non sunt iudices in quaestionibus fidei, ita neque constituti sunt ad regendam per leges Ecclesiam, nisi quatenus ab Episcopo, cui pastoralis cura, regimen et administratio Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus plenarie committitur, ad id delegantur. Sunt igitur ordinis sacramento initiati presbyteri adiutores Episcoporum ad sacramenta administranda, ad cultum curandum, ad doctrinam sacram tradendam legumque executionem urgendam secundum illam iurisdictionis partem, quae ab Episcopis iis fuerit commissa.

CAPUT XXVI.

Unam solam esse veram Christi Ecclesiam.

Una est doctrina, quam per totum terrarum orbem disseminandam Christus Apostolis commisit.[3]) Una sola est ianua, qua in Ecclesiam patet aditus, unum baptisma.[4]) Unum solum est Christi corpus, quod est Ecclesia[5]), et unius solius corporis fideles sunt membra. Una est Christi sponsa, et Christus unum est Ecclesiae caput invisibile.[6]) Nec potest non esse una sola Ecclesia, quum unum solum sit fundamentum visibile, quo singulae huius societatis partes fulciantur et inter se mutuo connectantur. Verum Christi ovile illud solum est, cuius Petrus est pastor; verum Christi invisibilis corpus visibile illud solum est, quod Petro capite visibili est insignitum. Propterea symbola, ut unum Dominum Iesum Christum, sic unam profitentur Ecclesiam, et sancti Patres, ut unam arcam Noë, ita unam solam norunt Ecclesiam.[7])

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de sacr. ord. can. 8. — [2]) Benedict. XIV. de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 1. — Conc. Trid. l. c. cap. 4. et can. 6. et 7. — [3]) Matth. 28, 19. 20. — [4]) Ephes. 4, 5. — [5]) Ephes. 1, 23. — [6]) Ephes. 5, 22—30. — [7]) S. Cypr. de unit. Eccl.

Unde manifestum est, Christi doctrinae quantopere adversetur illud figmentum, veram Ecclesiam e diversis sibique oppositis sectis iam nunc coalescere, vel aliquam aliquando, quam futuri temporis Ecclesiam illisque, quae sunt, superiorem sibi somniant, esse coalituram, singulasque sectas verae Ecclesiae diversas tantum esse formas diversosque eiusdem veritatis communis quasi rivulos. Non enim dividi potest Christus nec separari Christi tunica inconsutilis. Nec eiusdem verae Ecclesiae tantum diversae formae sunt illae, quae ab hac deficiunt forma, qua Christus suam in aevum constituit Ecclesiam. Neque e diversis sectis coalescere et evolvi potest Ecclesia, quam integram absolutamque a Christo institutam perpetuo in terris perduraturam novimus. Neque illa fuit Apostolorum sententia, qui „haereticum hominem" vitandum omnesque scissiones fugiendas dixerunt; nec Christi fuit, qui illum, qui Ecclesiae, sane visibili, non obtemperat, ethnici et publicani instar habendum mandat. Quis tandem Ecclesiam illa, quae iam est, superiorem exstruendam dicat, nisi Christum aut nullam omnino Ecclesiam instituisse aut eam, quam instituit, mancam dereliquisse existimet?

Illa autem Ecclesia, quam solam Christus instituit, non alia esse potest, nisi Ecclesia catholica, quae sola est una, quum eius unum sit caput, eadem auctoritas, idem magisterium ipsaque eandem ubique fidem, eadem sacramenta conservet; sola sancta, quum tot inde ab origine filiis sanctitate, miraculis etiam obsignata, florentibus claruerit; sola catholica, quod vel nomen prodit et per totum orbem diffusa demonstrat; sola apostolica, quum Episcoporum cum Romano Pontifice iunctorum ordo ad ipsum Petrum ascendat.

Merito igitur cum S. Augustino profitentur singuli: „Multa sunt... quae in eius (catholicae Ecclesiae) gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haere-

ses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, quum mnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere".[1])

Nulla religioni christianae perniciosior est sententia, quam illa, quae statuit, perinde esse, quam quis eiusdem formam seu societatem religiosam amplectatur aut profiteatur. Eo enim illa valet sententia, ut aut Deo praecipienti obsequendum, aut religionem christianam revelatam esse negetur. Quocirca ne unquam fidelium mentes tam funestus occupet error, sollicite omnino prospiciendum est animarum pastoribus Ecclesiaeque hac in re dogma diligenter exponendum.

Quum Christus sua ipsius Apostolos instruxerit potestate ad fidem praedicandam, sacramenta administranda, homines in salutis via ducendos, et hanc in Ecclesia potestatem perpetuam esse voluerit: dubium esse nequit, quin is, qui cognitae potestati se subducit ac reluctatur, in re gravissima Christo ipsi obedientiam deroget. Qui vero rebellis exsistit Deo, quam salutis spem, nisi resipiscit, habebit? Et sane Christus non ut suos agnoscere potest illos, qui ipsius doctrinam, sacramenta et mandata respuunt; aeternae potius damnationis sententiam in omnes, qui non essent credituri, pronunciatam legimus.[2]) Hinc illa gravissima S. Ignatii Martyris sententia: „Si quis schisma facientem sectatur, regni Dei haereditatem non consequitur".[3]) Hinc illa S. Cypriani: „Habere non iam potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem".[4]) Quae sit Ecclesiae hac de re sententia, e Concilio Lateranensi IV. discimus, quod profitetur: „Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur".[5]) Discimus id ex illa fidei professione, quam Innocentius III. Waldensibus ad Ecclesiam revertentibus praescripsit: „Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non haereticorum, sed sanctam Romanam, catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus". Itaque Ecclesiae

---

[1]) Cont. epist. Manich. cap. 4. n. 5. — [2]) Marc. 16, 16. — Matth. 10, 14. 15. — [3]) Epist. ad Philad. — [4]) De unit. Eccles. — [5]) Cap. 1.

catholicae dogma hac doctrina contineri et per se patet et per summos Pontifices identidem est declaratum.[1])

Quam certo autem Ecclesia pronunciat, non esse salutem illis, qui Ecclesiam veram cognitam non sequuntur, tam certo etiam Deo, qui solus singulorum corda scrutatur, iudicium de eorum, qui errant, culpa committit.

TITULUS VII.

DE GRATIA.

CAPUT XXVII.

De gratiae ad salutem necessitate.

Uti hominem sine revelationis auxilio externo veritatem salutarem cognoscere, sic sine gratiae auxilio interno revelationi, ut expedit ad salutem, consentire legemque implere posse, facile sibi persuadet humana naturae viribus nimium fidens superbia. At vero ut sine revelatione homo finem supernaturalem non potest cognoscere, ita sine gratia eundem prosequi non potest. Gratia, de qua hic agitur, est donum supernaturale internum creaturae intellectuali gratis ex meritis Christi a Deo concessum ad finem supernaturalem consequendum.

Genuinam et catholicam gratiae ad vitam aeternam nos ducentis notionem, quae quum alias, tum ex eiusdem contra Pelagianos et Semipelagianos assertione quam maxime est manifestata, ab illis perverti declaramus, qui gratiam non in supernaturali dono, sed potius in quacunque Dei in creaturam actione reponunt.

Ad omnes actus salutares gratia est necessaria.[2]) Salutares autem actus non solum illi dicuntur, quibus homo, utpote iam iustus, vitam aeternam meretur, sed illi etiam, qui iustificatio-

[1]) Greg. XVI. Breve ad Episc. Bavariae d. d. 27. Maii 1832. Vid. Append. n. 22. — [2]) Conc. Araus. II. can. 7.

nem, ad eam nos disponendo, praecedunt. Quum beatitudo, ad quam contendere debemus, sit supernaturalis, recte concluditur, etiam actiones, quibus ad eam provehimur, supernaturales esse debere. Supernaturales autem fiunt per gratiam; ergo gratia ad totam illam actionum, quibus salutem obtinemus, seriem necessaria est.[1])

Non solum ad illam fidem, qua recte iam vivimus, seu ad fidem vivam, sed etiam ad illam, qua revelationi consentimus, atque adeo ad „initium fidei ipsumque credulitatis affectum" gratiam requiri Patres Arausicani tradunt.[2]) Eadem est Tridentinorum Patrum sententia, qui docent[3]), a gratia proficisci fidem illam, quae praecedat timorem, spem, peccati odium, vitae melioris propositum. Sententiae catholicae proin adversantur illi, qui solum ad fidem, qua recte iam vivitur, non vero ad fidem, quae iustificationem praecedit, gratiam requiri asserunt.

Non solis fidelibus, sed etiam infidelibus, illis quoque, quibus evangelium nunquam est annunciatum, gratia confertur sufficiens, qua ad fidem et salutem pertingere possint.[4]) Deus igitur ita illuminabit et movebit infideles, ut, si his motibus obsequuntur, ad fidem quocunque demum modo pertingant. Si non obsequantur, peccant Deo non obediendo legemque violando naturalem; infidelitas ipsa tamen nondum erit peccatum, quum nesciant, se resistendo illis gratiae motibus fidei beneficio privandos esse.[5]) Manifestiora, quae dicta sunt, evaserunt, postquam sedes Romana has proscripsit sententias: „Pagani, Iudaei, haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti".[6]) „Nullae dantur gratiae nisi per fidem". „Fides est prima gratia et fons omnium aliarum". „Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia".[7])

---

[1]) Ioan. 6, 44. — [2]) Can. 5. — [3]) Sess. VI. de iustif. cap. 6. — [4]) I. Tim. 2, 3. 4. — [5]) Prop. Baii 68. damn. a S. Pio V. Vid. Append. n. 11. — [6]) Propp. damn. ab Alexand. VIII. d. d. 7. Dec. 1690. prop. 5. Vid. Append. n. 14. — [7]) Propp. damn. Quesnelli 26. 27. 29. Vid. Append. n. 16.

CAPUT XXVIII.

De iustificatione.

Secundnm sacrae Tridentinae Synodi [1]) doctrinam institia est habitus qnidam sen status permanens, in quem transferimur gratia sanctificante. Peccata vere per eam delentur, non tegi modo aut radi dicenda sunt. Non tamen sola peccatorum remissione absolvitur iustificatio, quum gratia etiam et caritas in corde hominis diffundatur.[2]) Gratia haec non est tantum favor Dei aut sola imputatio meritorum Christi [3]), sed est aliquid internum, quo renovamur, immutamur, regeneramur, unde etiam filii Dei non solnm vocamur aut censemur, sed per illud, quod in nobis regeneratione factum est, filii Dei adoptivi vere sumus, quum divina adoptio alia sit ab humana. Caritas, qna renovamur, in nobis manet, nobis inhaeret per modum habitus, infusam eam accepimus et tenemns. Est enim „divina qnalitas in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux, qnae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit".[4]) Frequenter secundum catholicam doctrinam gratiae sanctificantis donnm tam eximium fidelibus exponendnm est, ut tanto impensius Christo, qui nobis eam meruit, referant grates diligentiusque eam conservare, et si amissa fuerit, recuperare satagant.

Non igitur in illa Dei erga homines benevolentia, qnae concepta sit propter merita Christi, reponenda est gratia sanctificans. Dei benevolentia et Christi merita sunt quidem id, ex quo provenit nobis, non sunt ipsa gratia sanctificans. Et sane Deus propter merita Christi propenso est in omnes animo, nec tamen omnes gratia sanctificante praediti sunt.

Neqne reponenda est in illis a Deo misericorde propter Christi merita homini collatis auxiliis actualibns, qnibus ad actus fidei, spei et caritatis eliciendos instruatur, ut horum frequenti exercitio in illnm convertatur statum, quo gratus Deo exsistat. Nam iustificatio e sancti Concilii doctrina nobis confertur,

[1]) Sess. VI. de iustif. cap. 7. — [2]) Ibid. can. 11. — [3]) Ibid. — [4]) Catech. Conc. Trid. part. II. cap. 2. n. 38.

non acquiritur actibus uostris. Actus enim, qui iustificationem praecedunt, quum mereri non possint iustificationem; multo minus eam possunt efficere. Gratia sanctificans homini infunditur in baptismate, non acquiritur seusim sensimque longo virtutum exercitio. Et infantes, in quibus de virtutum exercitio sermo esse non potest, noune in baptismate iustificationis gratiam obtineut?

Longissime etiam a fide catholica aberrant, qui iustificationis partes discernentes asserunt, peccati originalis culpam quidem pro singulis sublatam esse eo ipso, quod generatione uaturali membra sint humani generis a Christo reparati, sanctificationem autem conferri baptismate. Nam e Concilio Tridentino[1]) novimus, in iustificatione non remitti solum peccata, sed infuudi gratiam et caritatem, adeoque nou separandam esse culpae remissionem et hominis sanctificatiouem.

Porro aberrant, dum docent, homiuem ex hoc solum interne constitui iustum, quod sicut primi Adami culpam imitatioue suam effecerit, sic etiam liberi arbitrii viribus Christi meritum imitatione efficiat suum. Nam gratia iu baptismate collata homo vere et interne iustus constitutus iam est. Nec sola Christi imitatione eius merita fiuut nostra, sicut et Adami culpa nou imitatione contrahitur, sed sicut generatione uaturali Adami transfunditur culpa, ita regeneratioue per baptisma Christi acquiruntur merita. Nec solis liberi arbitrii viribus Christum imitamur, quum gratia praevenieute et adiuvante opus sit.

---

[1]) Sess. VI. can. 11.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTIS.

CAPUT XXIX.

De sacramentis generatim.

Christus, quemadmodum Ecclesiam instituit visibilem, quae magisterii potestate praedita suam hominibus transmitteret doctrinam, ita visibilia etiam instituit sacramenta eaque Ecclesiae, ministerii pariter potestate praeditae, commisit administranda, quibus invisibiles gratiae, passione et morte nobis promeritae, cum hominibus communicarentur. Haec enim novae legis sacramenta nec sunt mera signa ad distinguendos fideles ab infidelibus, nec signa solum sunt acceptae iam gratiae, nec ad fidem solum pietatemve externo quodam ritu nutriendam instituta sunt, sed continent atque efficiunt ex opere operato gratiam in illis, qui ea, obicem non ponentes, recipiunt. Unde differunt a veteris legis sacramentis. „Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant".[1]) Septem sunt novae legis sacramenta: baptisma, confirmatio, encharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium. Septenarius eorum numerus Ecclesiae tum occidentalis tum orientalis, etiam sectarum, quae primis iam saeculis ab Ecclesia defecerunt, continuo et solemni usu luculentissime comprobatur, praeterquam quod alia aperte in Scripturis traduntur, alia innuuntur. Sacramenta haec aptissime diversis singulorum fidelium vitae spiritualis quasi stadiis et Ecclesiae ipsius vitae conservandae respondent. „Quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque ordinata sunt".[2]) Etenim baptismo novus homo generatur; confirmatione miles constituitur et ad pericula subeunda munitur; eucharistia tanquam cibo eius vires aluntur, recreantur, augescunt; poenitentia, si peccati vulnera

[1]) Conc. Flor. Decr. pro Armenis. Vid. Append. n. 9. — [2]) Conc. Flor. l. c.

accepit, sanatur; extrema unctione in mortis periculo constitutus peccati reliquiis abstergitur, alleviatur et, si expedit, redditur sanitati; ordine Ecclesiae rectores et fidelium parentes spirituales constituuntur; matrimonio vitae corporalis propagatores sanctificantur, ut sancta Ecclesiae succrescat soboles. „Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter haec sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio et ordo, quae characterem, id est, spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt".[1]) Quum igitur vita spiritualis sacramentis in nobis generetur, augeatur, reparetur, haec sane doctrinae christianae pars eximiam pastoris requirit industriam, ut, quae tam singulari nobis benignitate Christus praeparavit, omnibus in animae cedant emolumentum.

CAPUT XXX.

De baptismo.

„Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae".[2]) Huius sacramenti materia est aqua propria et naturalis, forma illis indicatur verbis, quae leguntur apud Matthaeum.[3]) Minister in necessitate est quicunque, etiam infidelis, modo facere velit, quod facit Ecclesia. Baptismus ad salutem est necessarius.[4]) Nemo enim salvari potest, nisi qui fuerit membrum Christi. Huius autem membrum homo fit baptismo. Vita spirituali qui caret, aeternae beatitudinis non erit particeps. Ad illam autem in homine generandam vitam baptismus est institutus; quae dum producitur, omnis culpa, tum originalis tum actualis, omnis quoque poena, quae culpae debetur, remittitur: „Propterea baptizatis nulla pro

[1]) Conc. Flor. l. c. — [2]) Conc. Flor. l. c. — [3]) Matth. 28, 19. — [4]) Ioan. 3, 5.

peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt".[1])

Etiam parvuli baptizandi sunt, ut Ecclesiae perpetuus docet usus. Nec officit, quod ipsi consensum et fidem, quae in adultis ante baptismi susceptionem requiritur, habere nondum possunt. Nam „originale (peccatum), quod sine consensu contrahitur, sine consensu per vim remittitur sacramenti".[2]) Divinae certe congruit bonitati, ut quam gratiam aliena opera, primi videlicet Adami culpa amiserunt, eamdem e secundi Adami voluntate alieno recuperent ministerio. Neque, ubi adoleverint, interrogandi sunt, utrum, quae patrini eorum nomine promiserunt, rata habere velint. Sicut enim e Dei voluntate omnes ad baptismum suscipiendum, ita etiam ad illa, quae e suscepto sequuntur, officia explenda tenentur.

Adulti quidem, qui a baptismo re suscipiendo impediuntur, eius tamen voto salvari possunt. Infantes vero, quum huius voti capaces non sint, a regno coelesti, id est, beatitudine supernaturali excludi, si baptismo non regenerati discedunt, fides docet. Haec porro muneris gratuiti et liberalis privatio, quum Adami praevaricatione effecta sit, damnationis et poenae rationem habet et nomen. „Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus".[3])

CAPUT XXXI.

De confirmatione.

Confirmationem verum esse sacramentum, tum ex Ecclesiae fide usuque perpetuo, tum ex Apostolorum discimus actibus[4]), qui ritu sensibili gratiam collatam esse perhibent, unde Christi institutio recte concluditur. Eius minister ordinarius est solus Episcopus. „Materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat

---

[1]) Conc. Flor. l. c. — [2]) Innoc. III. in cap. 3. X. de bapt. (III. 42.) — [3]) Innoc. III. l. c. — [4]) Act. 8, 14—18. — 19, 6.

bonae famae, per Episcopum benedicto".[1]) Effectus huius sacramenti est, „quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, qui Iudaeis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur".[2])

CAPUT XXXII.

De eucharistia, sacrificio et sacramento.

Eucharistia hoc sibi proprium habet, ut sit sacrificium simul et sacramentum. Quatenus enim conficitur et ad Deum honorandum immediate refertur, sacrificium est; peracta consecratione, quatenus ad hominis refertur usum, sacramentum est.

In nova lege sacrificium quoddam fore visibile perpetuo et ubique offerendum, Deus per Malachiam Prophetam[3]) praedixerat; Christus vero, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech[4]), id instituit, quum in ultima coena, postquam panem et vinum in corpus suum et sanguinem convertit, Apostolis, ut idem in suam memoriam facerent, mandavit. Itaque in ss. eucharistia vere, realiter et substantialiter, non ut in signo, figura vel virtute tantum, Christus praesens sistitur, et quidem per transsubstantiationem, id est, conversionem totius substantiae panis in substantiam corporis et totius substantiae vini in substantiam sanguinis. Quam vere in cruce, tam vere in altari Christus offertur, et unum idemque est sacrificium hoc cum crucis sacrificio, quia non solum eadem est hostia, sed idem etiam sacerdos, Christus, qui per sacerdotum manus se offert; sola offerendi ratio est diversa, quum in cruce fuerit cruenta, incruenta sit in altari. Nihil inde crucis derogatur sacrificio, cuius meritum per hoc applicatur. Quemadmodum et sacrificium illud cruentum, ita hoc incruentum latreuticum et eucharisticum,

---

[1]) Conc. Flor. l. c. — [2]) Conc. Flor. l. c. — [3]) 1, 10. 11. — [4]) Hebr. 7, 17.

propitiatorium et impetratorium est sacrificium; pro vivis atque defunctis, soli quidem Deo, in honorem tamen Sanctorum, pro certis etiam personis et ordinibus, qui specialem eius fructum percipiant, offerri potest.[1]) Missae sacrificium quum sit adeo augustum et sanctum religiosique cultus centrum quasi et anima, Ecclesia caeremoniarum etiam maiestate, sacrae linguae usu et ipsius vocis temperatione eiusdem dignitati consulendum convenienter censuit. Uberrimos eius in omnes et singulos fructus si sacerdotes frequenter et apte exposuerint, fiet, ut fideles, huiusmodi thesauros obtinendi cupidi, non modo praeceptum diebus dominicis et festis ei reverenter assistendi sanctissimum habeant, sed aliis etiam diebus eidem interesse satagant.

Peracta igitur mirabili illa et singulari conversione substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis, Christus in eucharistiae sacramento totus adest cum corpore et anima atque divinitate, tum sub unaquaque specie, tum facta separatione, sub singulis cuiusque speciei partibus; sed corpus quidem sub specie panis et sanguis sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini et sanguis sub specie panis animaque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitas porro propter admirabilem illam eius cum corpore et anima hypostaticam unionem.[2]) Quum ergo una etiam specie verum sumatur sacramentum, Ecclesia Christi mandatum minime laedit, dum iustis de causis laicis et sacerdotibus non conficientibus sacramentum sub panis solum specie communionem praescribit. Porro quum Christus permaneat in ss. sacramento, quamdiu species adsunt, recte ss. eucharistia asservatur, ad aegrotos defertur, adoranda exponitur, solemniter circumgestatur et peculiari etiam festiva celebritate honoratur.

Sanctissimae eucharistiae fructus et plurimi sunt et praestantissimi. Etenim „huius sacramenti effectus, quem in anima

---

[1]) Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* prop. 30. Vid. Append. n. 18. —
[2]) Conc. Trid. Sess. XIII. de euchar. cap. 3.

operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum".[1])

CAPUT XXXIII.

De poenitentiae sacramento.

Christus Dominus poenitentiae sacramentum tunc praecipue instituit, quum a mortuis suscitatus Apostolis suis dixit: „Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt".[2]) Dedit enim Apostolis qua arbitris potestatem remittendi et retinendi peccata post baptismum commissa, ut constans Ecclesiae tenet traditio, et verborum declarat vis, quibus iudicandi potestas, quae in baptismo tamquam regenerationis sacramento non exercetur, aperte exprimitur. Eadem vero ratione, qua Apostoli iudices constituti sunt, poenitentibus lege divina omnium et singulorum peccatorum mortalium, quorum post baptisma sibi conscii sunt, praescribitur confessio; nam iudicium requirit causae cognitionem, quae ab alio, quam a poenitente, quum occultissima etiam peccata vel sola cogitatione commissa in iudicium veniant, repeti non potest. Quamvis vero sola peccatorum mortalium, quippe quae sola ab aeterna beatitudine excludant, ad salutem consequendam sit necessaria, utilis tamen est peccatorum etiam venialium, quae ab ea retardant, confessio.

Soli sacerdotes huius sacramenti sunt ministri. Quam enim potestatem teste evangelio solis Apostolis Christus contulerat, eam nisi ab Episcopis et presbyteris exerceri non posse, con-

---

[1]) Conc. Flor. l. c. — [2]) Ioan. 20, 22. 23.

stans et perpetua habet traditio. Quum vero sententia in illos tantum, qui subditi sunt, ferri possit, praeter ordinis potestatem in sacerdote iurisdictionis quoque requiritur potestas, et irrita esset absolutio, quam sacerdos illi conferret, in quem non haberet iurisdictionem ordinariam vel delegatam. Quum praeterea iudicii ferat ratio, ut causae nonnullae iudicibus inferioribus subtrahi possint, summo Pontifici et Episcopis inest ius quaedam sibi peccata reservandi etiam in foro interno, ita ut sacerdotis, qui extra mortis periculum ab iisdem absolveret, irrita esset absolutio.

Quod ad contritionem attinet, ea, si caritate perfecta est, poenitentem iustificat iam ante sacramentum susceptum, non tamen sine sacramenti voto. Contritio autem imperfecta, quae concipi solet ex peccatorum gravitate, multitudine, foeditate, aeternae beatitudinis amissione, aeternae damnationis incursu, cum proposito melioris vitae et spe veniae, quamvis sit verus et utilis dolor et disponat ad gratiam recipiendam, eam tamen ante sacramentum susceptum non confert.

Quum remissa culpa non semper tota etiam poena a Deo remittatur, ut Davidis imprimis exemplum [1]) docet, et quum poenitentiae minister iudicis fungatur officio, sacerdotes poenitentibus etiam satisfactionem aliquam iniungere possunt et debent. Non tamen, ut poenitentes a peccatis absolvi possint, illa satisfactionis opera iam peracta esse necesse est.

CAPUT XXXIV.

De indulgentiarum usu.

In satisfactione praestanda Ecclesia nobis succurrit indulgentiarum usu, quae sunt temporalis poenae post remissam culpam peccatis debitae relaxatio, in foro etiam interno coram Deo valida, per satisfactionum thesauri applicationem. Quum quodlibet opus bonum non solum merendi, sed etiam satisfaciendi vim habeat, et quum Christi satisfactio superabundans sit et infinita, beatae Virginis autem, sanctorum Martyrum totque aliorum

[1]) II. Reg. 12, 13. sqq.

Sanctorum opera, quamvis illis meruerint gloriam, tamen satisfaciendi vim et valorem omnem in ipsorum, si quae sint, delendis poenis non impenderint: hinc amplior ille satisfactionum cumulus iure merito Ecclesiae, personae videlicet moralis, censetur esse thesaurus, utpote ab Ecclesiae capite et membris comparatus. Quae quum ita sint, Ecclesia seu caput eius visibile pro suorum membrorum nonnullis sive vivis sive, per modum suffragii, mortuis, quum eadem omnes societas et communio teneat, thesauri illius partem Deo offerre potest, quemadmodum et alia societas quaecunque opum suarum partem sociis aliquibus potest impendere. Amplissima enim illa clavium potestas, quum ad solvenda omnia, quae a coeli ingressu impediant, Petro concessa sit, ad poenas etiam remittendas, quippe quae etiam impediant et retardent, valere censenda est. Unde quemadmodum a Pio VI. p. m., ita etiam a Nobis tanquam „falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in articulo 19. Lutheri damnata" reiicitur synodi Pistoriensis sententia asserens, „„indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti""; „quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam".[1]) Proscribitur a Nobis pariter tanquam „falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa, dudum in articulo 17. Lutheri damnata" illa, qua eadem synodus de thesauro male intellecto conqueritur, sententia, „quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum".[2])

Iniungimus praeterea, ut accurate ab omnibus executioni mandentur, quae de maxime salutari christiano populo indulgentiarum usu a sacrosancta Tridentina Synodo[3]) salubriter constituta fuere.

---

[1]) Constit. *Auctorem fidei* prop. 40. Vid. Append. n. 18. — [2]) Ibid. prop. 41. Vid. Append. n. 18. — [3]) Sess. XXV. decret. de indulgentiis.

CAPUT XXXV.

De extrema unctione.

„Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius materia est oleum olivae per Episcopum benedictum".[1]) Et quidem haec per Episcopum benedictio adeo est necessaria, ut non possit etiam „in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti .. oleo a se benedicto".[2]) Verum esse sacramentum, apud Marcum[3]) quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum promulgatum[4]), ex illis ipsis, quibus commendatur, verbis intelligimus. Praeter ritum enim sensibilem etiam sanitatis restituendae et peccatorum imprimis remissionis fit mentio, et ex gratiae promissione Christum eius esse auctorem recte concludimus. Suffragatur Ecclesiae tumocc identalis tum orientalis usus perpetuus. Soli sacerdotes ministri sunt idonei. Ad effectus quod attinet huius sacramenti, „unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur".[5])

CAPUT XXXVI.

De ordinis sacramento.

Quum in religione christiana visibile sit sacrificium, etiam sacerdotium visibile et ordinarium esse recte concludimus. Christus Apostolos instituit sacerdotes, quum iis in ultima coena panem et vinum in corpus suum et sanguinem consecrandi potestatem dedit. Ordirem esse sacramentum, praeter alia illud etiam, quod S. Paulus ad Timotheum a se in sacerdotem ordi-

---

[1]) Conc. Flor. Decr. pro Armen. Vid. Append. n. 9. — [2]) Decr. S. Inquisit. confirm. a Gregor. XVI. d. d. 14. Sept. 1842. — [3]) Cap. 6, 13. — [4]) Cap. 5, 14. 15. — [5]) Conc. Trid. Sess. XIV. de extr. unct. cap. 2.

natum de gratia resuscitanda scribit, nos docet.[1] Ritus enim sensibilis, gratiae specialis et gratum facientis eum ritu coniunctio, et Christi, qui solus eam conferre poterat, institutio verum efficiunt sacramentum.

Praeter sacerdotium in Ecclesia alii sunt ordines, per quos veluti per gradus ad illud pertingitur. Frequentia enim sunt Conciliorum, Patrum et historiae ecclesiasticae testimonia, quibus ordinum aliqua varietas innotescit, ut diaconorum Scriptura sacra iam facit mentionem.

CAPUT XXXVII.

De matrimonio.

Matrimonium seu maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens, a Christo ad dignitatem sacramenti elevatum est, prout Scripturae innuunt[2], et occidentalis et orientalis Ecclesiae consensus uberrime testatur. „Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus".[3] In lege evangelica vinculum matrimonii consummati inter fideles nulla ex causa solvi potest.[4] Unde S. Hieronymus: „Quamdiu", inquit, „vivit vir, licet adulter sit.... licet flagitiis omnibus coopertus et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet".[5] Posse tamen matrimonium quoad torum et cohabitationem solvi propter alterius adulterium, sancti Patres concludunt ex illis Christi verbis, quae leguntur apud Matthaeum.[6]

Matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si, alterutro coniugum ad fidem converso, alter pacifice aut sine contumelia creatoris cohabitare nolit.[7] Inter fideles vero matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius coniugum dirimitur.

[1]) II. Tim. 1, 6. — [2]) Ephes. 5, 25—33. — [3]) Conc. Flor. l. c. — [4]) Luc. 16, 18. — [5]) Epist. ad Amandum. — [6]) Cap. 5, 32. — [7]) I. Cor. 7, 10. 11.

Ecclesia constituere potest impedimenta dirimentia. Sicut enim suprema potestas civilis in contractus civiles, ita Ecclesia in contractum illum, qui ad sacramenti dignitatem elevatus est, agere potest, conditiones nonnullas statuendo, a quibus contractus valor pendeat. Non a principibus hanc potestatem accepit Ecclesia. Ut enim Apostoli, nulla habita legum civilium ratione, quoad matrimonii vinculum quaedam tradiderunt, ita primis iam saeculis, imperatorum non accedente consensu, statuta fuerunt impedimenta. Imo sola Ecclesia hoc iure pollet. Nam matrimonium, quod inde ab initio non mere civile, sed religiosum erat, ex quo ad sacramenti dignitatem elevatum est, soli commissum est Ecclesiae. Synodi Pistoriensis doctrinam, hac in re Ecclesiae iuribus ipsiusque matrimonii dignitati detrahentem, ut haereticam a Pio VI. p. m. damnatam esse novimus. Neque asseri potest, matrimonia secundum Ecclesiae leges irrita, si secundum imperii civilis leges ineantur, non quidem sacramenti dignitate insigniri, veros tamen et legitimos esse contractus; „quum nemo ex catholicis“, Sanctissimi Patris Pii IX. utimur verbis, „ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem, ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere“.[1]) Ecclesia dum matrimonii indolem sacram ac religiosam strenue tuetur, optime sane meretur de familia totaque societate humana.

Iam facile etiam intelligitur, cur ad iudices ecclesiasticos spectent causae matrimoniales, illae scilicet, quae matrimonii naturam, non vero quae effectus attinent mere civiles. Quae enim religionis sunt, Ecclesiae eique soli commissa esse novi-

[1]) Allocutio habita die 27. Sept. 1852.

mus. Historia teste inde ab Apostolorum tempore causae huiusmodi ab Ecclesia, cuius forum vel ipsi Principes christiani adibant, iudicatae sunt.

TITULUS IX.

DE ALTERA VITA.

CAPUT XXXVIII.

De Sanctorum cultu et invocatione eorumque reliquiarum et imaginum veneratione.

Sancti, qui aeterna iam beatitudine fruuntur et sancti Angeli licite et pie a nobis coluntur. Quum honor, quo aliquem prosequimur, eius excellentiam respiciat, alius sane Deo infinito rerumque omnium conditori, alius Sanctis, Dei videlicet servis et amicis, qui, quidquid iis excellentiae inest, a Deo acceperunt, honor deferendus est. Deo quem ob infinitam excellentiam tribuimus, latriae, quem beatissimae Virgini Mariae, hyperduliae, quem aliis Sanctis, Dei servis, ob participatam excellentiam deferimus, duliae cultus appellari solet. Sacrum sive religiosum, non mere civilem, qui viris rebus humanis praestantibus exhibetur, Sanctis impendimus cultum, quum propter Deum, qui sua illis dona supernaturalia, sanctitatem et gloriam, largitus est, et ad cuius honorem illorum cultus ultimo refertur, colamus Sanctos. Non solum rei ipsius ratio, sed sacrae etiam Scripturae, quae hominibus sanctis in terra degentibus honorem sacrum delatum esse testantur[1]), et Ecclesiae imprimis usus et consuetudo antiquissima cultum hunc commendant. Quid enim in antiquitate notius, quam festa in Sanctorum honorem instituta, templa et basilicae supra Martyrum corpora exstructae, ethnicorum calumniae, qui Sanctos a christianis coli noscerent, cultus rationem ignorarent?

[1]) IV. Reg. 2, 15.

Sed et Sanctorum reliquias licite et pie honorari, cultu videlicet, qui ad ipsos Sanctos referatur, eadem Ecclesiae monumenta testantur et rerum suadet natura. Unde merito sacrosancta Tridentina Synodus[1]) docet, „sanctorum... Martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur".

Similes ob rationes Sanctorum etiam imagines veneramur, quod licitum et pium esse, ut iam pridem Synodus Nicaena II., ita Tridentina Synodus solemniter declarat, dum docet: „Imagines... Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur".[2])

Quum e communione Sanctorum, quam in Apostolorum symbolo profitemur, Ecclesia Christi non solum fideles his in terris militantes, sed praeter animas in purgatorio poenas luentes etiam Sanctos cum Christo triumphantes complectatur, arctissimum, quo Beati nobiscum iunguntur, caritatis vinculum efficit, ut pro nobis orent eorumque preces Deo, qui eiusdem corporis membra mutuo sibi vult succurrere, gratae sint et acceptae. Hinc ille perpetuus Ecclesiae Sanctos invocandi usus, quem sanctorum Patrum scripta, Conciliorum res gestae, et liturgiae antiquissimae, quae preces ad beatam Virginem aliosque Sanctos exhibent, miracula denique ipsa, quae ad Sanctorum invocationem patrata esse, apud sanctos Patres aliosque scriptores legimus,

---

[1]) Sess. XXV. decret. de invocat., venerat. et reliq. Sanct. et sacr. imag. — [2]) Sess. XXV. l. c.

uberrime testantur. Unde et „mandat sancta Synodus (Tridentina) omnibus Episcopis et ceteris docendi munus curamque sustinentibus, ut iuxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum a primaevis christianae religionis temporibus receptum sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore et legitimo imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere".[1])

CAPUT XXXIX.

Vitae futurae fidem facem esse vitae praesentis.

Non in hac vita remunerationi integrae locus est, sed in altera, quum paterfamilias dicet messoribus: „Colligite.. zizania et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum".[2]) Iuvabit, fidelium mentes crebro ad illam in altera vita sortem bonorum et malorum inaequalem contemplandam erigere, ne, dum saepenumero mali bonis, boni malis hac in terra cumulari videntur, pedes eorum moveantur.[3]) Iuvabit potissimum hac nostra aetate, quum multi tantum, quae sensibus tanguntur, quaerunt, praestantioris illius sola aeternitate circumscripti finis hominis meminisse, ut, pro bonis caducis firmiora appetentes, sic transire discant per bona temporalia, ut non amittant aeterna. Illis potissimum, qui, inania felicitatis cuiusdam terrenae somnia somniantes, societatem humanam funditus eversam et novum quendam, qui sit communis prosperitatis fundamentum, rerum ordinem inductum cupiunt, iuvabit ostendere, si, quae vocantur mala, et inaequalis praesertim fortunarum conditio e mundo, quod quidem fieri iam nequit, tollerentur, omnes privandos esse vera bona comparandi opportunitate am-

[1]) Sess. XXV. l. c. — [2]) Matth. 13, 30. — [3]) Ps. 72, 2. 3.

plissima, quam miseris pauperies, fortunatis miseros iuvandi potentia praebet. Illi enim si patientes tolerant adversa, ex eorum sunt numero, qui „euntes ibant et flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos".[1]) Isti autem in extremo iudicio hanc iudicis audient vocem: „Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare... Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis".[2]) Ita etiam fiet, ut, quae Dei perfectiones, si hanc solum intuemur vitam, obscurari videbantur, quamprimum in alteram usque prospicimus, radiato fulgeant splendore, immensa videlicet bonitas, aeterna sapientia, integerrima iustitia et sanctitas Dei ac Domini nostri.

CAPUT XL.

De purgatorio.

Quandoquidem vero, ut innuimus, Sanctorum communio, quam in symbolo profitemur, animas quoque in purgatorio degentes complectitur, ea subiicimus, quae sapientissime ab eodem Tridentino Concilio hac de re constituta ac sancita sunt: „Cum catholica Ecclesia", inquit Concilium[3]), „Spiritu sancto edocta ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis et novissime in hac oecumenica Synodo docuerit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari, praecipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quaestiones, quaeque ad aedificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quae ad curiositatem quandam aut

[1]) Ps. 125, 6. — [2]) Matth. 25, 34—40. — [3]) Sess. XXV. decret. de purgatorio.

superstitionem spectant vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynae aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta, pie et devote fiant, et quae pro illis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a sacerdotibus et Ecclesiae ministris et aliis, qui hoc praestare tenentur, diligenter et accurate persolvantur."

PARS SECUNDA.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Prooemium.

Quum iam in christianis omnibus regula credendi vivendi quoque debeat esse regula, multo id magis exigendum est in illis, qui non solum credendi regulam perfectius norunt, sed etiam altiori gradu et loco conspicuo in Ecclesia sunt constituti. Aequum enim est, ut nobiliora in corpore Christi mystico membra nobiliori etiam modo vitam, quam Christi spiritus infundit, recipiant, et ut, per quorum ministerium vita propaganda est in reliqua corporis membra, virtutem, quam ministrant, in se ipsis receptam exhibeant. Quorum porro opera quotidie nova Ecclesiae succrescere debet soboles, et novis semper augmentis corpus Christi mysticum clarescere, illis non voce solum et ministerio, sed vitae etiam totius ratione pro Christo, qui coepit facere et docere, ut legatione fungantur eumque moribus etiam exprimant, satagendum est. Id vero tunc praestabunt, si muneris, quod gerunt, partes et loci, in quo sunt constituti, gradum et dignitatem recte intelligunt et frequenter prae oculis habent; si praeterea illam, qua variae muneris exercendae sunt partes, rationem non tantum tenent, sed assidue etiam, quod ea requirit, assequi, quod vetat, fugere student; si denique, quum in vita nostra etiam publica omnis vigor a gratia divina aut excitandus, aut iuvandus et sanctificandus sit, vitam suam privatam ita instituunt, ut gratiarum imber copiosus in eos eorumque ministerium descendat.

TITULUS I.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.
De Episcopis.

Quoniam, ut animadvertit S. Augustinus, Episcopatus „nomen est operis, non honoris"[1]), qui Episcopi munus, angelicis etiam humeris formidandum, in se susceperunt, quae suae sint partes, videant, ac se non sibi, sed Deo et Ecclesiae vocatos esse agnoscant. Quibus igitur virtutibus se instructos praebere, quo animo in sanctuario stare debeant, serio meminerint. Etenim, ut ait Apostolus, oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non litigiosum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed irreprehensibilem, hospitalem, benignum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, modestum, domui suae bene praepositum, iustum, sanctum, continentem, doctorem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere; atque in omnibus seipsum praebeat exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.[2]) Haec sane tanta tamque gravia sunt, ut in homine inveniri et ab homine praestari vix posse videantur. Sed quum ditissima sit Dei omnipotentis gratia, qui infirma eligit, ut fortia confundat, per quem et virtus in infirmitate perficitur: quod nostra non valet debilitas, coeleste supplebit perficietque auxilium. Hac igitur freti fiducia Episcopi omnem, quam par est, continuo operam impendent, ut, Apostoli et praecepta secuti et aemulati exempla, in omni christianae virtutis opere formam se gregis exhibeant.[3])

Muneris quidem, quod Episcopi subeunt, partes, quas, ut recte expleant, iugi ipsos meditatione versare oportet, amplissi-

[1]) De civ. Dei lib. XIX. cap. 19. — [2]) Tit. 1, 7—9. — 2, 7. — I. Tim. 3, 2—4. — [3]) I. Petr. 5, 3.

mae sunt et gravissimae.[1]) Declarat enim sancta Synodus Tridentina, „praeter ceteros ecclesiasticos gradus Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad .. hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut .. Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent".[2]) Quaedam tamen harum partium capita veluti praecipua attentiorem meditationem, quo accuratius expleantur, sibi exposcunt.

Praecipua muneris Episcoporum pars est manuum impositio. Etenim impositio manuum est ostium, per quod intrant, qui in sanctuarium vocantur.[3]) Ostii huius custodes vigilantissimi Apostoli fuerunt eorumque discipuli. Quum fidelium multitudo ita crevisset, ut Apostoli, quin orationi et verbi divini praedicationi deessent, mensarum ministerio iam amplius non sufficerent, convocata discipulorum multitudine proposuerunt, ut septem viri boni testimonii et pleni Spiritu sancto ac sapientia diaconi sibi adiungerentur. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto et reliquos; hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus.[4]) Unde intelligitur, quos tantum viros cooptandos censuerint. In eandem rem S. Paulus monet Timotheum: „Quae audisti a me..... haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere"; et alio in loco: „Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis".[5]) Sedulo igitur curabunt Episcopi, ut ad ministerium sanctum illos solos vocent adolescentes, quos omnibus, quibus opus est, animi et corporis dotibus praeditos, bono testimonio et sapientia ornatos, scientia, pietate et spiritu clericali imbutos esse maturiori examine cognoverint, quosque aliquando gregi ipsis commisso bonos vigilesque pastores et omnibus pietate castisque moribus christianae vitae exemplo futuros esse possint confidere.[6]) Vehemen-

[1]) Cf. part. I. cap. 23. — [2]) Sess. XXIII. de sacr. ord. cap. 4. — [3]) Conc. prov. Colonien. a. 1536. de mun. episcop. cap. 1. — [4]) Act. 6, 6. — [5]) II. Tim. 2, 2. — I. Tim. 5, 22. — [6]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de reform. cap. 14.

ter igitur cavendum est Episcopis, ne importuna quadam erga tirones indulgentia crudelitatis se reos faciant in populum, mercenarios, non pastores constituendo gregibus aut adeo lupos inducendo in ovile.

Ut autem tirones sacerdotii spiritu certius imbuantur, Episcopi in eorum educationem et institutionem solerti cura intenti erunt. Quum enim adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, nec sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: Episcopi pro modo facultatum et dioeceseos amplitudine seminaria, in quibus certus puerorum numerus educetur et instituatur, erigere et iam erecta promovere curabunt.[1]) Pari modo ad doctrinam religiosam in scholis superioribus tradendam attentius animum advertent iugiterque invigilabunt, ut discipuli, sana doctrina imbuti et religionis subsidiis muniti, vitam bene moratam catholicamque agere assuescant. Eandem et maiorem etiam animi curam in disciplinas theologicas convertent, ut scientia sacra, cuius florem nullo non tempore Ecclesia quam maxime exoptavit ac promovit, nova in dies capiat incrementa; curabuntque, ut tum in theologia tum in philosophia arceantur omnia, quae doctrinae catholicae adversentur, sed potius, devitatis vaniloquiis ac profanis vocum novitatibus et falsi nominis scientiae oppositionibus, iuventus vero scientiae spiritu imbuatur et ad ea, quae didicerit, exequenda incitetur. Maxima autem attentione Episcopi prosequentur seminaria maiora, quibus ea, quae ad excolendos levitas incepta et peracta hucusque fuerant, perficienda sunt. Unde alumni non solum pleniori sacrae doctrinae disciplinaeque, sacramentorum, imprimis poenitentiae, rituum et caeremoniarum ac verbi divini praedicandi cognitione, sed etiam orationis ac meditationis spiritu, sincera demum in Deum sanctamque Ecclesiam pietate et flagrantissimo animarum zelo imbuendi et efformandi sunt. Saepe etiam, quantum per tempus licebit, seminaria

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de reform. cap. 18.

visitabunt, ut alumnos ad maiores in pietate et scientia progressus excitent, et quos accuratiori cognitione invenerint dignos, maiori cum fiducia ad sacram militiam possint admittere.

Dolendum summopere est, nullo unquam tempore acrius, quam nunc, religionem et Ecclesiam impugnatam fuisse libris, ephemeridibus scriptisque innumeris, quae plena dolo venenoque mortifero per urbes et oppida vicosque ipsos sparguntur. Quamobrem vigilantissimam Episcopi curam gerant admonendo, increpando nullique labori parcendo, ut a fidelibus pestifera huius furfuris opera procul arceantur. Quodsi ipsi catholici, quod absit, eiusmodi libros vel ephemerides ederent, propagarent vel quomodocunque foverent, eos, si moniti resipiscere noluerint, censuris quoque ecclesiasticis puniendos esse sciant. Adversus impietatis ac mendacii propugnatores religionis ac veritatis regnum gladio spiritus, quod est verbum Dei, acrius etiam propugnandum est, et quo studiosius inimicus homo et pseudoapostoli seminant zizania, eo solertius et constantius divini verbi seges spargenda et protegenda est, ut mendaciis veritas, perfidis hominum commentis doctrina coelestis, incredulitati fides, impietati pietas opponantur. Ne igitur Christi fideles maximeque iuventus in errorum et incredulitatis laqueos incidant, Episcopi non solum pro opportunitate, nisi legitime fuerint impediti, ipsi verbum divinum exponent, sed sedulo etiam curabunt, ut illud in ecclesiis tam cathedralibus quam parochialibus ceterisque annexis statuto tempore exponatur, et doctrina christiana tum in ecclesia tum in scholis elementaribus explicetur, ne videlicet impleatur illud: „Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis.“ [1]) Quod si quis eorum, quorum est, hac in re partes suas negligat, sollicitudo pastoralis exigit, ut Episcopi censuris ecclesiasticis aliisque poenis utantur.[2])

Sed certius et efficacius, quam verbo, exemplo praedicatur. Quare qui sacrae militiae nomen dederunt, vita omni ex parte integra et religiosa ubique praelucere ne obliviscantur. Tamquam pastores et patres in Dei grege et familia se constitutos

[1]) Ierem. Thren. 4, 4. — [2]) Conc. Trid. Sess. V. de reform. cap. 2. — Sess. XXIV. de reform. cap. 7.

meminerint, qui bonos mores, obedientiam, pacem et concordiam disciplina sancta tueantur omnesque aedificent. Sed quomodo tuebuntur, quod ipsi violare non verentur; et quomodo aedificabunt, si, quod praedicando in animis construxerant, exemplo ipsi destruunt et apud fideles eosque, qui foris sunt, in ludibrium vertunt? Quod ne eveniat, Episcopi vigilantissimam impendent sollicitudinem. Idcirco curabunt non solum, ut se ipsos sobrios, castos, splendida non sectantes, cultu victuque modestos, erga egenos misericordes hospitalesque erga fratres et ubique vineae dominicae cultores indefessos exhibeant, sed etiam ut disciplinam salutarem in clero et populo promoveant. Quod ut recte fiat, prae oculis habebunt illa, quibus meminisse monentur, „se pastores, non percussores esse ... atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquam filios et fratres diligant, elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia; quum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et qui correpti fuerint, emendentur, aut si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur." [1])

Quum innumeris hodie populus fidelis cingatur periculis, innumerisque iuventus praecipue a via salutis seducatur insidiis, catholici, ut bonum certamen certantes ac fidem servantes ad finem usque perseverent, fortitudine indigent et constantia, quam gratiam confirmationis sacramento elargitur Ecclesia. Itaque Episcopis, quorum est debiles offirmare, illius sacramenti administratio praecipue cordi esse debet. Ut maior ea in re fidelibus praebeatur opportunitas, dioecesin pro eius amplitudine et

[1]) Conc. Trid. Sess. XIII. de reform. cap. 1.

confirmandorum numero ita distribuent, ut quotannis, nisi legitime impediti fuerint, congruam eius partem vel ipsi vel Episcopi eorum auxiliares obeant. Nec minori sollicitudine simul visitationem dioecesanam instituent, qua quid tam in clero quam in populo quoad institutionem religiosam, sacramentorum administrationem, officium divinum aliasque vitae christianae et disciplinae partes desideretur, ipsi perspiciant et secundum concessam ipsis potestatem ea ordinandi, moderandi, puniendi et exequendi, quae illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione ac dioecesis suae utilitate necessaria videbuntur, vitiis et abusibus, quos invenerint, omni appellatione seu querela postposita, corrigendis provideant.[1])

CAPUT II.

De Episcopis suffraganeis auxiliaribus.

„Inspectis .. dioecesium Borussici regni amplitudine ac magno dioecesanorum numero, quum difficile admodum esset Archiepiscopis et Episcopis, confirmationis sacramentum Christi fidelibus administrare aliaque pontificalia munera sine alterius Episcopi opera et auxilio exercere, hinc Nos confirmantes Suffraganeatus in dioecesibus regni Borussiae, in quibus constituti reperiuntur, eos in Coloniensi ac Trevirensi dioecesibus redintegramus et de novo constituimus.“[2]) — Provida hac apostolica constitutione singulis dioecesium provinciae nostrae Ordinariis Episcopi in partibus infidelium titulares assistunt, quorum opera et auxilio in exercendis muneribus pontificalibus Praesules dioecesani utantur. Proinde quum dioecesibus nostris fidelium numerus ac rerum administrandarum copia vel maxime accreverit, hinc Episcopi auxiliares semper praesto erunt, ut eo, quo par est, libenti animo et labore omnia munera pontificalia subeant, quae ipsis Episcopi dioecesani in cathedrali vel aliis dioecesis ecclesiis exercenda commiserint. Qotiescunque Episcopi auxiliares diebus ab Ordinario designatis, aut ceteroquin ex speciali man-

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de reform. cap. 10. — [2]) Pii VII. Constit. *De salute animar.* d. d. 16. Iulii 1821. Vid. Append. n. 20.

dato vices eius gerentes sacrum solemne vel vesperas solemnes celebrant, indumentis et insignibus pontificalibus ac faldistorio, baculo vero solum cum Ordinarii licentia utentur, quod etiam in administranda confirmatione conferendisque sacris ordinibus et aliis functionibus proprie pontificalibus fiet; in reliquis vero omnibus ab insignibus et indumentis pontificalibus abstinebunt. Pariter quoque in pontificalibus celebrantes populo solemniter cum mitra et baculo benedicent, a quo tamen abstinebunt, quotiescunque sacro Ordinarius paratus interfuerit, cuius tunc ut maioris est benedictionem impertire. Quando Episcopi auxiliares missam solemnem vel vesperas diebus designatis aut de Ordinarii mandato pontificaliter celebrant, presbyterum assistentem et duos ministros ex ecclesiae cathedralis vicariis habebunt; a celebratione missae cantatae vero et vesperarum, quae eis ex ordine sive turno in propria hebdomade incumbit, abstineant, sed alium in sui locum subrogare obligantur. In choro et ubicunque capitulum cathedrale capitulariter publice procedit, Episcopi auxiliares primam stationem seu stallum et primum locum, attamen absque insignibus pontificalibus occupabunt; in sessionibus vero capituli eum numerum observent, qui eis ex praebenda ipsis collata convenit. Denique quod ad vestitum eorum dignitati convenientem spectat, tam in choro quam extra chorum ubique vestitum ordinarium, quo Episcopi extra dioecesin suam et in Curia Romana utuntur, id est, rochettum supra subtanam et mantellettum violacei coloris gestabunt.[1])

CAPUT III.

De Metropolita.

Dignitatem metropolitanam antiquissimam esse et ad Apostolos aut apostolica usque tempora origine ascendere, e probatissimis liquet testimoniis. Namque primis iam saeculis inter

[1]) S. R. C. decret. gener. d. d. 27. Sept. 1659. — S. R. C. die 15. Iulii 1617. in Compostell. — Die 22. Aug. 1722. in Sarsinaten. — Die 10. April. 1728. in Asculan. — Die 16. Mart. 1833. in Mediolan. — Die 10. Ian. 1852. in Colonien. — Caeremon. Episcop. lib. II. cap. 9.

Episcopos eminuisse videmus quosdam, quos, quum primi Episcopi provinciae, Episcopi primae sedis, primae cathedrae nuncuparentur, superiorem ceteris dignitatem tenuisse haud dubium est.[1]) Sed et Synodus Nicaena, de Episcopis metropolitanis agens, eosdem antiquitus iam institutos esse supponit, dum decernit, eorum, quae fiunt, confirmationem in unaquaque provincia a Metropolitano fieri oportere.[2]) Pari modo Patres Antiocheni statuerunt: „Per singulas provincias Episcopos singulos scire oportet, Episcopum metropolitanum, qui praeest, curam et sollicitudinem totius provinciae suscepisse.... Quapropter placuit, eum et honore praecellere, et nihil ultra sine ipso reliquos Episcopos agere secundum antiquum Patrum nostrorum canonem."[3])

Varia olim fuerunt Metropolitarum iura, quae tamen labentibus saeculis mutata ac denique a Concilio Tridentino apostolicisque constitutionibus definita ac certis limitibus circumscripta sunt; eaque omnia haec Synodus agnoscit ac veneratur.

Quorum ut aliqua tanquam praecipua memoremus, Metropolitani est, singulis trienniis concilium provinciale convocare[4]), eidem praesidere, illud dirigere, in eodem decreta et statuta cum consilio et assensu reliquorum eiusdem provinciae Episcoporum condere, condita suo nomine cum eorundem assensu, postquam tamen ab apostolica Sede recognita sunt, edere ac promulgare, denique si quid dubii in decretis promulgatis ortum fuerit, id cum consensu eorundem Episcoporum solvere et explicare, salva semper Sedis apostolicae auctoritate.

Metropolitani quoque est, in causis appellationum, quum Episcoporum eiusdem provinciae subditi ab Ordinariorum sententia ad ipsum provocant, inquirere ac cognoscere.[5])

Illius porro est, sede suffraganea vacante, constituere vicarium capitularem, si sedis vacantis capitulum intra octo dies

[1]) Can. Apost. 33. — Conc. Carthag. III. can. 26. — [2]) Can. 4. — [3]) Can. 9. apud Grat. can. 2. c. IX. quaest. 3. — [4]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de reform. cap. 2. — Constit. Sixti V. *Immensa* d. d. 22. Ian. 1587. — Conc. prov. Mediolan. IV. part. III. cap. 4. De conc. provinc. — Fagn. in cap. *Antigonus* 1. X. de pactis (I, 35). — [5]) Cap. *Cum non ignoretis*. 1. X. de offic. Legat. (I, 30.)

eum non elegerit; unde etiam capitulorum est, de sedis episcopalis vacatione et de vicarii capitularis electione Metropolitam certiorem facere. Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in metropolitana vicarium capitularem idoneum constituere potest.[1]) Quapropter capitulum metropolitanum de vacatione ecclesiae metropolitanae et electione vicarii capitularis eum certiorem reddere tenetur.

Gaudet potestatis insignibus, pallio archiepiscopali, quo per totam provinciam in sacris pontificalibus ab ipso libere faciendis diebus designatis utitur, aeque ac cruce archiepiscopali, quae ante ipsum defertur, sicut etiam in omnibus provinciae locis populo benedictionem solemnem et simplicem impertire ac mozzettam et rochettum non coopertum gestare potest.[2])

Praeterea ei competit, cathedrales ecclesias et dioeceses suae provinciae Episcoporum canonice visitare, quod tamen nonnisi causa in concilio provinciali cognita et probata facere potest.[3])

Ceterum quum Dominus dicat: „Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus"[4]), quumque omnibus provinciae Episcopis cum una eademque sacra unctione, qua pro uno Iesu Christi populo constituti sunt pontifices, una eademque sit missio, qua ad vineam dominicam custodiendam et colendam vocati sunt: singuli uno animo in id enitentur, ut non tam principatus et subiectionis necessitudine, quam mutui amoris vinculo coniuncti, tanquam unius matris Ecclesiae filii mutuo se adiuvent et eiusdem Ecclesiae prosperitatem et gloriam viribus iunctis promoveant. Quum enim difficillimis his temporibus Ecclesiae salus et stabilitas imprimis in unitate reposita sit, Episcopi in gerendis, quae ad administrationem dioecesium attinent, negotiis gravioribus communem agendi rationem sequi studebunt, saepiusque communi congressu cum Metropolita et inter se mutuo consilia conferent, quod compluribus inde ab annis cum fructu haud exiguo fieri iam apud nos consuevit.

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de reform. cap. 16. — [2]) Clement. cap. *Archiepiscopo* 2. de privilegiis et excess. privilegiat. (V, 7.) — [3]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de reform. cap. 3. — [4]) Matth. 20, 27.

CAPUT IV.

De synodo provinciali.

Ut arbor tota ex eadem radice succum haurit et vita eadem nutritur, singuli autem rami, quum frondes et folia explicant, aliam novamque quasi arborem, insertam communi stirpi, nobis exhibent, ita etiam Ecclesia, forma vitaque perfectissima praedita, quamvis una sit unoque capite connectatur, in complures tamen provincias et quasi ramos sese dispandit, quae specie quidem minore illam, quam in Ecclesia universa unitatem conspicimus, nobis ob oculos ponunt. Moris proin antiquissimi est, ut, quemadmodum urgente aliqua causa communi totius orbis Episcopi praeside Romano Pontifice vel eiusdem delegato in Synodum oecumenicam, ita eiusdem provinciae Praesules Episcopo metropolitano praeside statis temporibus in synodum conveniant provincialem. Licet vero non toties, quoties prioribus saeculis, quamdiu non aeque facilis ac nunc ad sedem principem patebat aditus aliasque ob causas concilia huiusmodi nunc cogendi urgeat necessitas, tamen morem illum antiquum et imprimis utilem retinendum, et ubi collapsus esset, „pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis aliisque ex sacris canonibus permissis" renovandum statuit sacra Synodus Tridentina atque exigit, ut quolibet saltem triennio concilia provincialia cogantur, quo Episcopi omnes et alii, qui de iure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur.[1])

Et sane utilissimum esse per se et Ecclesiae constitutioni maxime congruum conciliorum provincialium usum vel tunc maxime apparet, si Conciliorum generalium canones et decreta aut quae alias a summo Pontifice, communi omnium christianorum Patre et Doctore, constituta sunt, in iisdem promulgantur, urgentur, renovantur, ut hac ratione, quae e communi Ecclesiae fonte aquae spirituales promanarunt, per quosdam quasi rivos in singulas provincias et provinciarum partes, hortum Ecclesiae totum irrigaturae deducantur. Sed accidere etiam novimus, ut

---

[1]) Sess. XXIV. de reform. cap. 2.

doctrinae catholicae capita, licet Conciliis generalibus vel Ecclesiae consensu satis iam definita et declarata, ab hominibus rerum novarum studiosis in dubium vocentur aut negentur. Malis huiusmodi, ne longius serpant, a synodis provincialibus communi studio et aptis remediis occurritur.

Quae porro naturae humanae est infirmitas, etsi triticum veritatis a zizaniis errorum purgatum est, tamen non semper bono semine illos bonorum morum progigni fructus dolemus, quos si terra cordis nostri apte esset disposita, certo proferret. Itaque si disciplina ecclesiastica alicubi detrimentum capere, si cultus divini et sacri ministerii partes non ea, qua par est, cura et diligentia obiri, si denique languor quidam et torpor corporis Christi mystici membra occupare vitamque debilitare videtur: tum vero pastorum est, malorum remedia circumspicere, desides hortari, impellere, urgere, et quod singulorum prudentia et vox non valeret, id omnium simul consilia vocesque effectura esse licet confidere. Nam ut S. Caroli Borromaei verbis utamur, „natura et ratione ipsa ducimur, ut in gravioribus rebus deliberandis aliorum consilia exquiramus, vel quod cautior deliberatio est, si ad nostrum iudicium multorum sententia accesserit, vel quia apud illos, quibus consulere maxime cupimus, maiorem auctoritatem et pondus habet consultatio, in quam plures consenserint".[1])

Demum arctiore etiam vinculo omnes unius provinciae Episcopi et qui eosdem comitantur consiliarii et sacerdotes obstringuntur, si eiusdem fidei testimonio, eadem sententia et eadem voluntate se teneri conspiciunt; promptiore etiam animo fidem illam, quam Episcopos communi sententia profiteri audierint, profitebuntur Christi fideles et maiore studio et alacritate laborabunt, ut digna se membra exhibeant Ecclesiae catholicae, quae arboris procerae instar per totum terrarum orbem ramos suos pandit. Unde quod dudum iam in votis erat, provincialium conciliorum usum, qui quo diutius, per tria videlicet et amplius saecula, intermissus erat, eo gravioribus premebatur difficultatibus, Deo propitio renovare tandem licere laetamur.

---

[1]) Orat. hab. in conc. provinc. I.

Ad concilium provinciale per Metropolitam iure vocandi sunt eidemque interesse debent imprimis omnes Episcopi suffraganei; voto utuntur decisivo. Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, cuius dein synodo provinciali interesse debent eiusque statuta observare tenentur. Episcopi auxiliares, capitula metropolitanum et cathedralia, ecclesiarum collegiatarum praepositi, facultates theologicae, seminariorum maiorum rectores, abbates, priores conventuales, praepositi provinciales regularium, qui animarum saluti vacant, iure aut consuetudine vocandi sunt votoque utuntur consultivo; et demum, si qui sunt alii, qui ut interessent, e re communi foret, aut quorum opera Episcopi uti vellent. Coucilii provincialis decreta a Sede Romana recognita et per Metropolitam promulgata per totam provinciam obligant.

CAPUT V.

De capitulis cathedralibus.

Primorum saeculorum presbyteriis canonicorum sub regula certa vitam communem agentium collegia, collegiis successerunt capitula, e mente Ecclesiae senatus ut dignitate venerandus, ita virtute, scientia et meritis conspicuus, a quo cultui divino decor ac splendor, Episcopo in rebus gravioribus consilii ubertas et fidelis alacrisque in negotiis Ecclesiae gerendis, si postulaverit, opera[1]) ac tòti dioecesi Sede vacante administratio canonica repetatur. Quae Angelorum et Beatorum omnium in coelis, laudes Deo iugiter concinentium, in aevum est felicitas, eam Ecclesia, quae in terris quidem militat, cuius vero conversatio in coelis est, iam nunc praecipit, vocem suam coelestium choris iungendo Deoque Sanctus, Sanctus, Sanctus iugiter proclamando. Et quamvis christianis omnibus officium hoc sit commune, modo tamen peculiari clericorum est, quippe qui Domini sint peculium. Inter ipsos vero clericos singulari denuo praerogativa Ecclesia partes tam insignes demandatas esse voluit illi coetui, qui e S. Ignatii Martyris sententia ita cingit

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de reform. cap. 12. — Diplom. restit. eccl. Colonien. §. 18. Vid. Append. n. 20.

Episcopum, ut Apostolorum collegium Iesum Christum.[1]) Aequum porro erat, nt, qunm cultus divinus reliqnis rebns omnibus praestet dignitate, una aliqua esset ecclesia, quae hac in re ceteris praefnlgeret exemplo. Nulli antem provincia haec iure potiori deferri poterat, qnam ecclesiae totius dioeceseos principi, ecclesiae cathedrali. Et certins finis ille obtineri non poterat, qnam si collegium aliqnod integrum eidem vacaret.

Omni igitur, qna par est, dignitate, reverentia ac pietate officium divinum a canonicis et vicariis accnrate persolvatur, qnapropter omnes in choro semper modestos ac devotos se exhibeant, atqne imprimis omni confabulatione abstineant, ut populo sint bouo exemplo nec piis offensioni.[2]) Officium missae solemnis totum semper cantandum est, nec quidquam omittatur aut mutiletur. Quando Episcopns solemniter celebrat vel assistit in cathedrali, in aedibns episcopalibus vel pro loci ratione in porta primaria ecclesiae a capitulo recipiendus et post missam reducendus practereaque totum officium tum assistendo qnum ministrando, acque ac in omnibus aliis semper eo, quo in caeremoniali et pontificali Romano praescribitur, modo ad amnssim persolvendum est. Insuper omnia, quae in caeremoniali Episcoporum libro I. cap. 7. 8. 9. 10. 11. et 15. de assistentia, cap. 26. de supplendis vicibus canonicorum, nec non qnae libro II. cap. 8. et 9. de Episcopo celebrante vel non celebrante notata sunt, observabuntur.

Missa conventualis quotidie persolvatur ct applicetur pro benefactoribus ecclesiae cathedralis, et qnidem per vices a dignitariis et canonicis, qnippe quibus id ex beneficiis capitularibus canonica obligatione incnmbit.[3])

Ordo missarum omnium a canonicis et vicariis e serie tam feriis, qnam diebus dominicis et festis in cathedrali celebrandarum ab Ordinario cum consilio capituli statuatur stricteque observandus est, ut dignitati ecclesiae primariae populique aedificationi satisfiat. Dnm sermo habetur, nemini missam celebrare licet.[4])

[1]) Epist. ad Smyrn. n. 8. — [2]) Conc. Trid. l. c. — Bened. XIV. Instit. eccles. 107. n. 25. et 29. — [3]) Conc. Trid. l. c. — Constit. Bened. XIV. *Quum semper oblatas* d. d. 19. Aug. 1744. — [4]) Conc. prov. Mediolan. IV. part. I. cap. 25. de verbi Dei praedicatione.

Omnes, sive dignitarii sive canonici sive vicarii, horis canonicis in choro recitandis ac missae conventuali quotidie intersint, nisi quis ex causis in iure expressis excusatus et impeditus vel etiam propter servitinm Ecclesiae aliasqne ob causas ab Ordinario, vi facultatum a sancta Sede apostolica ad id concessarnm, legitime dispensatus fuerit. Diebus vero dominicis et festis etiam qni pro diebus ferialibus ab Ordinario dispensati fuerint, toti officio semper assistant nec ulli ad quaecunque in aliis ecclesiis officia suscipienda exire liceat.

Ad ordinem sustiuendnm capitulum aliqnem praesentiarium, quem vocant, punctatorem e suo gremio aut e vicariis iuxta constitutiones ecclesiasticas designabit. Hic praestabit iuramentum, se fideliter officium suum adimpleturum, et referet capitulo et etiam Ordinario, praesertim si is requirat, puncta abseutium a servitio chori. Si canonici intra duos menses non seligant punctatorem, id faciat Ordinarius: et si punctator non fideliter administraverit officium snum, ab Ordinario removeatur, et ab eodem capitulo iuxta praedictam methodum alius seligatur.[1])

Quum abusus intolerabilis irrepserit, ut populus, viri, imo et mulieres, quandoque in chornm usque penetrent, canonicos ac vicarios aliosque clericos officio divino inservientes impediant, adeoque eorum stalla ac scamna occupent atque ita modo importuno et prorsus indigno ordinem perturbent, ad tollendum hunc abusnm puriori disciplinae et canonum sanctioni tam contrarium mandamns et statuimus, ut deinceps tam viri laici quam feminae ab ingressn chori omnino et strictissime arceantur.[2])

Quum ecclesiae cathedrales, nt in officio divino, ita praecipue in cantu ecclesiastico ceteris dioeceseos ecclesiis norma esse et bono exemplo praelucere debeant, ea omnia stricte observanda sibi ducant, quae de cantn ecclesiastico haec synodus statuenda et decernenda esse providerit.[3]) Quamobrem Episcopi

[1]) Conc. prov. Mediolan. I. part. II. cap. 42. de officio punctatoris. — Bened. XIV. de syn. dioeces. lib. IV. cap. 4. n. 2. — Eiusdem Instit. eccles. 107. n. 42. 43. — [2]) Diplom. restitut. eccles. Colonien. §. 25. — Cap. *Ut laici* 1. X. de vita et honest. cleric. (III, 1.) — Can. *Sacerdotum* 30. de consecr. dist. 2. — Conc. Roman. a. 1725. tit. XXVIII. cap. 4. — [3]) Conc. Trid. l. c.

cum consilio capitulorum scholas chorales, ubi iam sunt, augebunt, et ubi non sunt, instituent eum in finem, ut in sancto officio aeque atque in missa cantus choralis sive Gregorianus secundum Ecclesiae leges et haec nostra decreta [1]) quamprimum adhibeatur. Sumptus, qui in scholam choralem impendendi sunt, a capitulis sunt praestandi, sive e fundis ad cantores alendos iam comparatis et destinatis, sive ex fabrica ecclesiae cathedralis, si fundi particulares ei non destinati sunt. Summa annua, qua opus sit, ab Ordinario cum consilio capituli, necessitatis et subsidiorum habita ratione, definietur, simulque eadem ratione eius distributio ad varias cantus partes et inter illos, qui ad eum exercendum aut docendum adhibentur, determinabitur.

Episcopi curabunt, ut in singulis cathedralibus theologus, qui populo sacram Scripturam pro concione exponat, secundum bullam De salute animarum, ubi non est, constituatur; et si ex iudicio Episcopi unus theologus ob senectutem, infirmitatem vèl quamcunque aliam causam ad id non sufficiat, alter ei addatur concionator auxiliaris ab Episcopo deputandus et a capitulo congrue remunerandus e fabricae fundis, salvo iure Ordinarii approbandi ac reformandi remunerationem iuxta prudentiae et aequitatis regulas.

Secundum caeremoniale Episcoporum in quacunque ecclesia cathedrali et collegiata sacerdos constituendus est sacrista, qui ad huiusmodi officium fideliter et strenue exercendum idoneus et aptus censetur.

Capitula cathedralia singulis annis rationem Ordinario reddere tenentur.[2])

Episcopo mortuo, capitulum ecclesiae cathedralis anniversarium pro defuncto usque ad mortem successoris celebrabit. Episcopi comprovincialis obitum capitulum ceteris provinciae Episcopis et capitulis annuntiabit, ex quo exequiae solemnes pro defuncto in ecclesiis cathedralibus celebrabuntur.

---

[1]) Cf. infra part. II. cap. 20. — [2]) Conc. Trid. Sess. XXII. de reform. cap. 9.

CAPUT VI.

De parochis et rectoribus curatis.

Nobilem imprimis et fructuosam in dioeceseos procuratione opem ferunt parochi, qui ab Episcopo constituti iure proprio populi sibi commissi curam habeut. Ut essent, qui assidue cum eadem gregis parte degentes melius nossent oves et melius ab iisdem cognoscerentur, qui hortulani diligentis instar cura diurna et nocturna easdem plantas modo irrigarent, modo a solis ardoribus, modo a pruina defeuderent, qui medici partes agentes e crebra cousuetudine valetudinis vices omnes perspectas haberent; qui ceu paterfamilias solers et providus uon modo quid tempus praesens exposceret, sed etiam quid aliquando e re futurum esset, explorarent et prospicerent: has ob causas parochi demum coustituti suut, quum antea ex ecclesia cathedrali in varias civitatis et dioeceseos partes ab Episcopo presbyteri submittereutur, qui pro necessitate rem diviuam procurareut. Parochi muuus inde imprimis tam grave esse conspicitur, quod apud illam gregis, cui praeest, partem fere solus plerumque Ecclesiae personam agat, et ipse sit, ex quo fideles et infideles religionis vim et efficaciam metiri soleant. Si vera est sententia, cui non raro suffragari videtur experientia, tanta passim in hominum auimis religiouem·dignitate florere et auctoritate, quanta sacerdotibus, eius miuistris, defertur revereutia; certe id imprimis intelligendum est de delata parocho reverentia, quo nemo alius e sacerdotibus arctiore cum populo consuetudine nectitur.

Quam sollicita igitur cura providendum est parocho, ut Ecclesiae personam eo, quo decet, modo gerat! Quam caute praecavenda sunt omnia, quibus oriri pusillis possit scandalum! Quum porro Deus, licet infinite poteus et sapiens, tameu hominum, quibus mysteria sua dispensanda commisit, requirat solertiam: quanto studio parochis, qui quasi extremi sunt a sole, qui est Ecclesia, ad populos illuminandos emissi radii et extremae illae arteriae, per quas sanguis et calor in remotissimas membrorum partes diffunditur, allaborandum est, ut populum sibi commissum doceudo et ministrando illumiuent et inflamment!

Parochornm est, diebus dominicis et festis, etiam festis abrogatis [1]), missae sacrificium pro populo ipsis concredito offerre, verbum divinum exponere, sacramenta administrare, ita quidem ut baptismum, communionem paschalem, viaticnm et extremam unctionem conferre proprii illorum iuris sit. Invalida sunt, nisi quatenus Concilii Tridentini decreto ex snmmi Pontificis dispensatione derogatum est, fidelium matrimonia, qnae coram proprio parocho vel eius delegato non fiunt.

In parochiis, in quibus complures sunt presbyteri, missae tam diebus dominicis et festis, quam ferialibus eo tempore et ordine certo fiant, nt fidelibus commoda assistendi occasio praebeatur.

Diebus dominicis et festis semper missa solemnis celebranda est, canente sacerdote; cantns partem omittere vel trnncare strenue prohibemus. Usns ille freqnentior sanctissimnm sacramentum exponendi in comprecationibns aliisqne pietatis officiis abolendus et ab Ordinariis accuratius ordinandns est. Missae coram ss. sacramento exposito non permittuntur, nisi stricte secundnm praescripta canonnm et sacrae Congregationis rituum decisiones.

In theophoriis, qnae semper horis antemeridianis, nunqnam vero post meridiem habendae sunt, imagines et reliquiae Sanctorum ne gestentur, stricte interdicimus.

Snpplicationes sive processiones solemnes secnndum Ecclesiae statuta et diebns praescriptis cnm decore et pietate habeantur, nec nlli parocho in alium diem eas pro arbitrio et sine expressa Ordinarii permissione transferre licet. A processionibus quivis armorum et tympanornm strepitus bellicosus clangorque tubarum excludeudus est, excepto comitatu, quem guardiam honorariam vocant.

Novae imagines, statuae, picturae in vexillis nullibi perficiantur aut adhibeantur, nisi examinatae et approbatae prius fuerint ab Episcopo.

Ubi complures missae diebus dominicis et festis celebran-

---

[1]) Pii IX. Constit. *Amantissimi redemptoris* d. d. 3. Maii 1858. Vid. Append. n. 33.

tur, in summo sacro concio uberior, in una autem alterave missa homilia etiam ad populum instituendum fiat. Concio autem uberior ut singulis diebus dominicis et festis secundum praeceptum Concilii Tridentini accurate habeatur, serio mandamus, eademque semper cum missa solemni habenda est etiam in urbibus, et ubi consuetudo haec non viget, introducenda est. Concionatores vero studeant, ut verbum divinum sermone simplici, gravi et efficaci exponant, et quantum fieri potest, nexu aliquo et serie secundum dogmatum et praeceptorum ordinem, non neglectis tamen iis, quae in missa leguntur.[1] Singulis etiam diebus dominicis catechesis in ecclesia pro iuventute provectiore habeatur hora pomeridiana.

Parochis nunquam sine iusta causa nec nisi constituto aliquo, qui absentium vices gerat, a parochia discedere licet. Quem vero pro se constituerint, non domesticis tantum, sed aedituo etiam indicabunt.

Quoties per tres dies feriatos, abitus et reditus diebus simul inclusis, absentia proroganda est, decanum, antequam itineri se committunt, itineris et meta et causa indicata, certiorem facient; ultra triduum vero absque licentia decani non absint. Per diem dominicum vel festum pariterque adventus et quadragesimae tempore, nonnisi licentia ab Ordinario obtenta et litteris expressa, quam se impetrasse decano nunciabunt, abesse licet.

Presbyteri curati auxiliares, etiam quum non usque ad tertium diem absentia producitur, licentiam a parocho, et quum diutius, per parochum a decano aut, ubi necesse est, ab Ordinario petent.

Decani in relationibus annuis Episcopo faciendis mentionem faciant de itineribus curatorum, annotantes, utrum licentia petita et concessa fuerit.

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXII. de sacrif. missae cap. 8.

CAPUT VII.

De decanis.

Magni profecto momenti ad dioecesin bene administrandam est officium decanorum. Eliguntur enim atque in muneris episcopalis partem et sollicitudinis societatem advocantur ab Episcopo, ut ex iis, tanquam vineae Domini custodibus, quae ad religionis incrementum necessaria et opportuna videantur, intelligat, et eorum ope omnia, in quibus parochiarum regimen deficiat vel minus perfectum reperiatur, emendare et ordinare possit. Decanorum igitur est, in regionibus curae suae commissis cleri et populi moribus formandis et reformandis studiose invigilare seduloque intendere, ut non tantum abusus et excessus, si qui in vita fidelium exorti fuerint, tempestive detegantur ac salutari remedio sanentur, sed praecipue quoque, ut omnes, qui in sortem Domini assumti et sacerdotalis gloriae participes facti sunt, vitam agant nomini et dignitati consonam, ac praesertim ut parochi in officio divino persolvendo, in sacramentis administrandis et muniendis aegrotis, in verbo divino praedicando et scholis visitandis ceterisque rebus pastoralibus munere suo rite fungantur. Ad quod quidem opportune exsequendum summopere conducet, ut ipsi imprimis decani doctrina, vitae morumque integritate, zelo et pietate ceteris praecellere maximeque parochis, quibus auctoritate et honore praesunt, obedientia praeire studeant, atque universe strenuos sollicitosque ecclesiasticae disciplinae ita sese praebeant excubitores, ut vere dicantur et sint oculi Episcopi eiusque vicarii.

Quotannis decani secundum modum ab Ordinario praescribendum singulas regionis sibi commissae parochias visitabunt atque de earum statu, de abusibus in clero et populo deprehensis, de defectibus in persolvendis fundationum oneribus, in administratione bonorum parochorum et vicariorum vel fabricae ecclesiae inventis, de subortis inter pastores et parochianos difficultatibus ceterisque omnibus, quae corrigenda et ordinanda repererint, fideliter ad Episcopum referent. Nec minus extra visitationem de iis omnibus Episcopum certiorem facient, quoticscunque servandae disciplinae necessitas utilitasque id exegerit.

Praeterea decani parochorum conventus saltem quotannis habendos dirigent atque in iis scientiae et fervoris pastoralis studium incitent et foveant. Quotiescunque facile fieri poterit, sacerdotes sibi subiectos invisant, ad vigilantiam eos excitent, adiuvent, fraterna exhortatione moneant et consolentur ac controversias inter illos exortas componant. Quos vero in officio suo negligentes et inertes vel dignitatis sacerdotalis oblitos bis vel ter admonitos, nihilominus exhortationibus suis recalcitrantes invenerint, aeque atque eos, qui graviter in disciplina deliquerint, Episcopo deferant. Decanorum etiam est, parochos nominatos in possessionem introducere, iisdem morbo decumbentibus, si aegroto placuerit, sacramenta administrare ac demum defunctorum sepulturae et exequiis praeesse, nec non curare, ut archivum parochiale successori tradendum observetur, ac demum parochiae vacantis administratorem constituere, donec ab Ordinario fuerit provisum.

In vitae et conversationis clericorum populique morum custodia decani magna prudentia, maturo zelo et caritate procedant, ut neque facilius accusationes malignorum excipiendo incommodae explorationis suspicionem incurrant et parochorum auctoritatem minuant, neque etiam cum delinquentibus dissimulent, aut propensione et nimia indulgentia aliave causa se duci patiantur, memores se ipsos tunc delinquentium et animarum ruinae rationem coram tremendo Dei iudicio esse reddituros.

Quo facilius Episcopus decanos eos constituere possit, quos tum scientia rerumque gerendarum peritia, prudentia, pietas et Ecclesiae honoris et animarum salutis zelus Episcopo tanquam idoneos adiutores in dioecesi administranda suosque vicarios probant, tum comitas et humanitas, benignitas et caritas et orta exinde auctoritas et fiducia fratribus commendant: parochis concedimus facultatem tres e gremio capituli per schedulas secretas Episcopo designandi, e quibus sibi exhibitis Ordinarius decanum nominabit, quem digniorem et aptiorem indicaverit. Quod si nullus ex designatis rebus gerendis satis idoneus sit, vel alia de causa conscientia Episcopo interdicat, ne quem ex illis delegatum suum constituat, ipsi ex ceteris capituli parochis, quem

dignum et idoneum putaverit, decanum nominandi facultatem reservamns.[1])

Ut officium suum nullis dncti humanis rationibus liberius atque diuturna experientia edocti maiori prndentia ct gravitate explere valeant, decani ad dies vitae munus suum obtinebunt, nisi aut de capitulo demigraverint aut ipsorum incuria et negligentia aliave necessitatis vel utilitatis Ecclesiae et administrationis dioecesanae causa Episcopum obligaverit, ut delegationem suam revocet.

Duo pariter sint in singulis capitulis definitores, qnorum alterum Episcopus nominabit, alterum parochi capitnli per schedulas secretas Episcopo approbandum exhibebunt. Definitores fabricarnm curam gerent, uterque in illa, quae ab Episcopo sibi assignata fuerit, regionis parte. Praeterea in omnibus negotiis, quae vel ad totum capitulnm spectant vel inter maiora et graviora numeranda veniunt, decano consilio et ope assistent einsqne impediti secundum ordinem vices gerent.

CAPUT VIII.

De regularibus.

„Quantum ex monasteriis pie institutis et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque ntilitatis oriatur,“ ut sanctae Tridentinae Synodi Patribus[2]), ita et Nobis compertum est. Et sane non potest non esse sanctum Ecclesiaeque proficuum illud vitae genns, quod a Christo, consiliis quibusdam propositis, est commendatum; quod inde a primis saeculis floruit, plurimos coelo peperit Sanctos, Ecclesiae pastores, animarum saluti strennos operarios; quod summi Pontifices promoverunt ct contra obtrectantes protexerunt; quod denique, quo maiora vita christiana in Ecclesia nniversa, eo maiora et ipsum cepit incrementa. Hos autem fructus tunc solum proferre potest, si tam illa, quae ex ipsa professione vitae religiosae omnibus communia, quam illa, quae instituto cuilibet propria sunt, accurate

[1]) Conc. Roman. a. 1725. tit. VII. cap. 2. — [2]) Sess. XXV. de regular. cap. 1.

observantur. Unde mouet et praecipit sancta Tridentina Synodus: „ut omnes regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum vitam instituant et componant atque imprimis quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac si quae alia sunt alicuius regulae et ordinis peculiaria vota et praecepta ad eorum respective essentiam nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia fideliter observent".[1])

Regulares igitur spiritum sui ordinis nutrient et praesertim vota ac regulas suas accurate observantes populo pietatis, fervoris, obedientiae omnisque perfectionis praebebunt exempla.

Qui missiones in populo habere solent, ab Episcopo vocati omni, quo par est, fervore et cura provida ac prudenti huic muneri satisfacere satagent. In conventuum suorum ecclesiis et foris quoad omnia, quae ad cultum publicum et animarum curam spectant, Ordinarii praescriptis ad amussim obtemperabunt.[2]) Clerici regulares aeque ac saeculares admonentur, ut in vivendo et agendo pacem et concordiam fraternam conservent et foveant.

Quae a sancta Sede de candidatis ad novitiatum admittendis constituta sunt, in omnibus observentur.[3])

Moniales vitam vere spiritualem agant et ad finem ordini praefixum tendant. Sint vere virgines, verae Christi sponsae, Ecclesiae ornamentum secundum illud S. Cypriani: „Flos ... ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi".[4])

Sorores congregationum recentiorum, ut a S. Francisco, a puero Iesu nuncupatarum aliarumque, licet moniales non sint sensu arctiore, tamen secundum sanctae Sedis decreta, quod ad confessarium designandum et disciplinam sustinendam attinet, monialium instar habendae sunt.

Quamvis complures sorores quarundam congregationum con-

---

[1]) Sess. XXV. de regular. cap. 1. — [2]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de reform. cap. 15. — [3]) Decr. S. Congr. sup. stat. regular. d. d. 25. Jan. 1848. Vid. Append. n. 27. — [4]) Lib. de habitu virginum.

versationem cum hominibus omnino evitare non possint, tamen omnes vitam in Christo vere absconditam agant omnemque familiaritatem cum personis tam laicis, quam clericis sedulo fugiant.

CAPUT IX.

De synodo dioecesana.

Synodus dioecesana sive episcopalis est congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisve, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est. De synodorum utilitate iam propterea ambigendum non est, quod eae a sacris canonibus praescriptae, a Concilio Tridentino singulis annis ut celebrentur praeceptum sit.[1]) Benedictus XIV. in illo, quod de synodo dioecesana conscripsit, opere, ab hisce, quibus concilium provinciale Coloniense anno 1549. easdem commendavit, orditur verbis: „In synodis redintegratur unitas, studetur corpori in sua integritate conservando; ubi ea, quae in visitatione non dabatur exsequi, executionem studiis communibus assequuntur; ubi de capite et membris, de fide et pietate, de religione et cultu divino, de moribus et disciplina, de obedientia, de iudiciis et rebus omnibus ad bene christianeque vivendum commodis vel necessariis tractatur atque statuitur".[2]) Neque immerito idem summus Pontifex id addit, in dioecesis visitatione non omnia, quae corrigere et emendare oporteat, deprehendere Episcopum, sed multa etiam in synodo rescire posse a parochis, qui continue inter oves versentur. Huc faciunt, quibus S. Carolus Borromaeus in sua synodo XI. clerum allocutus est verbis: „Est generalis quaedam visitatio synodus; alias enim per annum particulares quasdam ecclesias dumtaxat visitamus, hic vero generatim sacerdotes omnes et clericos atque in ipsis suo etiam modo populos eis commissos."

Sed hierarchica etiam Ecclesiae constitutio et corporis

---

[1]) Sess. XXIV. de reform. cap. 2. — [2]) De synod. dioeces. lib. I. cap. 2. n. 2.

Christi mystici compages, quam provincialibus conciliis exhiberi antea diximus, synodis dioecesanis in ulterioribus suis velnti formis ob oculos omnibus ponitur. Quum enim in Ecclesia a capite in membra vita descendat et ex uno fonte aquae scaturiant, postquam a concilio provinciali susceptae sunt, per synodos dioecesanas in singulas cuiuslibet dioecesis partes et parochias deducuntur. Unde etiam moris fuisse legimus, ut, quemadmodum Concilio generali concilia provincialia, ita his succederent synodi dioecesanae, in quibus illorum definitiones et decreta promulgarentur.[1])

Synodi dioecesanae etsi sunt utilissimae, „non idcirco tamen", Benedicti XIV. sunt verba, „illis assentimur, qui eas absolute necessarias affirmant: quemadmodum enim Concilia generalia, quamvis summopere utilia, non sunt tamen absolute et simpliciter necessaria pro Ecclesiae universalis regimine ... ita episcopales synodi, etsi maxime fructuosae, non tamen absolute necessariae dicendae sunt pro recta dioecesium administratione, quum alii suppetant modi assequendi eundem finem, ad quem synodi tendunt".[2])

Unde etiam providendum est, ut, ubi dioeceseos amplitudo aliaeve causae maiorem exhibent difficultatem, minor ex illis, qui adesse tenentur, numerus ab Ordinario determinandus, qui ducentos tamen non excedat, convocetur. Interesse autem tenentur synodo omnes, qui in dioecesi dignitatem habent, personatum et officium, vicarius generalis, vicarii foranci, ecclesiae metropolitanae seu cathedralis canonici, parochi et omnes, qui curam animarum habent parochialem; rectores quoque saecularium ecclesiarum, etiam annexarum; praeterea canonici collegiatarum, abbates saeculares atque etiam regulares, qui generalibus capitulis non subduntur, cunctique exempti, qui alioquin, sublata exemptione, ad synodum venire deberent.

In synodo dioecesana solus Episcopus est iudex et legislator; ipse suo nomine decreta facit et promulgat; constitutiones facere potest sine consensu et approbatione capituli et cleri.

[1]) Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. V. cap. 2. n. 1. — [2]) Ibid. lib. I. cap. 2. n. 5.

Capituli quidem consilium exquirere, non tamen sequi tenetur, nisi quatenus in iure exprimitur; et tunc, ubi de voto agitur, canonici unum tantum, id quidem capituli, votum efficiunt.

TITULUS II.

DE MINISTERIIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT X.

De sacramentorum administratione generatim.

Quum omne aliud, tum vero sacramenta administrandi munus sanctissimum habendum est. Si enim illorum causam et originem spectas, Christus omnium auctor est; si vim et efficaciam, immensa per Christi mortem generi humano comparata merita et gratiae ex iisdem nobis promanant; si illos, quibus conferuntur, animae immortales et Christi morte redemptae iisdem sanctificantur; si demum finem intueris, aeterna hominis in coelo beatitudo aeternaque Dei gloria intenditur. Unde quum sacramenta christianae vitae initium sint et fundamentum, quum iisdem augenda sit et perficienda et tota suis quasi cardinibus vertatur; Ecclesiae ministri non solum, quam immensa nobis bona ex illis proveniant, crebro et diligenter, ut christiani gratiis inde profluentibus recte uti et desiderent et sciant, explicabunt [1]), sed etiam cum illa dignitate, pietate et reverentia, quae rebus tam sanctis congruit, eadem administrabunt. Sequendus semper est ritus ab Ecclesia praescriptus et sancitus, qui in libris ritualibus reperitur. Parochis et rectoribus prohibemus strenue, ne in sacramentis administrandis pro lingua latina utantur vernacula, nisi in illis partibus, quibus illi, qui assistunt, alloquendi aut quaedam iisdem explicanda sunt. Ut vero fidelibus etiam illa, quae lingua latina proferuntur, innotescant, pa-

---

[1]) Cf. supra part. I. cap. 29.

rochi eorum significationem tum in concionibus tum in doctrina christiana saepe exponant.

CAPUT XI.

De baptismatis sacramento.

Baptismatis sacramentum, quum ad salutem tam sit necessarium[1]), parochi, quantum fieri potest, curabunt, ne quis infans ulla hominum culpa eodem privetur.

Quantocius conferendum nec nnquam ultra tertium diem prolatandum est; et ut maturandum curent, saepius monendi sunt fideles. Qunm sancta sancte, etiam quoad locnm, peragenda sint, et qunm aliunde aequum sit, ut fideles, immensos gratiarum thesauros sibi suisve expetentes, ecclesiam adeant, baptismi sacramentum tantum in ecclesia, nec unquam in domo privata conferendum est, nisi urgeat necessitas, vel ob causas graves ab Ordinario expetenda videatur et concessa sit dispensatio.

Si dubinm, validene baptismus sit collatus, exortum fuerit, in rem inquirendum est, et solum si ratio prudenter dubitandi reperiatur, sub conditione repetendus est, consulto tamen prius Episcopo, nisi periculum mortis immineat.

Igitur quum nostris temporibus acatholici baptismum non raro ita conferant, ut de eiusdem valore merito dubitandum sit, pro re nata locorum et personarum momenta diligenter attendenda et ponderanda sunt, et si dnbium non evanescit, baptismus sub conditione iterandus est. Quoties vero agitur de baptismo a societatum, qnae se germano-catholicas aut communitates liberas vocitant, ministris collato, semper est iterandus.

Ut aeternae infantium, qui periclitantur, saluti certius provideatur, parochi curabunt, ut obstetrices non aliae, nisi piae, honestae ac religiosae, qnae iis, quibus opus est, dotibus sint praeditae, instituantur, easque de illis, quae obstetrici christianae observanda et evitanda sunt, commonefacient.

Quum Concilium Tridentinnm sancierit, „ut unus tantum,

[1]) Cf. supra part. I. cap. 30.

sive vir sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant"[1]), prohibemus, ne patrini plures adhibeantur. Tanquam patrini autem, quum catholicae prolis educatio, si a parentibus tutoribusve negligitur, illorum curae sit concredita, admittendi non erunt rudes, acatholici, excommunicati, manifesto impii, publici peccatores, communionem paschalem et longiori tempore cultum divinum negligentes, et qui matrimonio mere civili coniuncti vivunt.

Usus infantem recens natum offerendi in ecclesia, ubi viget, retinendus ac fovendus, ubi desideratur, si fieri potest, introducendus est. Nonnisi in ecclesia benedictio post partum largienda est, neganda autem matri in matrimonio mixto viventi, cuius infans apud acatholicos baptizatus est; item neganda est semper et ubique matribus, quae prolem illegitimam ediderunt.

CAPUT XII.

De sacramento confirmationis.

Providendum est parochis et sacerdotibus omnibus curatis, ne confirmationis sacramento, quamvis ad vitam aeternam non sit aeque ac baptismus necessarium, quispiam careat, nostris praesertim temporibus, quandoquidem fidei pericula incurruntur plurima. Certius et diligentiori cum praeparatione christiani illud recipient, si brevi ante vel mox post primam communionem ad eius susceptionem invitantur; aliunde etiam decet, ut illa actate, qua christianis complura parantur pericula, hoc sacramento muniantur.[2]) Parochi autem ipsi, nisi legitime impediti, adducant suos et reducant invigilentque redeuntibus. Omnino vero curent, ne quis confirmandus post sacrae actionis initium accedat neve, si forte, ea ob confirmandorum multitudinem diutius protracta, exire permissus fuerit, in eius fine absit.

[1]) Sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 2. — [2]) Cf. supra part. I. cap. 31.

CAPUT XIII.

De ss. eucharistiae sacramento.

Uberrimorum ss. eucharistiae fructuum fideles aliquando participes redditura Ecclesia statuit, ut quilibet saltem semel singulis annis, scilicet in paschate, eucharistiae sumat sacramentum: „alioquin", verba sunt Concilii Lateranensis IV., „et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura". Simul cum hoc praecepto fidelibus in propria ecclesia parochiali eucharistiam in paschate sumendi obligatio inculcanda est. Itaque tempore quadragesimali parochi gravissimum hoc Ecclesiae de communione paschali, quae simul communionis cum Ecclesia catholica professio est, praeceptum iterum iterumque fidelibus ob oculos ponant, monendo et hortando, ut omnes, qui Ecclesiae catholicae membra viva et esse et haberi volunt, eidem morem gerant. Docebunt etiam, quas censuras Ecclesia in illos, qui eidem non obsequuntur, intenderit, et quid recalcitrantibus sit eventurum, distincte exponent. Quos communionem paschalem negligere norunt, eos etiam atque etiam moneant; monitionibus autem in irritum cadentibus, Episcopo denuncient, ut de iis, quid facto opus fuerit, statuat.

Sed quum de uberrimo gratiarum fonte, ex quo saepius hauriendum, et de pane coelesti, qui frequenter sumendus sit, agatur [1], et Nos cum sancta Synodo Tridentina omnes monemus et obsecramus, ut „haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius (Christi Domini nostri) ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi." [2]

Nonnisi a ieiunis, quoties non tamquam viaticum admini-

---

[1] Cf. supra part. I. cap. 32. — [2] Sess. XIII. de ss. euchar. sacram. cap. 8.

stratur, sanctissimum hoc sacramentum sumi potest, norintque sacerdotes, nonnisi penes summum Pontificem ius esse dispensandi in lege universali et sanctissime servanda.

Quod ad animi praeparationem attinet, „communicare volenti revocandum est in memoriam.. praeceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere debeat, quod a christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare,.. sancta Synodus (Tridentina)[1]) perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur". Illa autem particula „quamprimum" non intelligitur: quum sacerdos „suo tempore" confitebitur.[2])

CAPUT XIV.

De poenitentiae sacramento.

Fidelibus omnibus in memoriam identidem revocandum est praeceptum confessionis annuae, quod Concilium Lateranense IV. hisce promulgavit verbis: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti". Quod ad proprium sacerdotem, cui peccata confitenda sint, attinet, Ecclesiae usum sequentes declaramus, confessionis praecepto satisfacere, qui peccata sua cuilibet sacerdoti approbato confiteatur.[3])

Sed ut remedium hoc tam salutare, quo peccata commissa purgantur et novi lapsus praecaventur[4]), quo, quiquid sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conspicitur, magna ex parte conservatum est[5]), crebrius etiam

[1]) Conc. Trid. l. c. cap. 7. — [2]) Prop. 39. damnat. ab Alexandro VII. d. 18. Mart. 1666. Vid. Append. n. 12. — [3]) Bened. XIV. Instit. eccles. 18. n. 9. — [4]) Cf. supra part. I. cap. 33. — [5]) Catechism. Conc. Trid. part. II. cap. 5. q. 32.

ntantur, fideles hortandi sunt. Itaque toties, qnoties fieri potest, parochi et rectores fidelibus peccata deponeudi occasionem praebeant. Quod nt fiat, mandamus et statnimus, ut omnes, quibus animarum cura commissa est, singulis diebns saltem sabbati et iu vigiliis festorum horis vespertinis aeque ac diebus dominicis et festis mane in sacro tribnnali praesto sint. Effuginm autem, quo socordia quandoque excusatur dicendo, neminem esse, qui horis vespertinis ad confitendum accedat, proinde necesse non esse, ut sacerdos in sacro tribunali assideat, tanquam inane reiicimns, qnnm experientia coustet, fideles, ubi confessarios promptos ac paratos inveniunt, ad confitendum accedere.

Sacerdos ad audiendas confessioues deputatus, qno melius indicis, doctoris et medici partes expleat, assiduo studio theologiae moralis peritiam e probatis anctoribns sibi comparet ac perficiat et ferventi oratione prudentiae donum efflagitet. In ipso antem muuere exerceudo prae se ferat paternam qnandam gravitatem iunctam cnm benignitate. Comem se exhibeat potissimum illis, quibus, ut tam salutare remedium saepius adhibeant, animus addendus est, viris potissimum et iuvenibns. Poenitentem, nbi indigere videbitur, prudentibus et modestis interrogationibus adinvet. Caveat sacerdos, ne imprndenti benignitate crudelis evadat in poenitentes, quod tunc imprimis accideret, si illis, qui in proxima graviter peccandi occasione libere et sua sponte versantur, absolutionem, nondum dimissa illa occasione, facile largiretur, vel si ad odia deponenda, restitutiones faciendas poeuiteutes omni, quo potest, modo uon urgeret. Quum vero aliqui uondum satis dispositi ad sacrum tribunal accesserint, confessarins uolit credere, se muneris sui partes explevisse, si poenitentes hninsmodi sine absolutione dimittat: ipse potius eos disponere satagat, ne videlicet absolntione acerbe uegata cadant animo et a sacramentis abstineant. Et hanc quidem cautelam cnm viris et inveuibus magis sciat esse necessariam. Caveat etiam confessarius, ne cum mulieribus, quae frequentius ad poenitentiae sacramentum accedunt, prolixos trahat sermones. Deniqne omnibus omnia fiat, nt omues Christo lucrifaciat; sine acceptione personarum iudicet, pauperes et rudes aeque beue ac divites et cultiores excipiat, imo gaudeat, si

Christi exemplo pauperibus potissimum religionis solatia exhibere sibi contingat.

Sigillum sacramentale quam stricte servandum sit, satis constat. Nec unquam quidpiam in concionibus proferat sacerdos, quod e confessionibus solum cognovisse videretur et quo notari, qui peccata apud eum deposuissent, credi possent.

Ut fidelibus apud alios sacerdotes, si volunt, confitendi occasio praebeatur, parochi subinde per annum, praesertim vero tempore paschali, alios presbyteros externos ad confessiones audiendas vocare tenentur. Dominico autem die proxime praecedente, affuturum esse sacerdotem externum ad confessiones excipiendas, populo annunciandum est.

Confessiones feminarum semper audiantur in ecclesia, in tribunalibus omnium oculis expositis, nunquam vero in sacristia nec in domibus privatis, nisi confitentis surditas, senectus vel infirmitas id postulent. Quum vero in sacristia feminae ob causam, quam diximus, confitentes audiuntur, id ne aliter atque ianua aperta fiat, strenue prohibemus. Ante vel post solis lucem confessionale semper sit lumine illustratum.

Omnes presbyteri, quum confessiones audiunt, semper, quoties necessitas non eximit, induti sint stola ceterisque vestibus, in Rituali praescriptis; abusum igitur sedendi in tribunali sine stola et vestibus praescriptis, tanquam reverentiae externae, quam sacramenti administratio exigit, repugnantem abolemus.

Confessarii in confessionibus audiendis missarum stipendia nec imponant in poenitentiam, nec ea sponte oblata recipiant, ne turpis lucri suspicionem incurrant et pusillis scandali occasionem praebeant.

CAPUT XV.

De extrema unctione.

Parochi munus est, monere fideles, ut in gravem morbum lapsi extremae unctionis salutare remedium mature expetant.[1]) Quum vero sit vivorum sacramentum, communiter in suscipiente

---

[1]) Cf. supra part. I. cap. 35.

requirit gratiam sanctificantem; hinc, si fieri potest, peccatorum praecedat confessio, aut, si ea iam, qua par est, ratione fieri nequit, saltem absolutio. Fideles omnes, qui graviter decumbunt, modo olim rationis fuerint compotes, ut peccata committere potuerint, capaces sunt huius sacramenti; hinc etiam aetate iuniores, licet primam communionem nondum susceperint. Quod praebendum etiam est illis, qui sensibus destituti sunt, modo antea petierint aut verisimiliter petivissent[1]); denegandum autem illis est, qui in manifesta impoenitentia moriuntur.

Statuimus autem, ut ubique illud aeque ac viaticum publice administretur secundum rubricas. Quod si quis parochus loci rationem obstare putet, ea de re ad Ordinarium perscribat, qui expensis rationibus, quid agendum sit, statuet.

Gravissimum sane est, quod parochis incumbit officium praeparandi moribundum, ut supremo se sistat iudici sententiam irrevocabilem excepturus. Unde non solum prompte, quum primum vocantur, moriturum adeant, sed omni etiam solertia, prudentia, suavitate munere suo, ac si animae immortalis salus aeterna ab eo pendeat, fungantur. Sacramentis iam administratis oviculam, cui lupus extremas fortasse parat insidias, minime, quasi omnia sint in tuto, deserant; sed saepius visitent aegrotum, consolentur, dolorem de peccatis commissis, fiduciam ob immensam Dei misericordiam in eo excitare, fovere et augere studeant. Quum morbus crucians imminensque mors, divina opitulante gratia, sincerae conversionis obstacula non raro removeat, dubitandum non est, quin animarum pastores, si recte officio hoc fungantur, Deo iuvante, oviculas non paucas damnationi aeternae sint erepturi.

CAPUT XVI.

De matrimonio.

Quoniam ardua res est matrimonium, quod vinculum perpetuum gravissimaque officia inducit[2]), recte, ut maturiore deliberatione et animi praeparatione contrahatur, praemittuntur

[1]) Ritual. Rom. de sacram. extr. unct. — [2]) Cf. supra part. I. cap. 37.

sponsalia seu futurarum nuptiarum mutua promissio; et quamvis sponsalia clam inita sint valida, tamen ut in facie Ecclesiae tantum fiant, optandum est. Quae ritu caret solemni, leviter saepe fit promissio et sine parentum aliorumve, quos consulere maxime oporteret, consensu aut consilio, diuturnae consuetudinis et familiaritatis quasi honestum multis exhibet praetextum multorumque peccatorum et seductionis saepe est occasio; et demum ut leviter ineuntur, leviter etiam dissolvuntur sponsalia clandestina.

Quae vero publice et ritu religioso ineuntur sponsalia Ecclesiaeque benedictione muniuntur, tanquam rem augustiorem et religiosam menti exhibent nuptias, quae piam requirant animi praeparationem; parentum consensu et apprecatione, cui tantam inesse vim Scripturae sacrae testantur, Deo fiunt acceptiores sponsisque faustiores; parocho occasionem praebent tum de impedimentis, si quae forte sint, tum de sponsorum in lege christiana institutione inquirendi, tum potissimum salutaribus monitis et praeceptis eos imbuendi. Et sane haec primo semper loco reponenda est cura, ut, qui nuptias intendunt, a nimia illa et familiari consuetudine avocentur, quae tot parere solet peccata, tam funesta scandala, tot in perpetuum infausta reddit matrimonia. Congruum est, ut parochi parentum etiam, qui hac in re nimium, proh dolor! caeci esse solent, excitent et stimulent vigilantiam, quippe quibus de liberorum aeterna salute cura commissa sit.

Quod Tridentina Synodus „hortatur, ut coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam ... non cohabitent", et quod pariter „coniuges hortatur, ut, antequam contrahant vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur et ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pie accedant" [1]), id ut ab omnibus praestetur, parochi sedulo allaborabunt, qui praeterea curabunt, ut praemittantur denunciationes ad formam Tridentini.

Matrimonio ut sua, quae sacramento inest, sanctitas vindicetur, solum in ecclesia contrahatur, nisi ob causas extraordi-

---

[1]) Sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 1.

narias ab Episcopo obtenta fuerit dispensatio. Curandum quoque est, ut nonnisi sub sacro, saltem tempore antemeridiano, contrahatur. Sponsi habitu honesto minimeque lascivo, qui quum semper, tum in ecclesia et in re sacra abesse debet, compareant, omniaque, quae domum Dei ac rem sacram dedecent, procul habeantur. Praecipue vero abusum subinde exortum, quo pro sponsis ditioribus ecclesia singularem in modum exornatur, dum tenuioribus quasi nuda relinquitur, prorsus interdicimus, quum fieri nequeat, quin populus graviter eo offendatur.

CAPUT XVII.

De matrimoniis mixtis.

Omni ope et studio animarum pastores arceant fideles sibi commissos a coniugiis cum acatholicis ineundis, quae ut connubia detestabilia „sancta mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit."[1]) „Ab iis ..... ob plurimum deformitatis nec parum spiritualis periculi, quod prae se ferunt, abhorret Ecclesia iisdemque fere legibus, quibus christianis interdixit, ne connubia inirent cum infidelibus, catholicos pariter a sacrilegis nuptiis cum haereticis contrahendis deterruit".[2]) Itaque ubi occasio tulerit, in mentem revocent fidelibus, graviter illa improbari tum iure naturali, quod suam prolisque fidem et salutem periculis obiicere vetat; tum iure divino, quum lex tam vetus[3]) quam nova[4]) ab huiusmodi societate et consuetudine avocet; tum vero prohiberi districte lege ecclesiastica, quemadmodum non tantum e Concilio Chalcedonensi, sed e summorum Pontificum ad nostra usque tempora repetitis declarationibus intelligimus. Doceant porro gravissimeque moneant, non aliter Ecclesiam hac in lege, quod aegre tantum facit, dispensare, nisi ad graves dispensandi causas cautiones accedant et conditiones, quibus tum parti catholicae religionis exercitium praestetur salvum, tum catholica prolis universae educatio in tuto collocetur, atque ita ratio illa,

---

[1]) Bened. XIV. declar. sup. matrim. in Holland. d. d. 4. Nov. 1741. Vid. Append. n. 17. — [2]) Pii VII. Brev. ad Episc. Gall. d. d. 17. Febr. 1809. Vid. Append. n. 19. — [3]) Deut. 7, 3. — [4]) Tit. 3, 10.

ob quam lege naturali et divina adeo improbantur, quantum fieri potest, tollatur. Sed illud etiam monebunt, graviter peccare catholicos, qui illas conditiones aut sancte ac sincere spondendas non curant et requirunt, aut, ut sancte serventur, non invigilant omnique studio allaborant, aut denique non obtenta Ecclesiae dispensatione nuptias istiusmodi ineunt. Neque irrita cadent monita, si fideles alte in animum demiserint illud de catholicae fidei atque unitatis ad consequendam salutem necessitate dogma gravissimum, quod, qui illas appetunt nuptias, saepe leviter obliviscuntur, aut, ut non eo, quo Ecclesia tradit, ambitu et rigore accipiant, facile inducuntur.[1])

Si iam arceri ab huiusmodi matrimoniis non possint, tum quidem sponsi monendi sunt, pro licentia impetranda adeundum esse Episcopum, qui ex Sedis apostolicae delegatione dispensandi facultatem habet. At vero, si non petita seu non impetrata Ecclesiae dispensatione vel debitis cautionibus seu earum aliqua praetermissa ad nuptias accedere volunt, tum quidem, ut Sedes Romana declaravit, „abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant; sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocunque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur".[2])

Ut facilior parti catholicae ad poenitentiam pateret aditus et graviora mala praecluderentur, Pius VIII. summus Pontifex voluit et mandavit, ut matrimonia mixta, quae posthac in huius provinciae dioecesibus contraherentur „non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur".[3])

Quoad illos porro, qui necessariis cautionibus non interpositis nec impetrata Ecclesiae licentia nuptias inierunt, summus

---

[1]) Cf. Gregor. XVI. Breve ad Episc. Bavariae d. d. 27. Maii 1832. Vid. Append. n. 22. — [2]) Pii VIII. Breve ad Episc. Rhenan. d. d. 25. Mart. 1830. Vid. Append. n. 21. — [3]) Ibid.

Pontifex singularem pastorum excitat sollicitudinem, dum ita prosequitur: „Insuper pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere in caritate Dei et patientia Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam".[1]) Unde intelligitur, catholicos huiusmodi tum solum, si et de culpa dolent, et se ad illa, quae Ecclesia, dum mixta matrimonia permittit, nunquam non exigit, praestanda vere paratos exhibent, absolutionis esse capaces.

CAPUT XVIII.

De sacramentalibus.

Ut Christus ipse signis quibusdam sensibilibus gratias, quas ex opere operato efficiant, annexuit, ita etiam inde a primis saeculis Ecclesia, quippe quae sciat omnem creaturam sanctificari per verbum Dei et orationem[2]), alias etiam adhibuit sacras actiones rebusque sensibilibus benedixit, simul Deum rogans, ut, qui pie iisdem utantur, varia consequantur beneficia, imprimis gratiam copiosam, qua ad pietatem in Deum detestationemque peccatorum moveantur.[3]) Recte igitur actiones resque huiusmodi, ut aqua lustralis aliaeque, quum sacramentorum aliquam exhibeant similitudinem, sacramentalia vocantur.

Variae eaeque non exiguae rationes Christi fidelibus pium sacramentalium usum magnopere commendant. Si enim singulorum iam preces, quidquid recte petant, impetraturas esse docemur, numquid, quod Ecclesia Christi sponsa petit, non obtinebitur? Praesertim quum Ecclesia id potissimum a Christo petat, quod ut filiis suis obtineat, allaborare iussa est, aeternam animae salutem, et eo petat modo, quem a Christo edocta est. Sed praeterea pio sacramentalium usu aperte declarant fideles,

[1]) Pii VIII. Breve ad Episc. Rhenan. d. d. 25. Mart. 1830. Vid. Append. n. 21. — [2]) I. Tim. 4, 4. 5. — [3]) S. Thom. 3. p. q. 87. a. 3.

Dei dona quanti faciant, quantaque Ecclesiae matri, cuius se precibus illa obtenturos sperant, pietate adhaereant. Exigua quandoque sunt, quae maxima praestant emolumenta, si tamen exiguum dici potest, quod christianorum semper magni fecit pietas, quod apostolica exercuit antiquitas, quod Ecclesiae commendat auctoritas.

CAPUT XIX.

De cultu divino sacrisque caeremoniis.

Quam gravi homo Deum colendi obligatione teneatur, id sacrae Litterae innumeris locis maximaque vi inculcant. Et sane non poterat non satis commendari, ut homo supremam Dei maiestatem agnosceret eique devota animi submissione honorem exhiberet, quum iustiores illis, quibus ad id praestandum obligamur, tituli cogitari nequeant. Dei enim suprema effulget maiestas, cui homo et anima et corpore, utpote Dei donis, obstringitur. Porro qui totus, anima et corpore, beatitudinis reddendus est particeps, ut etiam totus, anima et corpore, eam mereatur par est. Nec potest esse verus et sincerus cultus ille, qui pectoris ambitu contineatur nec unquam erumpat foras. Nec potest diu in mente foveri illud, quod externis actionibus non incenditur et inflammatur. Sed ad cultum internum simul et externum publicus etiam accedat oportet, quum homo etiam tanquam in societate eaque religiosa constitutus Deo debeat honorem, aliis exemplum.

Cultus hic communis et publicus, quem Ecclesia catholica, divinitus edocta, inde a suis exordiis tantopere promovit fovitque, et quem christiani primis Ecclesiae saeculis, ne mortis quidem deterriti periculo, Deo exhibere satagebant, eo magis pastoribus cordi esse debet, quo latius religionis incuria eum vilipendere et imminuere contendit. Ea vivimus tempora, quibus non pauci, perversis imbuti sententiis, religionem sanctam, cui in solo pectore partes tribuunt, amovere student e vita publica et sociali, ut atheam eam faciant et huius tantum aevi finibus circumscriptam. Inculcanda igitur identidem est cultus divini necessitas, dies dominicos festosque sanctificandi obligatio. In-

culcandum imprimis omnique modo urgendum est divinum ab operibus servilibus abstinendi mandatum. Iterum iterumque monendi sunt fideles, quam grave sit praeceptum, quo Ecclesia omnes, ut sacrosancto missae sacrificio diebus dominicis ac festis assistant, obligat. Urgendi porro sunt, ut, quae diei dominicae aut festorum sanctitati repugnant, procul a se amandent, secus non benedictionem, sed maledictionem in se attracturi.[1]) Et vero festorum sancta observatio inter ea praecipua est, quibus, quo loco tum apud singulos tum apud populos integros religio sit, certissime dignosci possit.

Augustissimus sane est cultus, quem Ecclesia catholica Deo exhibet, non solum si finem, Deum unum et trinum, sed etiam si illud spectas, quo Deus colitur, incruentam Christi corporis et sanguinis oblationem. Fieri etiam non poterat, quin Ecclesia caeremoniarum splendore et maiestate tum summae suae reverentiae sensus panderet, tum immensum, quem possidet, thesaurum quasi cingeret atque ornaret. Magnopere pietas in populo promovebitur, si caeremoniae et ritus eximia reverentia a sacerdotibus obeuntur simulque eae, quae fidelibus in iisdem obveniunt partes, rite et devote peraguntur; quare eorundem significatio tam sancta et praestans populo saepe exponatur. Non levia sunt nec vilipendenda, quae ex apostolica traditione descendunt, cultus divini et imprimis sacrificii maiestatem commendant, fidelium mentes ad superna contemplanda erigunt, fidem ac pietatem nutriunt, unitatem catholicam ob oculos ponunt, arctiore omnes vinculo cum Ecclesia coniungunt, denique publicam fidei professionem exhibent.

CAPUT XX.

De cantu ecclesiastico.

Quum, quaecunque ad pietatis sensus excitandos utilia esse possunt, merito adhibeantur ab Ecclesia, musices, in qua magna ad animos commovendos vis est, studium non solum permittit, sed magnopere etiam promovendum censet. Sed quum hac in

[1]) Numer. 15, 35.

re sancta et profana se quodammodo tangant et facile misceantur, caute agendum esse arbitrati sunt ecclesiarum Antistites et identidem, quae profana videbantur, arcenda declararunt. Synodus quidem Tridentina Ordinariis praecipit, ut ab ecclesiis musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, arceant.[1]) Unde Benedictus Papa XIV.: „Hoc etiam", inquit, „procul dubio ad Episcopi officium pertinet, ut synodalibus decretis ecclesiasticae musicae rationem, quatenus in dioecesi sua opus esse cognoverit, ad certas regulas exigat atque componat, ut corda fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicuti fit in theatris, inani voluptate demulceat".[2]) Sanctorum igitur Praesulum vestigiis inhaerentes Ecclesiaeque obsequentes mandatis, capitula cathedralia et collegiata atque omnes parochos ceterosque rectores hortamur in Domino, ut bene advertere velint, quale quantumque discrimen intercedat inter musicam sacram ac christianam, quae animi sensus pios pandit piosque in aliorum animis sensus movet, et inter musicam profanam, quae profanos animi motus spirat et excitat; deinde ut perpendant, quid Dei domum deceat, quid dedeceat. Et sane nihil magis dedecet maiestatem templi Dei, nihilque divini officii sanctitati magis contrarium est, quam strepitus instrumentorum confusus et vocum magis conclamantium quam concinentium impetus et tumultus, quem subinde in ecclesiis audimus. Scandalum autem oritur, si theatrorum modi, qui opera vocantur, vel musicarum concertationum symphoniae cum omni suo strepitu suaque mollitie in templum Dei vivi transferuntur. Quare eiusmodi modos, animi distractionem profanosque sensus potius quam aedificationem pietatemque parientes, omnino ab ecclesiis excludendos volumus.

Post multiplices in musicam sacram inductas depravationes illum antiquissimum cantum, qui Gregoriani nomine venit, vere ecclesiasticum esse et omnis cantus ecclesiastici fontem nullo alio supplendum, nemo facile diffitebitur. Nam cantum Gregorianum sanctius quid et sublimius spirare, quam omnes illos

---

[1]) Sess. XXII. decr. de observ. et evit. in celebrat. missae. — [2]) De syn. dioec. lib. XI. cap. 7. n. 1.

modos, qui labentibus saeculis in usum venerunt et musicae profanae inservire solent, rerum periti non negant. Statuimus ergo et mandamus, ut cantus ille Gregorianus suo restituatur iuri ac magis magisque colatur, et ut, qui in componendis novis melodiis occupantur, non tam chromaticis modulationibus, quam scalis sive tonis Gregorianis utentes et modis diatonicis, molle et lascivum quodcunque excludant. Quum autem res ista minime in superficie posita sit et, nisi quis profundius ecclesiasticae et religiosae disciplinae leges perscrutatus mysteriisque, ut recte dicamus, regni coelorum initiatus sit, in musica sacra vere proficere vel illam promovere et docere non possit: hinc ordinamus et mandamus, ut in ecclesiis cathedralibus et collegiatis atque etiam in aliis, quantum fieri potest, scholae cantorum et organoedorum (pro organo enim eadem valet ratio) instituantur, quibus viri in scientiis et disciplinis ecclesiasticis optime versati et vere pii tanquam magistri praeficiantur. Quo fiet, ut quae, proh dolor! interrupta iam est ex longiore tempore sacri cantus traditio, denuo reviviscat et per omnes dioecesium ecclesias successu temporis vera et sancta eiusdem principia rectaque exequendi methodus propagentur.

Quamvis ex rationibus gravibus tanquam regulam statuamus, ut per maiorem anni partem cantus Gregorianus locum habeat, minime tamen cantum harmonicum penitus arcere volumus, immo ad distinguenda festa maiora commendamus, dummodo, qui eligitur, ne recedat a natura et charactere cantus vere ecclesiastici. Redeant igitur chori rectores ad opera illa, quae ab auctoribus, quorum primus est Ioannnes Aloysius Praenestinus, et illi vix secundus Orlandus Lassus, sublimi et devoto exarata sunt stylo. Abstineant a tot missis, quae dicuntur musicales, aliisque operibus musicis novissimorum temporum ad aures titillandas magis quam ad excitandos pios affectus aptis; singillatim vero nimia illa eorundum verborum repetitio et arbitraria collocatio vituperanda est. Omnino denique arcendus est ille mollis cantandi modus, quo pars cantorum murmurando solum cantum comitatur.

Similia dicenda sunt de instrumentis musicis ad cantum adhibendis. Per longam saeculorum seriem aliis in musica

instrumentis Ecclesia vix est nsa, praeterquam organo. Quodsi praeter organum alia instrumenta mnsica cantui admisceri ex Ecclesiae indultn libet, ea tamen certe instrumenta reiicienda sunt, qnae nimis aspera, ut tympana et cymbala, vel nimis mollia, ut varii generis tibiae et fistulae.[1]) In aliorum autem nsu vitetur militaris qnidam clangor nimiusqne strepitus, qui efficit, nt cantantium verba intelligi non possint. Instrumentorum enim nsus e mente Benedicti XIV. finis praecipuus est, ut cantantium vocem corroborent et sustineant, minime vero opprimant et scpeliant.[2])

Sed etiam in vocnm usu considerandnm est, quid ferant vel exigant Ecclesiae consnetndo, cnltns divini leges, cantus ecclesiastici dignitas et fidelium aedificatio. Notum satis est, usque ad recentiora tempora plane inusitatum fuisse, nt cantantium choro mulieres adlegerentur. Quum enim chorus, qui sacerdoti operanti respondet, liturgicae actionis partem constituat, mulieribus, qnae ab altaris servitio excluduntur, locns in choro esse non potest. Ecclesiae consuetndini ipse pins fidelium sensus snffragatur, qni, quidcunqne molle aliqnid redolet in cantu ecclesiastico, cum loci sanctitate et divini cultus maiestate non congruere scntinnt. Unde volumns et mandamus, ut in posterum a choro ecclesiastico mulierum voces omnino exclndantur.[3]) Ne tamen cantus harmonicus, qncm minime removeri, sed iustis tantum limitibus restringi volumus, vocibns necessariis, qnas sopranas dicunt, careat, pueri crndiantur et institnantur symphoniaci, quemadmodum supra iam de capitulis cathedralibus et collegiatis et parochis statuentes diximns.

Qunm muneris sit Episcoporum, nt, qua possunt sollicitudine, aedificationem fidelium promoveant, prohibeant vero, qnae illi sunt contraria, quumque non levia animabus inferantur damna, audiendo in loco sacro melodias mundano confectas spiritu: Ordinarii dioecesium curabunt, non solum ne deiuceps novae missarum compositiones, sive unisonae, sive harmonicae, execntioni dentur, priusquam ad eas cantandas expressa Ordinarii licentia

[1]) Conc. prov. Mediolan. I. tit. de music. et cantor. — [2]) Constit. *Annus, qui hunc vertentem* d. d. 19. Febr. 1749. §. 11. et 12. — [3]) Synod. Ferman. celebrata ab Emo. Cardin. Paracciano a. 1773.

obtenta fuerit, verum etiam, ut missarum compositiones, quae hucusque usu veniebant — Gregorianis exceptis — examini accuratiori virorum rei peritorum et ab Ordinariis delegendorum subiiciantur, quo facto Episcopi decernent, quaenam dignae sint, quae adhibeantur in celebrandis sacris mysteriis, et quae indignae ab illis absolute arceantur.

Similiter et aliae cantiones, quae recedunt a cantu Gregoriano, examini submittantur omnesque cantilenae, quae ad officium, quod agitur, non spectant, omnino removeantur.[1]) In his lingua vernacula plerumque exaratis maxima etiam attentio adhibenda est verbis ac sententiis, ne quid in iis reperiatur, quod fidei, pietati vel rationi cantionis sacrae adversetur.

Ex gravibus, ut iam supra indicavimus, rationibus per maiorem anni ecclesiastici partem cantus Gregorianus ad missarum solemnia adhibeatur. Si quae sunt ecclesiae, quibus maior numerus cantorum praesto est, ut missas harmonicas ad regulas artis christianae compositas exsecutioni dare possint, elenchum dierum festorum, quibus id fieri optatur, Ordinario proponant, ut ab ipso limites definiantur, qui quoad usum cantus firmi et harmonici observandi sunt, ne, quod lex esse debet, in exceptionem abeat, neve contra, quod exceptionis locum solummodo tenere licet, lex ipsa et consuetudo fiat. Id vero hic iam in memoriam revocare iuvat, adventus et quadragesimae tempore, summorum Ecclesiae mysteriorum contemplationi sacrato, quae sine animi compunctione esse nequit, missarum musicalium et instrumentorum usum ex praescripto caerimonialis Episcoporum[2]) locum habere non posse, quod etiam intelligendum est de omnibus missis pro defunctis. Permittuntur tamen in eodem caerimoniali missae harmonicae cum organo, exclusis vero instrumentis, in dominica tertia adventus, quae dicitur Gaudete in Domino, et in quarta quadragesimae, quae dicitur Laetare Ierusalem, sed in missa solemni tantum; item in festis et feriis infra adventum et quadragesimam occurrentibus, quae cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur, ut hic loci festum immaculatae Conceptionis et Annuntiationis B. V. M., et quando-

[1]) Caeremon. Episcop. lib. I. cap. 28. — [2]) Lib. I. cap. 28.

cunque celebrandnm est solemniter et enm laetitia pro re aliqua gravi, obtenta prins Ordinariornm licentia.[1])

Quoad usnm organi plane eadem sunt eiusdem caerimonialis praecepta, qnibus ut strictissime inhaereatur, hisce inculcamns. Quodsi pro illis pietatis exercitiis, qnae dicnntur populi, quaeque praeter divina officia ab Ecclesia praescripta ad fidelium aedificationem instituuntur sive ab omni populo sive a sodalitatibus quibusdam, ob causas aliquas exceptio desideraretur, parochi Ordinarium dioeceseos adeant, a quo, rationibus propositis, licentiam petant. Praeterea id quoque cum Benedicto XIV.[2]) monemns, organum alternando cum versibus decantandis in vesperis et completoriis adhiberi quidem posse, sed interludia saepe frivola atqne nimis longa interdicimus. Qui vero non cantantur versus, ab uno vel altero cantore alta voce recitentur.[3]) Demum monentur capitula cathedralia et collegiata, parochi et rectores, sunm esse curare, ut cantores in ecclesia cum illa modestia et pietate, quae divinnm cnltum decent, se gerant. Prohibendae sunt confabulationes, indecens altari dorsum obvertendi mos, strepitus denique omnis, qui fidelium pietati possit officere. Praecipuam curam in id impendant ecclesiarum rectores, nt ii tantum in chorum admittantur cantorum, qui, quod ore cantant, corde crednnt, operibus comprobant. Verba attendenda sunt synodi Aquisgranensis[4]), qnae tales eligi in ecclesia mandat cantores ac musicos, qui non superbe, sed humiliter et sapienter debitas Domino laudes persolvant, et suavitate lectionis ac melodiae et doctos demulceant et minus doctos erudiant, potiusque exoptent in lectione vel cantu populi aedificationem, quam popularem vanissimam adulationem.

CAPUT XXI.

De verbi divini praedicatione.

Gravissimum sane et plane eximium sacri oratoris est munus. Originem enim si attendis, Prophetarum, Apostolorum

[1]) Concil. Roman. a. 1725. tit. XV. cap. 6. — Circulare Emin. Cardinalis-Vicarii Patrizzi d. d. 18. Nov. 1856. — [2]) Constit. laud. §. 13. — [3]) Caeremon. Episcop. lib. I cap. 28. — [4]) An. 816. lib. I. cap. 137.

ipsiusque Christi premit vestigia; si finem, Dei omnipotentis gloriam et animarum provehit salutem; si res, quas enuntiat, divina pandit mysteria; si illos, ad quos loquitur, animae immortales et Christi sanguine redemtae vocem eius auscultantur; si adversarios, contra quos nitendum est, portae inferi validissimas obiiciunt acies; si auxilia, quibus iuvatur, Ecclesia opem divinam implorat, Spiritus sancti gratia, Christus ipse ei praesto est; si denique laborum praemium, „fulgebunt ... qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates".[1])

Munus gravissimum diligentissimam requirit praeparationem. Assidue tela paranda, cui cum hoste validissimo assidue committenda est pugna. Sacram Scripturam, praestantissimos eius interpretes, sanctorum Patrum, qui doctrinam coelestem tam alte imbiberunt, tanta ubertate tantaque vi effundunt, praestantiorum etiam, quibus Ecclesia abundat, ascetarum libros multum et assidue orator legat necesse est, ut copiose et graviter ad populum verba facere possit. Lectioni vero adiungenda est meditatio, qua, quae intellectu percepimus et memoria tenemus, alte in animum descendant eumque commoveant et incendant, quum pectus sit, quod facit disertos, nec facile alios inflammet, qui friget ipse. Quamvis, quae oratores recentes apte dixerunt, in sua convertere non dedeceat, multum tamen orator a legendis et usurpandis illis sibi cavendum existimet, qui, ut ex Ecclesiae catholicae deposito dicendi argumentum non hauserunt, Ecclesiae spiritu non fuerunt afflati. Altiora, quam humana tantum quaedam morum praecepta et naturales ac vagi erga Deum animi sensus, catholicam decent cathedram.

Ut gratia non respuit naturam, quam potius elevat et perficit, ita etiam verbum divinum non recusat artem. „Quisquis ...", S. Augustini sunt verba, „dicit, non esse hominibus praecipiendum, quid vel quemadmodum doceant, si doctores sanctus efficit Spiritus, potest dicere, nec orandum nobis esse, quia Dominus ait: Scit Pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo".[2]) Unde censet S. Doctor, omnem, qua orator uti debeat, artem eo spectare, „ut doceat, ut

---

[1]) Dan. 12, 3. — [2]) De doctr. christ. lib. IV. cap. 16.

delectet, nt flectat", qno fiat, ut „intelligeuter, libenter obedienterque audiatur".[1] Sed labori et arti iungeuda est pia ad Deum oratio, qnod idem S. Doctor monet, dum ait: „Agit itaque uoster iste eloquens, quum et iusta et sancta et bona dicit, neque enim alia debet dicere; — agit ergo qnantum potest, quum ista dicit, ut intelligenter, ut libeuter, ut obedieuter andiatur; et haec se posse, si potuerit et iu quantum potuerit, pietate magis oratiouum, qnam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro se ac pro illis, quos est allocuturus, sit orator ante quam dictor. Ipsa hora iam ut dicat accedeus, priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat".[2])

Nonnisi bene praeparatus rebusqne, quas dicturus est, ad docendum et flectendum apte dispositis orator suggestum ascendat. Plerumque is solum, qui per complures annos, qnae dicturus est, diligenter stilo exarare consueverat, deinceps stili subsidio minns indigebit; eiusdem vero emolumeuta expertus nou facile iu posterum etiam adduci poterit, ut oratiouem scribendo saltem uon adumbret.

Non solum morum praecepta, sed dogmatum etiam capita, et certo quidem, quantum fieri potest, ordiue et serie pro concione populo exponenda sunt, tum ut morum praecepta firmiore nitantur fundamento, tum ut pleniore omnes fidei doctrina imbuautur et ab errorum praeserventur coutagione. Ubi vero de erroribus agitur refutandis, cautus sit orator, ne in illis, qui argumentorum vim minus perspiciuut, moveantur dubia. Plernmque praestat, tacitis erroribus, nisi sint vulgatissimi, ita exponere Ecclesiae doctrinam, ut fideles ad refellendos errores, si forte de illis audierint, ipsi sint muniti et instructi.

Nec omittat praedicator tempore praesertim hodierno, quo tot falsae libertatis et licentiae doctrinae subversivae circumferuntur, obedientiam superioribns tam ecclesiasticis, quam saecnlaribus debitam fidelibus saepius inculcare, in memoriam revocando et exemplum et verbum Domini: „Reddite.. qnae sunt

---

[1]) De doctr. christ. lib. IV. cap. 17. — [2]) Ibid. cap. 15.

Caesaris, Caesari"[1]), nec non illud Apostoli: „Omnis anima potestatibns snblimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo."[2])

Nihil in dicendo prae se ferat immoderatum, nullnm de cansis propriis expostulandi, acceptas iniurias ulciscendi, laedendi vel exacerbandi studium. Atqne ut a causis profanis, disceptationibns cnm parochianis, rixis iniuriisque omnibus prorsus abstineatur, id poenis etiam canonicis propositis omnino et stricte praecipimus. Prudentiam iungens cum dicendi ardore, ubi de paucorum moribns agitur, diligenter perpendat, an non privata monitio praestet publicae reprehensioni. Qnamvis dicendi genns pro argumenti, pro temporum et locorum diversitate, pro dicentis et audientinm natura et indole varium esse et possit et debeat, nihil tamen habeat, quod ab apostolica simplicitate ac gravitate sit alienum. Multum sibi caveat concionator, ne hominum landes vel applausnm venari videatur; potiora sunt, quae prae oculis habere debeat bona, aeterna animarum salus et summi Dei gloria. Deniqne quoniam verba movent, exempla trahunt, sane si in quovis alio sacerdote, tum vero in concionatore summa requiritur vitae honcstas et integritas, ut scilicet vitae exemplum verbis non demat, sed addat pondus.

CAPUT XXII.

De ieiunii et abstinentiae praecepto.

Non exigua vitae christianae accedent incrementa, si parochi, concionatores et confessarii ecclesiasticum ieiunii et abstinentiae praeceptum crebris hortationibus urgent eiusque praestantiam fidelinm oculis proponunt.[3]) Non potest non placere Deo et salutare esse hominibns illud, qnod Scripturae sacrae toties commendant, quod nullo non tempore Sancti frequentarunt, quod Christus ipse exemplo suo sanxit. Ecclesia, qnae Christi his in terris vitam continuat, quomodo magistrum suum imitan-

[1]) Luc. 20, 25. — [2]) Rom. 13, 1. — [3]) Cf. Conc. Trid. Sess. XXV. decr. de delect. cib., ieiun. et dieb. fest.

dum non existimet, praesertim quum ipse dixerit: „Venient... dies, quum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt.“ [1]) Quum porro Ecclesia sancta sit suosque ad sanctitatem provehere quam ardentissime cupiat; quomodo efficacissimum sanctitatis subsidium non continuo commendet, imo et praecipiat? Novit enim, ieiunio hominis corpus Dei effici victimam, cupiditatibus imponi frenum, hominem, dum ieiunio infirmitatis suae sibi fit conscius, humiliari, pro peccatis commissis satisfacere, futura facilius praecavere, eumque, terrenis desideriis compressis, rebus coelestibus contemplandis et desiderandis fieri aptiorem, denique magnos meritorum sibi comparare thesauros. Unde merito Ecclesia gratias agit Deo, qui corporali ieiunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia.[2]) Sed illud etiam, nostro potissimum tempore, in memoriam frequenter revocandum est fidelibus, illam, quam sanctae matri Ecclesiae debent obedientiam, omnino exigere, ut eius de ieiunio et abstinentia praeceptum sancte observent, et quidem animo tanto promptiore, quo faciliorem suis filiis pia mater, abstinentiae praeceptum temperando, obedientiam hanc reddidit. Unde commonendi etiam sunt, ut, quum ob causas aliquas magis etiam sibi indulgendum aliqui existiment, saltem dispensationem et ieiunii in aliud pium opus, veluti precationes et eleemosynas, commutationem ab illis petant, quibus dispensandi et commutandi facultas competit; opera autem iniuncta diligenter persolvant. Omnes demum hortandi sunt, ut illam catholici nominis palam profitendi occasionem, quae cum huius praecepti observatione coniuncta saepe est, avide arripiant, memores illius sententiae: „Omnis .. qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.“ [3]) Quum experientia doceat, complures inveniri fideles, qui, a praecepto abstinentiae dispensati, simul a ieiunio sese dispensatos existiment, itemque alios, qui ab esu carnis tantum abstinendo se ieiunii praecepto satisfacere putent, parochorum est, in exponendo hoc praecepto sedulo semper discrimen ieiunium inter et abstinentiam inculcare.

---

[1]) Matth. 9, 15. — [2]) Praef. quadrag. — [3]) Matth. 10, 32.

CAPUT XXIII.

De scholis elementaribus.

Ecclesia, quae a Christo Domino iussa est evangelium praedicare omni creaturae, divina praecepta et morum disciplinam tradere, omnes denique in viam salutis dirigere, non potest non maxime sibi cordi habere tenerae iuventutis tam in fidei, quam in litterarum rudimentis institutionem christianamque educationem. Irrita enim esset praesertim in tenera aetate religiosa institutio, si, quod haec aedificat, disciplinae profanae destruerent. Neque sufficit, ut religiosae institutioni nihil adversetur; iuvanda etiam et fulcienda haec est disciplinis profanis, quae arctissime cum illa nectendae et christiano spiritu imbuendae sunt, ut fides totam mentem penetret ac pervadat. Qui enim profanas docentur litteras, etiam ad christianam religionem educandi sunt, ipsaeque disciplinae educationis adminiculum praebere debent. Accedit et illud, si quam aliam aetatem, certe puerilem exemplis potius quam verbis impelli et trahi consuesse. Parum proin religiosa proficeret institutio, si illi, quibus profanae disciplinae commissae sunt, aut, quod absit, religionem parvi penderent, aut non eo, quo par est, loco eam se habere moribus profiterentur. Haec qui perpenderit, facile intelliget, merito Ecclesiam scholae matrem censeri, non solum quia scholis christianis ortum dedit, sed ideo etiam, quia Ecclesiae est, continuo eas fovere et fidei spiritu imbuere ac nutrire; proindeque gravissima incumbere parochis, qui Ecclesiae vices gerunt, in scholas elementares officia.

Imprimis igitur parochi moneant parentes, ut liberos sedulo ad scholas publicas mittant, ne rudes adolescant careantque religiosa institutione, quae illis ut impertiatur, inter primas parentum curas esse debet. Neque enim vitae naturalis tantum et temporalis, sed supernaturalis etiam et aeternae parentes Deus eosdem esse voluit. Curent parochi, ut intelligant ludimagistri, se Ecclesiae in pueris instituendis et educandis esse auxiliares, proindeque munus sibi commissum non modo nobilissimum esse, sed etiam gravissimum, quum ab eorum industria ac labore tum posterorum prosperitas, tum Ecclesiae reique pu-

blicae salus quodammodo pendeant; suum igitur esse stimulare puerorum sollertiam in doctrina religiosa ediscenda eoque, quem parochi ipsis indicaverint, modo in ea tradenda opem praestare; suum esse, a rebus noxiis et periculosis arcere discipulos, eos moderari, docere modestiam tum domi tum in schola summamque in ecclesia erga Deum reverentiam.

Instantissime admonentur parochi et rectores, ut scholis sibi subditis sedulo invigilent, easdem, si fieri potest, quotidie vel saltem bis singulis hebdomadibus adeant; idque eadem praescribimus lege et obligatione, qua Concilium Tridentinum praedicationem verbi divini singulis diebus dominicis praescribit. Nec parochi et rectores sibi suoque officio se satisfecisse credant, quum scholas adeuntes ad fidei rudimenta explicanda sese restringunt; quin potius omnibus disciplinis per ludimagistrum tradendis invigilent dispiciantque, qua methodo utatur, quibus singula horis sint assignata, quos mores prae se ferant discipuli; excitent, doceant, adiuvent ipsos ludimagistros. Hanc scholarum curam officii pastoralis partem propriam, sine qua illius integritas salva non sit, esse declaramus et eadem obligatione et disciplina, qua praedicationem, ab Ordinario canonice sustinendam et urgendam.

Parochi pueros ad primam confessionem, praecipue vero ad primam communionem diligentissime praeparent. Ne autem haec prima confessio ultra nonum annum differatur, stricte prohibemus. Ac deinceps, quamdiu scholas frequentant, singulis trimestribus ad confessionem faciendam adducendi sunt. Abusum, quo subinde communio pueris, licet aetatem maturam attigerint, ob exiguum eorum numerum in alterum annum differtur, maxime improbamus et strenue prohibemus. Uno alterove die, ab Ordinario pro qualibet dioecesi designando, prima communio locum habeat, quem diem nulli parocho in posterum sine Episcopi dispensatione excedere liceat.

Tempus primae communionis confundendum non est cum tempore, quo pueri e schola dimittuntur; ubi enim de ss. eucharistia sumenda agitur, ingenii, indolis, profectus morumque ratio habenda est. Attendendus tamen est, qui pro ss. eucharistia primum sumenda assignatus fuerit ab Ordinario aetatis terminus

infimus et supremus; quare parochi illos, qui extremo hoc termino minus maturi videbuntur, speciali et privata cura disponere studebunt.

Consuetudo salutaris in multis locis observata, qua per duos vel tres post primam communionem annos singulis, si fieri potest, vel alternis mensibus ad sacram synaxin recipiendam omnes congregantur, ubi viget, retinenda, ubi desideratur, introducenda est.

Quam maxime congruere et utile esse censemus, ut omnes, quum e schola dimissi sunt, ad certum aetatis annum diebus dominicis doctrinam christianam audiant. Unde parochi qualibet die dominica pueros et puellas signo dato hora competenti in suis cogant ecclesiis atque tum parentes, ut liberos mittant, tum hos, ut sponte accedant, urgebunt.[1])

Nec minori demum cura et diligentia parochi illos, qui sanctum confirmationis sacramentum recepturi sunt, instituant et praeparent.[2])

CAPUT XXIV.

De scholis superioribus.

Quicunque historiam ecclesiasticam aut profanam vel obiter tetigerit, ignorare non potest, quanta cura et sollicitudine scholas illas, quae sensim e cathedralium et monasteriorum scholis in eas, quae hodie gymnasiorum nomine veniunt, aut in alia instituta, quas scholas reales vocant, immutatae sunt, Ecclesia, postquam ortum eis dedit, fovere ac promovere semper perrexerit et quam larga manu eas dotaverit.

Ecclesia enim intellexit, se maternam sollicitudinem huiusmodi scholarum alumnis non ideo solum debere, quod aetate infirma adhuc et lubrica in studiis litterarum multis periculis sint obnoxii, sed ideo etiam, quia iidem in Ecclesia vel in civitate aliis aliquando regendis sint destinandi, aut saltem in aliorum vitam et mores haud exiguam vim et auctoritatem sint

---

[1]) Synod. dioeces. Tusculan. celebrata ab Emo Cardin. Cagiano a. 1858. — [2]) Cf. supra part. II. cap. 12.

babituri; atque ita, quod illis impendatur, fidelium mnltitudini impendi censet. Unde ut simul cum litteris fidei doctrina imbuantur, ut pictate in Deum ac morum puritate praestent, ut, quidquid vel fidei adversetur, vel pietatem extinguat, vel mores pessumdet, ab iisdem arceatur, Ecclesia etiamnunc exigere et pro viribus curare debet. Hinc etiam illius, cui bae partes potissimum nunc demandatae sunt, seu rcligionis praeceptoris officinm gravissimum csse colligitur.

Quum fidei doctrinam tradendi munus a Christo Ecclesiae soli commissum sit, de Ecclesiae bic partibus agi non est dubium; idque eo magis etiam elucescit, quia religionis praeceptorcs munus quasi parochi alumnorum exercent, quum eorum sit officinm divinnm pro iisdem persolvere, sacramenta iisdem administrare, hinc animarum cnram gerere. Hoc autem mnnus, utpote iurisdictionis potestatem delegatam, a solo Ordinario, a quo iurisdictio emanat, conferri posse perspicuum est. Quibus perpensis Ordinarii sibi ius ac facultatem praeservant collationis canonicae proprio decreto exprimendae, quo religionis praeceptores in officium immittantur; nullusque deinceps etiam aliunde designatus huius officii partes sine nostra collatione et fidei professione coram Nobis emittenda implcre audeat.

Praeceptores hac ratione nominati memores semper sint, se ab Ecclesia mitti ad munns exercendum gravissimum. Sedulo et sapienter adolescentes in religione instituant, neqne solum doctrina illuminent intellectum, sed etiam pietate inflamment affectum. Omnibus enim et mentis et animi viribus Deo praestare debemus obsequium, et verendum est, ne fidei lnmen extingnatur, qnod pietatis oleo non nutritur; nec facile in lubrica illa aetate morum servabitur integritas, nisi pietatis fulciatur adminiculo. Itaque dum instituunt, simul etiam educent. Discipulorum vitae et moribus sedulo invigilent, arceant eosdem a legendis libris perversis et pcriculosis, excitent ad sacramentorum frequentem pinmque usnm, moneant denique, ut fide viva Deum ubique praesentem timeant: nam „initium sapientiae timor Domini“.[1]) Ipsi adolescentibus praeluceant sana doctrina, puris

[1]) Eccli. 1, 16.

moribus, pietate. Officium divinum, cui alumni assistunt, omni pietate et aedificatione persolvant.

Ubi praeceptores tamquam quasiparochi vel rectores peculiares constituti sunt, ipsis communiter, nisi ob causas speciales Ordinario aliter visum fuerit, alumnos ad primam communionem praeparaudi eosque ad sacram mensam admittendi ius conceditur.

Ad doctrinam religiosam tradendam aliis libris manualibus uti uon licet, uisi qui ab Ordinario praescripti vel disertis verbis ad id approbati fueriut.

CAPUT XXV.

De seminariis puerorum.

Ecclesia, quanta sit sacerdotii dignitas, intime perspectum habens, summopere desiderat, ut, qui ad tantum muuus aspirant, omuia sua studia omnemque vitae rationem mature secundum tantae dignitatis ratioues disponant; et plerumque nou melius id fieri ceuset, quam si sub ecclesiasticorum praepositorum cura constituti vita commuui utantur et Samuelis exemplo iu sauctuario educeutur. Sperat cuim fore, ut multi, ad tam sanctum muuus a Deo vocati, certius persevereut, utpote a mundi illecebris, quibus saucta desideria tam facile in teuera aetate exstinguuntur, remoti; simulque confidit fore, ut morum puritas, quae divinae gratiae sacerdoti in omni reliqua vita tautopere uecessariae faciliorem praebet accessum, certius custodiatur, quum quaedam virtutes fuga tutius, quam in acie couserveutur. Praeterea quum pro unoquovis vitae geuere specialis et cougrua requiratur praeparatio, in sacerdotii seminariis facilius, quam foris, pietatem, quae praeter litterarum studia ad sacerdotium muuire debet viam, coli posse existimat. Ipsa etiam obedientia, cui a teueris auuis assuescunt, suaviorem sacerdotii alumnis reddet obedientiam illam, quam, quicunque sacrae militiae se maucipat, per omuem vitam praestare debet. Haec aliaque quum sacrosanctae Tridentinae Synodi de puerorum seminariis erigendis decretum sapieutissimum esse facile demonstrent, nostris tamen temporibus uova quaedam momeuta sedu-

lam decreti eiusdem exsecutionem urgent. Diffiteri enim non possumus, in domibus privatis pietatis exercitia minus iam coli, quam aliis temporibus fieri consuevit; maximam esse opinandi licentiam, quae ephemeridibus quotidie augetur, magnumque inde iuventuti imminere intellectus depravandi periculum; auctoritatem tum civilem tum ecclesiasticam parvipendi, in eamque passim exerceri effrenem diiudicandi et carpendi pruritum. Quae saeculi nostri mala quum a quovis alio, tum maxime a viro ecclesiastico longissime abesse debeant, summopere exoptandum est, ut talis sacerdotii alumnis provideatur educatio, qua a contagioso illo morbo praeserventur.

Huiusmodi rationibus ducti et Ecclesiae imprimis commoti auctoritate, in dioecesibus nostris puerorum seminaria, quantum per subsidiorum tenuitatem licuit, instituere iam coepimus. Opus tam sanctum quo maiora capiat incrementa, enixe monemus clericos et laicos, ut, quibus possunt subsidiis, seminaria illa adiuvent atque ita concurrant ad praeparandos Deo et Ecclesiae dignos ministros, sibi ac posteris fideles pastores.

CAPUT XXVI.

De disciplinis sacris tradendis in academiis et universitatibus.

Ecclesia est, quae fidei propagata veritate superstitionis et ignorantiae tenebras discussit. Quemadmodum vero Ecclesia cum bonis supernaturalibus huius etiam vitae terrenae multa bona confert, ita, dum coelestes veritates aperuit, veritates ordinis naturalis scientiasque humanas nullo non tempore coluit, promovit, auxit. Ecclesia etiam est, quae litterarum universitates condidit, decretis sancivit, beneficiis et privilegiis cumulavit. Itaque et Nos, eiusdem votis accedentes, summopere desideramus et cupimus, ut sacrae imprimis scientiae studium in academiis et universitatibus maxime floreat, nostrisque dioecesibus sacerdotium variis disciplinis exornatum succrescat; idque ut fiat, sacrae theologiae professoribus tamquam nostris hac in re auxiliaribus strenue allaborandum est.

Primum igitur, quod a sacrarum litterarum professoribus

iure exigitur, est, nt docendi munere fungantur ita, nt in iis Episcopus ipse clernm snum instituere videatnr. Quare mandamus, ne quis sacras scientias doceudi munus suscipiat, nisi obtenta a Nobis facultate litteris exprimenda et professione fidei coram Nobis emissa; ne quis de quacunque materia lectiones instituat sine nostra approbatione; ne qnis regiam traditionum viam deserens tyronum ingenia ad opiniones iusto liberiores trahere conetur. Absit, nt qnis specioso scientiae titulo eam, quae vera est scientia, contemnens, in periculnm incurrat semper discendi et numquam ad veritatis cognitionem perveniendi.

Qnod ne fiat, sanctorum Patrum et Ecclesiae Doctorum vestigia premant, Ecclesiae sensum qnam arctissime complectantur, sententiam qnamcunque ecclesiastica auctoritate reprobatam etiam sibi reprobandam dncant, atque iudicio de qnacunqne doctrina a supremo controversiarum arbitro, snmmo Pontifice, lato ex animo adhaereant. Caveant simul, ne, qnod vehementer reprobamus, post decreta a sancta Sede emissa nova effugia novasque ad obtegendam inobedientiam cavillationes, presbyteris indignas, excogitare sibi praesumant, sed iudicio apostolico pure et sincere se subiiciant, prae oculis habentes regulam illam cuilibet viro catholico sanctam: Roma locnta est, causa finita est. Atque hanc in omnibus Ecclesiae sensum amplectendi promptitudinem etiam in alumnorum animis excitare ac fovere studeant praeserventqne eosdem a tetra illa carpendi et vilipendendi, quod priora protulerunt saecula, libidine, quae saepe ignorantiae maius qnam immodestiae est docnmentum. Dum vero, quae priorum saecnlorum ingenia summo labore pariqne saepe felicitate nobis pepererunt, sna facere, excolere et provehere stndent, simul etiam, qnae nostrorum tempornm exigant errores, nt iisdem occurratnr, attendant.

Bene actum erit de scientia catholica et de singulorum eruditione ac profectu, si, qui sacras scientias colunt, priorum saeculornm labores non evertere, sed excolere et provehere student.

Sacrae Scripturae libros ita interpretentur, nt non criticornm, grammaticorum, philologornm tantum, sed et theologorum imprimis partes agant. Curandum semper est, nt alnmni probe

distinguant, quid tamquam dogma definitum, quid cum fidei veritate connexum sit, quid opinionis fines non excedat. Quoniam philosophia multis in partibus cohaeret theologiae, et haec philosophicis quaestionibus saepissime facem praefert: qui philosophiam tradunt, a revelationis lumine numquam oculos avertant necesse est, ne, nimium sibi sapientes, a veritate aberrent. Vehementer etiam synodus haec multis ex causis desiderat et, quantum fieri potest, inculcat, ut in posterum praelectiones theologicae, praesertim vero exercitationes et disputationes theologicae lingua latina habeantur.

Aequum porro est, ut a quibus in ecclesiastica scientia instituendi sunt sacerdotii alumni, ab iisdem ecclesiasticae etiam disciplinae hauriant exempla. Unde quae circa vitae morumque honestatem clericis omnibus, eadem sacrae scientiae professoribus imprimis commendamus.

Et vero non in seminariis demum sacerdotii candidatis de spiritu clericali hauriendo cogitandum et allaborandum est. Quamprimum ad statum clericalem animum appellunt et praecipue dum sacris litteris navant operam, mores etiam secundum tantae vocationis normam componant oportet. Quare quum compertum Nobis sit, haud exigua tum litteris tum moribus parari pericula ex associationibus quibusdam inter litterarum studiosos in academiis et universitatibus iniri solitis, theologiae candidatis, ne huiusmodi associationibus, quibus ad vitae licentiam provocentur, nomen dent, plane interdicimus.

CAPUT XXVII.

De seminariis clericorum.

Ut Apostoli, quamvis sedula magistri cura per triennium instituti, tamen, priusquam Spiritum sanctum acciperent, singulari prorsus modo animum praeparare et sedere in civitate iussi sunt, donec induerentur virtute ex alto[1]): ita etiam sacerdotii alumni, licet eosdem a pueris ad munus tam altum praeparari cupiat Ecclesia, tamen sub ipsum ordinationis tempus a mundi

[1]) Luc. 24, 49.

contagione magis etiam separantur et variis virtutibus exercendi, altioribus meditationibus instituendi ritibusque ecclesiasticis ac variis disciplinis accuratius initiandi curantur in clericorum seminariis. Eam in rem S. Carolus Borromaeus, illorum, quae Tridentina Synodus de seminariis statuerat [1]), executor quam maxime strenuus: „Sunt igitur", inquit, „ea potissimum de causa seminaria erecta, ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur; et ii quidem adolescentes .... in operibus virtutum erudiri debent, ut eam vitae perfectionem adipiscantur, quae in iis, qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet, et severioribus disciplinae legibus coercendi".[2])

Ad hunc finem gravissimum consequendum volumus, ut omnia, quae per canones et praesertim a Patribus Tridentinae Synodi et a sancta Sede apostolica de seminariis statuta et praescripta sunt, omni cura et sollicitudine observentur. Propterea hortamur rectores et ceteros moderatores eosque omnes, qui in educandis clericis auxilium praestant, ut, assidue memores vocationis suae, in omnibus sese praebeant formam et exemplum, quod alumni imitentur. Rectores omni enitantur studio, ut seminarii leges seu statuta ad amussim impleantur; simul animum intendant, ut disciplina ab omnibus, qui in seminario degunt, observetur, ipsique tum mansuetudine et suavitate, tum gravitate et fortitudine praestent. Quod monitum est in synodo Aquileiensi anno 1569. celebrata, enixe inculcamus, ut „praefecti et magistri adsciscantur probatae vitae et spectatae virtutis et pietatis homines, qui non modo voluntate et studio in rei conservationem et incrementum propendeant, sed idonei ad provinciam impositam iudicentur; in quo sit Episcoporum praecipue vigilantia et diligens sollicitudo".

In seminaria e Concilii Tridentini praescripto illi solum recipiantur, „quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros". Gravissimis id verbis S. Carolus Borromaeus monet, dum ait: „Maxima cautio

---

[1]) Sess. XXIII. de reform. cap. 18. — [2]) Act. eccles. Mediolan. part. V. Inst. sem. part. III. cap. 1.

adhibenda est in eo praecipue, ut idonei clerici in seminarium recipiantur; neque solum ingenium et babilitas ad studia litterarum functionesque ecclesiasticas exercendas spectetur, sed multo magis morum ac disciplinae in singulis ratio habeatur; quales enim ii fuerint, qui admittentur, tales prorsus e seminario fructus exsistent".[1]) Nemo porro inter seminarii alumnos est alendus, qui sine spe solidi in pietate fundamenti hinc videatur discessurus, ne forte pravi unius alumni vita ea destruat, quae multorum in religione et pietate profectus aedificaverit: neque enim, quibus severitate poenarum opus est coercendis, digni sunt huius vitae instituto.

Omnes autem in seminario caritate fraterna devincti eisdem legibus vivant, modestia, obedientia et animi candore conspicui. Christianam pietatem et Dei timorem sibi primum et summum religionis studium propositum esse in animum inducant. Quare statim ac recepti fuerint, pietatis et ecclesiasticae vitae fundamenta sacris exercitationibus iaciant; divinum officium recitare et coelestia meditari discant; studiis praescriptis aliisque exercitiis, quae ad ecclesiasticam vitae institutionem pertinent, sedulam operam navent. Frequens sit sacramentorum usus et confessariorum etiam extraneorum copia, quod et de puerorum seminariis intelligi volumus.

CAPUT XXVIII.

De exercitiis publicis seu missionibus in populo.

Exercitia illa publica, missionum nomine appellari solita, quae a diversorum ordinum et congregationum religiosarum viris ut plurimum traduntur, ad fidem confirmandam vitamque christianam fovendam quam maxime salutaria esse, tum Ecclesiae consuetudine, tum rei natura, tum denique experientia edocti declaramus. Non potest non praeparari ad divinam gratiam recipiendam seque spiritu mentis renovandum homo, qui per aliquot dierum intervallum, sepositis tantisper curis profanis, praecipuis fidei veritatibus morumque praeceptis ex ordine

[1]) Ibid. Inst. sem. part. I. cap. 9.

propositis animum intendit, vitae suae annos in amaritudine animae recogitat, salutis obstacula quasi uno obtutu contuetur, pio plurimorumque exemplo incenditur, demum animo contrito conscientiae maculas omnes, etiam quas sibi dissimulaverat, in sacro tribunali eluit. Unde etiam videmus, a multis pravas consuetudines corrigi, odia extingui, damna illata reparari, tepidos incendi, bonos ad meliora promoveri. Nec mirum proin, quod Pius Papa VI. hunc exercitiorum morem tamquam pium ac salutariter per Ecclesiam frequentatum et in verbo Dei fundatum contra obloquentium iniurias protegendum duxit.[1])

Vanum foret praeiudicium inaneque effugium opinantium, missionibus extraordinariis parochi proprii auctoritatem labefactari et in contemptum verti. Experientia enim constat, parochi iurisdictionem iisdem potius fulciri, auctoritatem crescere, operam pastoralem levari, et vinculum pastorem inter et gregem arctius constringi in utriusque commodum et salutem. Summopere proin parochis commendamus, ut has missiones, utpote maxime salutares, populo procurent, eum sedulo ad eas praeparent iisque peractis satagant, ut fructus multiplices inde obtenti conserventur et augeantur.

Episcopi, qui nihil antiquius habere debent, quam ut vita christiana in populo ubique crescat et promoveatur, ius sibi reservant pro parochiis ubique missiones proprio motu deputandi, quoties quocunque in loco illas necessarias vel utiles et opportunas iudicaverint.

CAPUT XXIX.

De consociationibus ecclesiasticis promovendis.

Ut arbor, quo uberiore succo turgescit, eo plures similes sibi profert frondes; ita etiam Ecclesia, quae Dei spiritu vivit et nutritur, novas continuo consociationes ut totidem quasi frondes parit et emittit. Cuius rei testes locupletissimi sunt non solum religiosi ordines, sed aliae etiam sodalitates, quae nullo non tempore ortae sunt in Ecclesia. Atque ita in summa, qua

---

[1]) Constit. *Auctorem fidei* prop. 65. Vid. Append. n. 18.

Ecclesia conspicua est, fidei et obedientiae unitate, summa simul efflorescit varietas, quum, qui communibus studiis ducuntur, communi etiam se vinculo connectant. Sed sicut arbor, quamdiu vivit, corticibus obductis vulnera inflicta reparat novisque continuo praesidiis contra aëris iniurias ipsa se defendit: ita etiam Ecclesia damna sibi illata novis studiis resarcit novisque contra nova pericula propugnaculis ipsa se tuetur. Hinc ortae identidem sunt consociationes, quae fidem bonosque mores tueri, ubi periculis exponi videbantur, in animo habebant. Quantum boni ex huiusmodi sodalitatibus et consociationibus oriri soleat, Ecclesiae annales testantur et nostris etiam oculis cernimus. Unde etiam nostrum esse ducimus commendare animarum pastoribus, ut eas sedula et prudenti cura promoveant. Suadet id hodie vel illa ratio, quod, quum Ecclesiae omnisque recti ordinis inimicos communi consilio directaque acie in bonos impetum facere constet, communibus ad pervertendum conatibus communes ad bona conservanda labores opponendi esse videantur.

Praeter varias iam pridem institutas et ab Ecclesia non semel approbatas congregationes pro variis hominum ordinibus, quas ad antiquum splendorem, ubi deciderit, revocari quam maxime cupimus, illas potissimum commendamus consociationes, quae ad varia in rem communem ex Ecclesiae mente praestanda in hac provincia vel recenter ortae sunt vel altiores iam egerunt radices. Quo in numero maxime sunt consociatio S. Francisci Xaverii ad fidem apud infideles propagandam; S. Bonifacii ad catholicos in regionibus acatholicorum dispersos sublevandos; S. Petri ad exorandam a Deo omnium aberrantium in Ecclesiae sinum revocationem; S. Sepulchri ad fidem catholicam in terra sancta tuendam; S. Caroli Borromaei ad libros bonos vulgandos; S. Vincentii et S. Elisabethae, quae miseros eleemosynis alioque auxilio sublevant; temperantiae confraternitas sub titulo beatae Mariae Virginis; consociatio iuniorum opificum, quae eosdem tum in opificii rebus, tum in doctrina christiana instituit; consociatio demum alia ad artem christianam in quibuscunque eius partibus promovendam inita.

CAPUT XXX.

De ecclesiis et supellectilibus sacris.

Quum domus Domini differat a domo hominum, et sanctitas ac maiestas sacri cultus sacrorumque rituum, imprimis vero sacrosanctum ac tremendum missae sacrificium longe excellentiorem locum exigant, quam habitatio operaque hominum: sedulo ab omnibus sacrorum ministris in id intendatur necesse est, ut loca et aedificia sacris destinata usibus formam et speciem omni ex parte aptam, dignam ac decoram exhibeant ipsaque specie visibili invisibilis Dei, quantum fieri potest, referant et exprimant maiestatem. Ex quo primum sedatis persecutionum procellis christianis facta est potestas erigendi basilicas et Martyrum memorias, in quibus sacra peragerentur mysteria, obviae cuique minime acquieverunt aedificiorum formae, verum sedulo adlaboraverunt, ut ea ecclesiis daretur structurae forma, eaque adderentur ornamenta, quae excelsiorem aedificiorum illorum finem et mysteriorum sublimium, quibus inservirent, velut indolem cuivis intuenti ob oculos ponerent, characterem quasi mysticum prae se ferendo.

Quare mandamus et statuimus, ut ubicunque de nova ecclesia construenda agitur vel de parte iam constructae reparanda, parochi ante omnia prae oculis habeant, ut aedificium, quod intenditur, stilo, forma et structura fini suo respondeat et sit in omnibus ecclesia catholica. Aliam enim formam aliumque stilum requirunt iustitiae palatia, emporia, theatra et id genus aedificia, et aliam longeque diversam formam templum Dei vivi, in quo omnia ad excitandam et nutriendam pietatem adaptata esse oportet. Unde parochi architectos, priusquam ad ecclesiam adumbrandam seu formam describendam accedant, illud ut prae oculis continuo habeant, monebunt, adumbrationesque eiusmodi Episcopo examinandas transmittant, qui de iis iudicabit, quum sine Ordinarii examine et approbatione ecclesiam construere non liceat. Idem vero a parochis in reparandis ecclesiis observandum est, praecipue vero quando de erectione novi altaris vel eius reparatione, vel de loco, qui sacro tribunali assignandus est, agitur.

Quum secundum perpetuam Ecclesiae consuetudinem alius presbyteris, alius laicis sit locus, prohibemus, ne in posterum nova subsellia vel scamna gentilitia laicis in choro cuiuscunque ecclesiae concedantur, quippe quae in navi collocanda sunt.[1])

Habitaculum Dei vivi ut decenter exornemus, sacra Scriptura nos commonet.[2]) Quapropter parochi ceterique ecclesiarum rectores curabunt, ut ecclesiae, quantum fieri potest, non solum omni diligentia adhibita, sed etiam principiis et legibus artis christianae, cuius prototypa nobis sacra exhibet antiquitas, ubique observatis decorentur et exornentur. Arceatur, quod mundi redolet profanum usum. Adhibeatur, quod coelorum sapit sanctitatem sublimitatemque. Exornatio altarium vero, quae diebus dominicis et festis quam maxime commendanda est, secundum caeremoniale Episcoporum ordinetur.

Quoad supellectilia varia, quae in sacris officiis adhibentur, omnes, ad quos attinet, eam sequantur legem, ut sint usui apta, nitida et munda, talique forma confecta, ut differant a supellectilibus profano cuivis usui destinatis.

In templis exornandis res omnium prima et maxime necessaria est munditıes, quae omnis decoris quasi initium est. Quam ob causam parochi et rectores diligentissime curent, ne quavis immunditia unquam ecclesiae sordescant, sed partes omnes mundae nitidaeque serventur. Munda sint praecipue altaria, saepius per annum expolienda; candelabra, sacrae tabulae, imagines perpetuo niteant; pavimenta vero octavo quoque die verrantur. Ad quae obtinenda parochi aedituis vel quibuscunque id commissum est, strenue invigilent, ut perfectissime muneri suo satisfaciant.[3]) Imprimis vero linteamina, quae in ss. missae sacrificio vel in sacramentis administrandis adhibentur, praesertim quae ss. eucharistiam immediate tangunt, mundissima semper sint et appareant, quum summopere dedeceat sacrilegiique instar habendum sit, corpus et sanguinem divini Salvatoris in sordidis deponi linteaminibus, quae in domibus privatis et in

---

[1]) Conc. Roman. a. 1725. tit. XXVIII. cap. 4. — [2]) Ps. 25. — [3]) Synod. dioec. Tusculan. celebrata ab Emo Cardin. Cagiano a. 1858.

nsibus profanis non toleranda viderentur. Qua de re ecclesiarum parochi Ordinario dioecesin visitanti rationem reddant.

Qnae de linteaminibus diximus, eadem intelligenda sunt de illa utensilium parte, quae paramentorum nomine venit. Ut ne nimio usu trita, vel scissa sed integra, munda et nitida sint, summa illa dignitas officii, in quo sacerdos et levitae iis induuntur, exposcit. Ea praeterea lex in iisdem conficiendis et parandis observanda est, ut, coloribus liturgicis stricte servatis, colores, qui texturae quasi fundamentum sunt, non eligantur ii, qui adhiberi solent in vestibus, tapetibus et stromatis profano usui servientibus quique, quam plurimnm mixti, leve et molle quiddam sapiunt. Quod de coloribus paramentorum, idem dicendum de signis seu figuris, qnae sericis, e quibus vestes sacrae parantur, intertexuntur. Nil leve, nil molle, nil quod ad cogitationes profanas mentem perdncere queat, in signis et figuris sericorum appareat.

Tabernaculum sive scrininm pro ss. eucharistia asservanda, sive in altari positnm sive extra illud in turri sacramentali exstructum, semper secundum canones et S. Rituum Congregationis decreta sit comparatum, digne et pulchre ornatum et contra sacrilegam furum audaciam probe munitum. Claves tabernaculi nunquam laico tradantur, nec permittatur, nt ab ullo, qui non sit saltem in subdiaconatus ordine constitutus, illud claudatur vel aperiatur. Tabernaculum saepius sollicite inspiciatur, nt, si quid pulveris vel immunditiei aspersum sit, auferatur et omne periculnm irreverentiae removeatur. Lampas ante altare vel turrim, in qna ss. sacramentum continetur, continuo ardeat. Meminerint parochi ceteriqne ecclesiarnm rectores, ipsorum esse, omni qua possunt cura invigilare, nt ante sacramentum corporis Christi, qni est lux indeficiens et candor lncis aeternae, nulla diei vel noctis hora lnmen unquam deficiat. Eo tantum tempore, quo officium divinum celebratur, lampadem ante ss. sacramentum accendi et finito officio extingui, abusus est minime tolerandus, qnem prorsus prohibemus sub poena amittendi iuris vel privilegii asservandi sanctissimum sacramentum.

CAPUT XXXI.

De cura pauperum.

Quam sedulam Ecclesia catholica pauperum semper curam gesserit, tum historia sive ecclesiastica sive profana, tum etiam xenodochia, nosocomia aliaque monumenta, quae ad nostra usque tempora post multiplices quidem clades supersunt, abunde testantur. Nec mirum. Norat enim Ecclesia, non solum eleemosynis promissam esse vitam aeternam, sed etiam Christi membris ipsique Christo impendi, quidquid in pauperes erogatur.

Unde parochi tum ipsi, quantum per facultates licet, se pauperum patres exhibeant, tum in fidelibus Christi pauperibus succurrendi studium, quod cum vera pietate nunquam non viguit, nutriant ac promoveant, tum vero fabricarum consiliarios in operis tam pii partem vocent et ad bona pauperibus sublevandis destinata sedulo ac religiose administranda exhortentur.

CAPUT XXXII.

De bonis ecclesiasticis

Parochi et vicarii bona sibi addicta, quae ipsi administrant, quo certius ea conserventur, et tum ipsorum tum successorum veris commodis consulatur, et imprimis etiam sinistra quaecunque suspicio removeatur, nunquam sive ad longius sive brevius tempus aliis locent, nisi obtenta ecclesiasticae auctoritatis approbatione.

Ut variis incommodis occurratur et imprimis ut decoris ratio certius habeatur, domus parochorum et vicariorum neque integrae neque ex parte laicis locentur, nisi Episcopus, intellecta locationis causa, eam approbaverit.

Quum subinde eveniat, ut de redituum e beneficiis et officiis provenientium distributione inter antecessorem et successorem disceptetur, hortamur strenue, ne eiusmodi lites, quod sine fidelium scandalo fieri vix posset, ad iudices saeculares deferantur.

TITULUS III.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

CAPUT XXXIII.

De vitae sanctimonia prosequenda.

Magnifica plane sunt verba, quibus S. Ephrem sacerdotii dignitatem extollit. „O miraculum," inquit, „stupendum! O potestas ineffabilis! O tremendum sacerdotii mysterium, spiritale ac sanctum, venerandum et irreprehensibile, quod Christus, in hunc mundum veniens, etiam indignis impertitus est. Genu posito, lacrymis atque suspiriis oro, ut hunc sacerdotii thesaurum inspiciamus, thesaurum, inquam, his, qui eum digne et sancte custodiunt. Scutum siquidem est refulgens et incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum ac stabile a terra ad axim usque coeli pertingens. Quid dico, fratres, excelsos illos axes contingi? imo in ipsos coelos coelorum sine impedimento atque labore ascendit et in medio Angelorum simul cum spiritibus incorporeis facile versatur. Quid dico in medio supernarum virtutum? quin et cum ipso Angelorum domino atque creatore datoreque luminum familiariter agit. Et quantum vult, confestim, quae postulat, facile et suo iure quodammodo impetrat. Non desisto, fratres, laudare et glorificare illius dignitatis profunditatem, quam.... Adae filiis sancta elargita est Trinitas, per quam mundus salvatus est et creatura illuminata".[1])

E dignitatis sublimitate sanctimoniae sublimitas, qua sacerdotii ministri praestare debeant, metienda est. Maiorem sanctioremque, quam a fidelibus, Ecclesia catholica a suis sacerdotibus et ministris, pro eminentiore, quo sunt loco positi, iure postulat morum honestatem. Quum enim communem cum ceteris fidelibus assequendae iustificationis et aeternae beatitudinis finem sibi propositum habeant, sane paria officia eis praestanda sunt;

[1]) S. Ephrem serm. de sacerdotio.

at quum dederit eis Deus ministerium reconciliationis et posuerit in eis verbum reconciliationis[1]), non modo amplior eorum est provincia, sed ipsi altiora etiam et praestantiora expetant necesse est. Quae homine christiano digna sunt, ea clariore intelligentia perspecta habcant, sincerioris animi fervore complectantur et summa fide perficiant oportet. Dominus enim: „Numquid potest caecus," inquit, „caecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt"?[2]) Unde S. Hieronymus: „Qualis enim," inquit, „aedificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse maiorem? Unde .... Episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui praesident, conversatione, sermone et scientia praecedant".[3]) Siquidem non verbis tantum, sed et vitae suae exemplo fideles docere et ad sanctiores mores excitare debent, in his eos ceteris praeire et antecellere opus est, ne in eos cadat Domini obiurgatio: „Et vobis legisperitis vae; quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas".[4]) Quae autem perdita nequitia, ut quis mysteria sacra peragat, quae ipse non ex animo veneretur, et ut alios ad morum sanctitatem commoneat, quam ipse negligat! Ministrorum Ecclesiae conditio non humana atque mutabili ordinatione orta est, sed a Deo est in perpetuum instituta et immutabilis. Propter homines quidem, neque tamen hominum, sed Dei ministri sunt constituti, Dei legatione funguntur[5]), ad quam non ad tempus sunt vocati, sed ut sempiterna sit eorum vocatio. Dominus enim: „Nemo," inquit, „mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei".[6]) Ita irrevocabilem Dei militiam professi eiusque indelebili charactere insigniti, proprium, praestantia sua singularem et specialem, quem cum ceteris non habent communem, statum adepti sunt.

Meminerint omnes sacerdotes, quantam animae puritatem ac vitae perfectionem in laicis ipsi requirant, quos ad communionem quotidianam admittant, nec unquam obliviscantur, se pari certe, ni fortiori obligatione teneri ad conscientiae puri-

[1]) II. Cor. 5, 18. 19. — [2]) Luc. 6, 39. — [3]) Can. *Qualis* 21. c. VIII. quaest. 1. — [4]) Luc. 11, 46. — [5]) II. Cor. 5, 20. — [6]) Luc. 9, 62.

tatem ac vitae sanctitatem prae aliis sectandam, quam maxima diligentia atqne vigilantia necnon digno ac frequenti sacrae confessionis usu consequi studeant.

CAPUT XXXIV.

De rebus nonnullis, quae clericis sunt fugiendae.

Clericis vitae suae statum, quemadmodum deserere, ita cum aliis coniungere fas non est. Inde S. Paulus ad Timotheum suum: „Labora", inquit, „sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit".[1] Quae negotia non eo solo consilio ministris altaris, quo magis officiis status possent tempus et vires impendere, sed ideo potius prohibita sunt, quod ipsa eorum conditionis natura rerum mundanarum studia excludit. Curae enim saeculares cum coelestibus sociari nequeunt, sicut „nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet et alterum diliget, aut uni adhaerebit et alterum contemnet".[2] Qui se ministerio Christi tradunt, communis et quotidianae vitae rebus renunciant, et ad eos praecipue spectant Christi Domini verba: „Qui amat patrem aut matrem plus, quam me, non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus".[3] Cui ipsi praecepto quum Apostoli satisfecissent, S. Petrus eorum nomine respondens dixit: „Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te".[4] Ita ex divina institutione Ecclesiae ministri abiectis temporalibus curis Deo sese dederunt atque Dominum sibi partem haereditatis sortisque suae sumpserunt[5], ut militarent bonam militiam, habentes fidem et bonam conscientiam.[6] Quo proposito suo quum aeternae fidelium saluti sese victimam praebuerint et assequendae summae, quam homines possunt animis concipere et sustinere, honestatis opus in se susceperint, ad cacumen dignitatis et praestantiae elati sunt, in quo de levioribus etiam erroribus acrius iudicatur, nec culpa ex solo facto, sed magis ex loco facientis penditur. Imprimis

[1]) II. Tim. 2, 3. 4. — [2]) Luc. 16, 13. — [3]) Matth. 10, 37. — [4]) Matth. 19, 27. — [5]) Psal. 15, 5. — [6]) I. Tim. 1, 18. 19.

igitur omnia, quae animi libertatem minuere vel frangere possint, eis fugienda sunt, ut S. Hieronymus docet: „Qui Dominum possidet et cum Propheta dicit: pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur".[1] Praeterea militibus Christi diligenter, quae speciem mali habeant, ac multo diligentius, quae vere mala sint, vitanda sunt, ne in vacuum gratiam Dei receperint[2], ne forte quum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur[3], neve fidelibus offensioni sint, qui non modo acrius de eis iudicare, sed etiam eum ministris ipsam Ecclesiam contemptui et despectui habere, vel ex eorum culpa exemplum sibi in perniciem suam capere soleant. Unde S. Hieronymus: „Vehementer", inquit, „Ecclesiam Christi destruit, meliores laicos esse, quam clericos".[4]), et S. Gregorius neminem ait in Ecclesia nocere amplius, quam qui perverse agens nomen et ordinem sanctitatis habeat, et in exemplum culpam vehementer extendi, quando pro reverentia ordinis peccator honoretur.[5]) Contra recolant propositi sui memoriam et sedulo secum considerent, quae S. Paulus carum discipulum hortatus est: „Tu autem, o homo Dei", inquit, „haec fuge; sectare vero iustitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem: certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus".[6]) Perpetuo vigiles ita in omnibus laborent et ministerium suum impleant[7]), ut in eis ordinationis gratia foveatur augeaturque, et ut sancte semper sancta tractent. Iam vero summopere eos monemus, ut praecipue vitent, quae sequuntur.

Quum ministrorum Christi animos et propriae et fidelium honestatis et sanctitatis studium debeat obtinere et regere, necesse est, ut non modo omnia ea abhorreant, quae, tametsi ipsa non sint mala, peccati tamen ansam praebere et scandalo esse

---

[1]) Can. *Clericus* 5. c. XII. quaest. 1. — [2]) II. Cor. 6, 1. — [3]) I. Cor. 9, 27. — [4]) Can. *Qualis* 21. cit. c. VIII. quaest. I. — [5]) Can. *Nemo* 2. dist. 83. — [6]) I. Tim. 6, 11. 12. — [7]) II. Tim. 4, 5.

possint, sed eis etiam supersedeant, quae virum gravem et sacerdotii dignitatem non deceant aut eiusdem officiis rite exequendis obstent. Itaque clerici negotia saecularia ne tractent atque etiam quodcunque munus vel officium sive publicum sive privatum suscipere ne praesumant, priusquam Ordinarii licentiam impetraverint, vetamus. Dein etiam choreis, spectaculis et scenis ne intersint, neve unquam aleis, chartis aliove modo in locis publicis ludant, severe interdicimus.

Cauponas sine necessitate nec in itinere ingrediantur; ne vero eas, quae sint in propria parochia vel in locis proxime vicinis, nisi ministerii causa adire necesse sit, frequentent, graviter prohibemus. Ut autem prorsus sese a venatione abstineant, etiam atque etiam monemus. Omnis enim venatio mundum sapit, sanguinolenta est nec convenit mansueto et leni animo, qui clericum decet.

Nimiam familiaritatem et frequens consortium cum mulieribus, piis licet ac devotis religiosisve evitent. Animis casti etiam religiose attendant, ne fideles ineptia aliqua offendant. Quare ne quis famulam vel oeconomam ex quacunque causa unquam mensae vel itineris vel deambulationis sociam faciat, vel cum ea societates, convivia, nundinas adeat, serio interdicimus.

CAPUT XXXV.

De pietate in Deum.

Oratio et meditatio quum vitae animae sint nutrimentum, sacerdoti eae sint iucundissimae et quotidianae occupationes. S. Bernardus: „Primum quidem", inquit, „ipsum fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat".[1] Synodus vero Coloniensis anno 1536. habita pium meditandi usum gravissimis verbis commendat et urget: „Eos tantum", inquit, „et re et nomine clericos reputamus, qui legem Dei die noctuque meditantur ac vitam

[1] De consider. lib. I. cap. 7.

agunt sacerdotio dignam". Iuvat etiam et apprime commendatur, ut omnes sacerdotes singulis vel saltem alternis annis aliquot dierum secessu exercitiis spiritualibus vacent, quibus detrimenta in vita spirituali accepta resarciantur, novae vires colligantur. Praesertim vero instanter omnes, qui in ordinibus maioribus sunt constituti, admonemus, ut breviarium rite persolvant, cuius obligationem, quibuscum ob causas sufficientes a sancta Sede non fuerit dispensatum, denuo stricte inculcamus. Monemus omnes, quibus animarum cura incumbit, ut quotidie, nisi legitime impediantur, missam celebrent, qua et ipsimet et oves immensorum ss. sacrificii fructuum quotidie fiant participes. Sacrificii autem sanctitas exigit, ut nonnisi cum debita animi praeparatione ad altare accedant et postea tempus aliquod in gratiarum actione insumant; qua in re fidelium quoque aedificationis habenda est ratio, qui potissimum sacerdotum exemplo docendi sunt, sacra communione accepta non illico ex ecclesia esse recedendum.

CAPUT XXXVI.

De litterarum studiis.

Sacerdotes ut litterarum studiis diligentem operam dent, fortiter exhortamur. Ignorantiam enim, matrem cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitandam esse, ait concilium Toletanum [1]), quod et praecipit: „Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas et Canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat, atque aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina". Et vero evolvenda et fovenda continuo sunt, quae ante sacerdotium initum quasi iacta sunt semina, qua in re consuetae, quae vocantur, conferentiae adiumentum praebere possunt. Procul dubio in viro ecclesiastico ecclesiasticis studiis primae debentur partes. Quum vero litteras profanas, historiam imprimis et scientias naturales, multiplici errorum veneno infectas videamus, quo fidelibus maiora saepe, quam aliis libris perversis, qui de religione ex professo

[1]) C. *Ignorantia* 1. dist. 38.

agunt, parantur pericula; et quum litterae profanae non raro aditum aperiant ad eximendos erroribus illos, qui religionem inter et scientiam dissidium intercedere perperam sentiunt: etiam litterae profanae non praestans solum, sed utilissimum etiam, imo necessarium persaepe clerici sunt ornamentum et subsidium. Unde illi, quibus tempus et ingenii vires suppetunt, si ea, de qua dictum est, mente profanis litteris strenue incumbunt, rem Deo gratam Ecclesiaeque et animarum saluti utilissimam se praestare sciant; praeterquam quod omne litterarum studium illud habet emolumenti, ut otio, quod omnium malorum est origo, praecludat aditum.

CAPUT XXXVII.

De corporis habitu cultuque.

Status sui officiorumque conscientiam et cultu et habitu clerici prodant. Quod ut servetur, stricte mandamus et ordinamus, ut semper induti sint veste talari in functionibus sacris, in quibus quidem usum vestium brevium omnino prohibemus; et extra functiones semper saltem veste breviori, sutanella, quae vocatur, induti prodeant, nec unquam vestes clarioris coloris, quas quidem penitus interdicimus, gerant; et ut, quando ex officio actui publico saeculari assistere debent, veste talari cum mantello oblongo nigri coloris ac bireto induti intersint. Quilibet clericus tonsuram canonibus praescriptam semper deferat.

Sacerdotum domus non sumtuosa, sed simplici et modesta supellectili sint ordinatae et absit mundana ostentatio. Etiam in cibo et potu sacerdotes sese praebeant moderatos et sobrios, nec lautis ac sumtuosis conviviis mundanos studeant aequare, vel adeo superare.

CAPUT XXXVIII.

De conversatione cum aequalibus et domesticis.

Optimo laicis solet esse exemplo, si sacerdotes mutuo caritatis vinculo teneri intelligant. Omnia igitur removenda sunt, quibus simultatum vel levissima oriri possit suspicio. Singuli

aliorum aestimationi consulant, honorem defendant, administrationem haud gravate laudent; certumque habeant, se, si fratrum, suae quoque famae prospicere. Correctioni fraternae sedulo studeant, omni detrectatione semota. Honore se mutuo praeveniant, sint hospitales erga clericos peregrinos, curentque omnino, ut intelligant laici, arctiore quam fideles solo baptismi, sacerdotes ordinis etiam vinculo eademque vocatione sacra obstringi.

Sacerdotes domui suae bene praesint, domesticos habeant bonae famae, bene morigeratos, modestos et pios. Imprimis male notatas, suspectas vel lapsas feminas nunquam in domum suam recipiant. Curent autem serio, ne famulae nimio luxu vestitae et pretioso ornatu superbientes incedant, nec unquam iis permittant, ut choreis, theatris vel aliis eiusmodi oblectationibus intersint.

In domibus sacerdotum omnia fiant ordinate, modeste, sine strepitu et rixis. Sint eaedem laicis domus catholicae exemplum, quod imitentur. Nunquam in eis quidquam fieri permittatur, quod scandalo esse possit.

Omnia et singula supraposita decreta et statuta, quae a Nobis in hoc provinciali concilio definita fuerunt, subscribimus atque ea, qua debemus, obedientia et reverentia iudicio sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum matris et magistrae, recognoscenda, emendanda et approbanda humiliter subiicimus.

Coloniae in festo Ascensionis Domini, quae fuit dies decima septima Maii anni salutis millesimi octingentesimi sexagesimi.

Nos Ioannes tituli S. Laurentii in Viminali Presbyter S. R. E. Cardinalis de Geissel, Archiepiscopus Coloniensis et Metropolita, definientes subscripsimus.

† IOANNES CARDINALIS DE GEISSEL,
Archiepiscopus Coloniensis.

Ego Guilelmus, Episcopus Trevirensis, definiens subscripsi.
† GUILELMUS, Episcopus Trevirensis.

Ego Ioannes Georgius, Episcopus Monasteriensis, definiens subscripsi.
† IOANNES GEORGIUS, Episcopus Monasteriensis.

Ego Eduardus Iacobus, Episcopus Hildesiensis, definiens subscripsi.
† EDUARDUS IACOBUS, Episcopus Hildesiensis.

Ego Conradus, Episcopus Paderbornensis, definiens subscripsi.
† CONRADUS, Episcopus Paderbornensis.

Ego Paulus, Episcopus Osnabrugensis, definiens subscripsi.
† PAULUS, Episcopus Osnabrugensis.

APPENDIX.

I.

Ex epistola dogmatica S. Leonis Papae I. ad Flavianum.

Ex cap. 2. Sed non ita intelligenda est illa generatio (Christi) singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Foecunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit; veritas autem corporis sumpta de corpore est: »Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,« hoc est, in ea carne, quam assumpsit ex homine, et quam spiritu vitae rationalis animavit.

Ex cap. 4. Ingreditur ergo haec mundi infima Filius Dei, de coelesti sede descendens et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine: quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens esse coepit ex tempore: universitatis Dominus servilem formam, obumbrata maiestatis suae immensitate, suscepit, impassibilis Deus non dedignatus est esse homo passibilis, et immortalis mortis legibus subiacere. Nova autem nativitate generatus: quia inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit. Assumpta est de matre Domini natura, non culpa; nec in Domino Iesu Christo, ex utero Virginis genito, quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, et nullum est in hac uuitate mendacium, dum invicem sunt et humilitas hominis et altitudo Deitatis. Sicut enim Deus nou mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est; Verbo scilicet operante qnod Verbi est, et carne exseqnente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate paternae gloriae non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est, quod saepe dicendum est, vere Dei Filius et vere hominis Filius.

II.

Symbolum fidei concilii Toletani XI. a. 675.

Confitemur et credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum naturaliter esse unius substantiae, unius naturae, unius quoque maiestatis atque virtutis. Et Patrem

quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur: ipse enim a nullo originem ducit, ex quo et Filins nativitatem et Spiritus sanctus processionem accepit: fons ergo ipse et origo est totius divinitatis. Ipse quoque Pater est essentiae suae, qui de ineffabili substantia Filium (al. Pater, essentia quidem ineffabilis, substantiae suae Filium) ineffabiliter genuit; Deus Deum, lux lucem: ab ipso est ergo omnis paternitas in coelo et in terra.

Filium quoque de substantia Patris sine initio ante saecula natum, nec tamen factum esse fatemur: quia nec Pater sine Filio, nec Filius aliquando exstitit sine Patre: et tamen non sicut Filius de Patre, ita Pater de Filio: quia non Pater a Filio, sed Filius a Patre generationem accepit. Filius ergo Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio; Pater quidem Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris et Deus de Patre; aequalis tamen per omnia Filius Deo Patri: quia nec nasci coepit aliquando, nec desiit. Hic etiam unius cum Patre substantiae creditur, propter quod et ὁμοούσιος Patri dicitur, hoc est, eiusdem cum Patre substantiae creditur: ὁμός enim graece unum, οὐσία vero substantia dicitur, quod utrumque coniunctum sonat una substantia. Nec enim de nihilo, neque de aliqua alia substantia, sed de Patris utero, id est, de substantia eius, idem Filius genitus vel natus esse credendus est. Sempiternus ergo Pater, sempiternus et Filius. Qnod si semper Pater fuit, semper habuit Filium, cui Pater esset: et ob hoc Filium de Patre natum sine initio confitemur. Nec enim eundem Filium Dei, pro eo quod de Patre sit genitus, defectae naturae portiunculam nominamus; sed perfectum Patrem perfectum Filium sine diminutione, sine defectione genuisse asserimus, quia solius divinitatis est inaeqnalem Filium non habere. Hic etiam Filius Dei natura est Filius, non adoptione, quem Deus Pater nec voluntate nec necessitate genuisse credendus est; quia nec ulla in Deo necessitas cadit, nec voluntas sapientiam praevenit.

Spiritum quoque sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, unum atque aequalem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiae, unius quoque esse naturae: non tamen genitum vel creatum, sed ab utrisqne procedentem amborum esse Spiritum. Hic etiam Spiritus sanctus nec ingenitus nec genitus creditur: ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, ant si genitum, duos Filios praedicare monstremur: qui tamen nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur; quia caritas sive sanctitas amborum agnoscitur. Hic igitur Spiritus sanctus missus ab utrisque creditur; sed minor a Patre et Filio non habetur, sicut Filius propter assumptam carnem minorem se Patre et Spiritu sancto esse testatur.

Haec est sanctae Trinitatis relata narratio: quae non triplex, sed

Trinitas et dici et credi debet. Nec recte dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In relativis vero personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, sanctus Spiritus ad utrosque refertur: quae quum relative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias praedicamus, sed unam substantiam, tres autem personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est; et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est: similiter et Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur, in eo quod Spiritus Patris et Filii praedicatur. Item quum dicimus: Deus, non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium vel Filius ad Patrem, vel Spiritus sanctus ad Patrem et Filium, sed ad se specialiter dicitur Deus. Nam et si de singulis personis interrogemur, Deum necesse est fateamur. Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur: nec tamen tres dii, sed unus est Deus. Item et Pater omnipotens et Filius omnipotens et Spiritus sanctus omnipotens singulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut et unum lumen unumque principium praedicatur. Singulariter ergo, ut unaquaeque persona plenus Deus, et totae tres personae unus Deus confitetur et creditur: una illis vel indivisa atque aequalis Deitas, maiestas sive potestas, nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, quum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius quum totae tres personae unus Deus enuntiatur (al. enuntiantur).

Haec ergo sancta Trinitas, quae unus et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero. In relatione enim personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuant, quod ad invicem sunt; et in hoc numero carent, quod ad se sunt. Nam ita huic sanctae Trinitati unum naturale convenit nomen, ut in tribus personis non possit esse plurale.

Ob hoc ergo credimus illud in sacris Litteris dictum: Magnus Dominus noster et magna virtus eius et sapientiae eius non est numerus. Nec quia tres has personas esse diximus unum Deum, eundem esse Patrem, quem Filium, vel eum esse Filium, qui est Pater, aut eum, qui Spiritus sanctus est, vel Patrem vel Filium dicere poterimus. Non enim ipse est Pater, qui Filius; nec ipse Filius, qui Pater; nec Spiritus sanctus ipse, qui est vel Pater, vel Filius: quum tamen ipsum sit Pater quod Filius; ipsum Filius quod Pater; ipsum Pater et Filius quod Spiritus sanctus: id est, natura unus Deus. Quum enim dicimus non (nos) ipsum esse Patrem quod Filium; ipsum Filium quod Patrem; ipsum Spiritum sanctum quod Patrem et Filium, ad naturam, qua Deus est, vel substantiam pertinere monstratur, quia substantia unum sunt: personas enim distinguimus, non deitatem separamus. Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus; unitatem propter naturam vel substantiam profitemur.

Tria ergo ista unum sunt, natura scilicet, non persona: nec tamen

tres istae personae separabiles aestimandae sunt; quum nulla ante aliam, nnlla post aliam, nulla sine alia vel exstitisse, vel quidpiam operasse aliquando credatnr: inseparabiles enim inveniuntur et in eo quod sunt et in eo qnod faciunt: quia inter generantem Patrem et generatum Filium vel procedentem Spiritum sanctum nullum fuisse credimus temporis intervallum, quo aut genitor genitum aliquando praecederet, aut genitus genitori deesset, aut procedens Spiritus Patre vel Filio posterior appareret. Ob hoc ergo inseparabilis et inconfusa haec Trinitas a nobis et praedicatur et creditur. Tres igitur personae istae dicuntur, iuxta quod maiores definierunt, ut agnoscantur, non ut separentur. Nam si attendamus illud, quod Scriptura sancta dicit de Sapientia: Splendor est lucis aeternae: sicut splendorem luci videmns inseparabiliter inhaerere, sic confitemur Filium a Patre separari non posse. Tres ergo illas unius ac inseparabilis naturae personas sicut non confundimus, ita separabiles nullatenus praedicamus.

Ita nobis hoc dignata est ipsa Trinitas evidenter ostendere, ut etiam in his nominibus, quibus voluit sigillatim personas agnosci, unam sine altera non permittat intelligi: nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vetat, quas etiam, dum non simul nominat, simul insinuat. Nemo antem audire potest unnmquodque istorum nominum, in qno non intelligere cogatur et alterum. Quum enim igitur haec tria sint unum et unnm tria, est tamen unicuique personae manens sua proprietas. Pater enim aeternitatem habet sine nativitate, Filius aeternitatem cum nativitate, Spiritus vero sanctus processionem sine nativitate.

De his tribns personis solam Filii personam pro liberatione humani generis hominem verum sine peccato de sancta et immaculata Maria Virgine credimus assumpsisse: de qua novo ordine novaque nativitate est genitus; novo ordine, quia invisibilis divinitate, visibilis monstratur in carne: nova antem nativitate est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit et foecundata per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur; quod si ratione colligitur, non potest esse mirabile; si exemplo, non erit singulare. Nec tamen Spiritus sanctus Pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria eodem sancto Spiritu obumbrante concepit: ne duos Patres Filii videamur asserere, qnod utique nefas est dici. In qno mirabili conceptu, aedificante sibi Sapientia domum, Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Nec tamen Verbnm ipsum ita in carne conversum atque mutatum est, nt desisteret Deus esse, qui homo esse voluisset; sed ita Verbum caro factum est, ut non tantum ibi sit Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima, atque hoc totum et Dens dicatur propter Deum et homo propter hominem.

In quo Dei Filio duas credimus esse naturas, unam divinitatis, alteram humanitatis: quas ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas

ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando seinngi. Unde perfectus Deus, perfectus et homo in unitate personae nnins est Christus: nec tamen, quia duas diximus in Filio esse naturas, duas causabimur in eo esse personas; ne Trinitati, quod absit, accedere videatur quaternitas. Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam, et in aeternam personam divinitatis temporalem accepit substantiam carnis. Ita quum unius substantiae credamus esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non tamen dicimus, ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae assumpsit. Incarnationem quoque hnius Filii Dei tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. Solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in nnitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati: quae forma illi ad unitatem personae coaptata est, id est, nt Filius Dei et Filius hominis unus sit Christus.

Item idem Christus in duabns naturis tribus exstat substantiis: Verbi, quod ad solius Dei essentiam referendum est, corporis et animae, qnod ad verum hominem pertinet. Habet igitur in se geminam substantiam divinitatis suae et humanitatis nostrae. Hic tamen pro eo, quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum (nam neqne factus, neque praedestinatus accipitur), per hoc tamen, quod de Maria Virgine natus est, et natus et factus et praedestinatus esse credendns est. Ambae tamen in illo generationes mirabiles: quia et de Patre sine matre ante saecula est genitus et in fine saeculorum de matre sine patre est generatus: qui tamen secundum quod Deus est, creavit Mariam, secundum quod homo, creatus est a Maria: ipse et pater matris et filius.

Item et per hoc quod Deus, est aequalis Patri; per hoc qnod homo, minor est Patre. Item et maior et minor seipso esse credendus est: in forma enim Dei etiam ipse Filius seipso maior est, propter hnmanitatem assumptam, qua divinitas maior est: in forma autem servi seipso minor est, id est, humanitate, quae minor divinitate accipitur. Nam sicut per assumptam carnem non tantum a Patre, sed a seipso minor accipitur, ita secundum divinitatem coaequalis est Patri, et ipse et Pater maior est homine, qnem sola Filii persona assumpsit.

Item in eo quod quaeritur, ntrum posset Filius sic aequalis et minor esse Spiritu sancto, sicut Patri nunc aequalis, nunc minor Patre creditur esse, respondemus: Secundum formam Dei aequalis est Patri et Spiritui sancto, secundum formam servi minor est et Patre et Spiritu sancto: quia nec Spiritus sanctus nec Deus Pater, sed sola Filii persona suscepit carnem, per quam minor esse creditur illis personis duabus. Item hic Filius a Deo Patre et Spiritu sancto inseparabiliter discretus creditur esse persona, ab homine antem assumpto (al. assumpta) natura.

Item cum homine unus exstat persona; cum Patre vero et Spiritu

sancto natura divinitatis sive snbstautia. Missus tamen Filius nou solum a Patre, sed ab Spiritu sancto missus credendus est: iu eo quod ipse per Prophetam dicit: Et nunc Dominus misit me et Spiritus sauctus. A seipso qnoque missus accipitur: pro eo qnod inseparabilis uou solum voluntas, sed operatio totius Trinitatis agnoscitur. Hic enim, qui ante saecula unigenitus est vocatus, temporaliter primogenitus factus est: unigenitus propter deitatis substantiam, primogenitus propter assumptae carnis naturam.

In qua suscepta (al. suscepti) hominis forma iuxta evangelicam veritatem sine peccato conceptus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro uobis peccatum est factus, id est, sacrificium pro peccatis nostris. Et tamen passionem ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris sustinuit, mortiqne adiudicatus et cruci veram carnis mortem excepit: tertio quoqne die virtute propria sua suscitatus e sepulchro surrexit. Hoc ergo exemplo capitis nostri confitemur veram fieri resurrectionem carnis omnium mortuorum. Nec iu aërea vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) surrecturos nos credimus, sed in ista, qua vivimus, consistimus et movemur. Peracto huius sanctae resurrectionis exemplo idem Dominus noster atque Salvator paternam ascendendo sedem repetiit, de qua uunquam per divinitatem discessit. Illic ad dextram Patris sedens, exspectatur in fine saeculorum iudex omnium vivorum et mortuorum. Inde cum Sanctis omnibus veniet ad faciendum iudicium, reddere unicuique mercedis propriae debitum, prout quisque gesserit in corpore positus sive bonum, sive malum.

Ecclesiam sane catholicam, pretio sui sanguinis comparatam, cum eo credimus in perpetuum regnaturam. Intra cnius gremium constituti unum baptisma credimus et confitemur in remissionem omnium peccatorum. Sub qua fide et resurrectionem mortuorum veraciter et credimus et futuri saeculi gaudia exspectamus. Hoc tantum orandum nobis est et peteudum, ut, quum peracto finitoque iudicio tradiderit Filius regnum Deo Patri, participes uos efficiat regni sui, ut per hanc fidem, qua illi inhaesimus, cum illo sine fine regnemus.

Haec est confessionis nostrae fides exposita, per quam omnium haereticorum dogma perimitur, fidelium corda mundantur; per qnam etiam ad Deum gloriose acceditur.

III.

Synodi oecum. VIII. (Constantinopol. IV.) can. 11.

Veteri et novo Testamento unam animam rationalem et intellectualem habere hominem docente et omnibus deiloquis Patribus et magistris Ecclesiae eandem opinionem asseverantibus: in tantum impietatis quidam, malorum inventionibus dantes operam, devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare et quibusdam irrationabilibus conatibus per sapientiam, quae stulta facta est, propriam haeresim confirmare pertentent. Itaque sancta haec et universalis Synodus veluti qnoddam pessimum ziza-

nium nunc germinantem nequam opinionem evellere festinans, imo vero ventilabrum in manu veritatis portans et igni inexstinguibili transmittere omnem paleam, et aream Christi mundam exhibere volens, talis impietatis inventores et patratores et his similia sentientes, magna voce anathematizat et definit atque promulgat, neminem prorsus habere vel servare quoquo modo statuta huius impietatis auctorum. Si autem quis contraria gerere praesumpserit, huic sanctae et magnae Synodo anathema sit et a fide atque cultura Christianorum alienus.

IV.

Innocentii III. cap. Maiores 3. X. de bapt. et eius effect. (III. 42.)

Maiores Ecclesiae causas, praesertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui eum quaerenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus Filius Dei vivi: et pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides eius. (Haec igitur te notasse sollicite, coniecimus evidenter, qui ut haereticos, Ecclesiam impugnantes, melius nostra munitus auctoritate repellas,) quibusdam quaestionibus, quas contra catholicos haeretici moverant, nos postulas respondere. Asserunt enim, parvulis inutiliter baptisma conferri: quod nituntur (tam ratione, quam auctoritate) probare, illud primo et praecipue inducentes, quod, quum secundum verbum Iacobi Apostoli, dicentis in epistola sua: Caritas operit multitudinem peccatorum: et iuxta illud testimonium veritatis in evangelio de peccatrice, quae ipsius pedes laverat, perhibentis: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: non nisi per caritatem et in caritate crimina dimittantur, parvulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, et caritatem non habent, quae sentientibus et consentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in baptismo. (Et sic eis baptisma non confertur: quia non est talibus conferendum. In evangelio quoque legitur: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur: unde parvuli, sive fuerint, sive non fuerint baptizati, condemnabuntur, utpote non credentes.) Ad id autem taliter respondemus, quod baptisma successerit circumcisioni. Absit enim, ut in illam damnatam haeresim incidamus, quae perperam affirmabat, legem cum evangelio, et circumcisionem cum baptismo servandam: quoniam secundum Apostolum, dicentem ad Galatas: Si circumcidimini, Christus nihil vobis prodest. Quum ergo circumcisio tam adultis, quam parvulis ex praecepto Domini conferretur: ne baptismus, qui succedit loco ipsius, et generalior tamen exsistit, quum tam viri, quam feminae baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, quam parvulis est conferendus. Sicut enim (olim) sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: Anima, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; ita nunc indistincte vox intonat evangelica: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei: ab hac generalitate nec sexum, nec aetatem exclu-

dens. (Unde sicut anima circumcisi de populo suo non peribat: sic qui ex aqua fuerit et Spiritu sancto renatus, regni coelorum introitum obtinebit.) Caute tamen notandum est, quantum plus baptismus hodie conferat Christianis, quam quondam Iudaeis circumcisio contulisset: dictum est in fine praedictae auctoritatis inductae de veteri lege: Peribit de populo suo: in evangelica vero auctoritate subiunctum est: Non intrabit in regnum Dei: quoniam, etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, et damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum coelorum, quod usque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum: sed per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum et ad regnum coelorum etiam pervenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit. Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuravit ad salutem. Ceterum ex vi litterae satis patet, praedictas auctoritates intelligendas esse tantummodo de adultis, qui habent multitudinem peccatorum: quum de parvulis non possit intelligi, qui peccato tantum originali tenentur. Similiter et illa (alia) auctoritas est solvenda: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit etc., quum non possint credere parvuli, sed adulti. Et ob hoc tota auctoritas hic intelligenda est (tantummodo) de adultis, ne ad alios prima, et ad alios secunda clausula referatur; quamvis nonnulli concedant, quod parvuli credunt non per usum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in baptismo: sicut et alia multa verba secundum communem usum loquendi non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur. Illud vero, quod opponentes inducunt, fidem aut caritatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi, a plerisque non conceditur absolute; quum propter hoc inter doctores theologos quaestio referatur, aliis asserentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: nonnullis (vero) dicentibus, (et) dimitti peccatum, et virtutes infundi habentibus illas, quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad aetatem adultam.

Originale peccatum, quod sine consensu contrahitur, remittitur in baptismo etiam non consentienti, ut parvulis; secus de actuali: quia, sicut non committitur sine consensu, ita non relaxatur. Hoc dicit usque ad §. Sed adhuc. Abbas.

Verum quidam ex hac solutione invenisse se credunt viam ad alias quaestiones, argumentantes ex eo, quod dicimus, parvulis in baptismate peccatum originale dimitti, quod et adultis dormientibus vel amentibus peccatum, si baptizentur, ratione simili dimittatur. Quum enim neutri sentiant tunc, vel consentiant: dicunt, idem in consimilibus iudicandum. Hic vero dicimus, distinguendum, quod peccatum est duplex, originale scilicet et actuale; originale, quod absque consensu contrahitur: (et) actuale, quod committitur cum consensu. Originale igitur, quod sine consensu contrahitur,

sine consensu per vim remittitur sacramenti: actuale vero, quod (cum) consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur.

Licet in baptismo dimittatur originale peccatum parvulis, qui tamen consentire non possunt: in adultis tamen, amentibus vel dormientibus, qui non consentiunt baptismo, non dimittitur actuale, et item etiam nec originale. H. d.

Sed adhuc quaeritur, quare non saltem originale peccatum amentibus et dormientibus in baptismo, sicut parvulis dimittatur. Ad hoc taliter est respondendum, quod Dominus, qui totum hominem salvum fecit in sabbatho, opus imperfectionis non novit: et ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit. Praeterea poena originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus. Unde, si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso: talis non careret visione Dei propter originale dimissum, et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis: sed haec tanquam incompassibilia sese minime patiuntur, imo sibi mutuo adversantur.

Amentes vel dormientes baptizati, si ante dementiam vel dormitionem baptizari volebant, characterem suscipiunt, alias secus: coacti vero causative suscipiunt. H. d. usque ad finem.

Item quaeritur, utrum (huiusmodi) dormientibus et amentibus sacramenti saltem character in baptismate imprimatur, ut excitati a somno vel ab aegritudine liberati, non sint denuo baptizandi. Sunt autem nonnulli, qui dicunt, quod sacramenta, quae per se sortiuntur effectum, ut baptismus et ordo ceteraque similia, non solum dormientibus et amentibus, sed invitis (etiam) et contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem conferuntur: quum non solum parvuli, qui non consentiunt, sed et ficti, qui quamvis non ore, corde tamen dissentiunt, recipiant sacramentum. Sed opponitur talibus, quod, qui fuissent inviti et reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad iurisdictionem ecclesiasticam pertinerent: unde ad servandam regulam fidei Christianae forent rationabiliter compellendi. Verum id est religioni Christianae contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur. Propter quod inter invitum et invitum, coactum et coactum, alii non absurde distinguunt; quod is, qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis (quidem,) sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum, et ipse, tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est (tamen) ad observantiam fidei Christianae. In quo casu debet intelligi decretum (illud) concilii Toletani, ubi dicitur, quod, qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisibuti, quia iam constat, eos sacramentis divinis associatos et baptismi gratiam suscepisse et chrismate unctos esse et corporis Domini exstitisse participes,

oportet etiam, ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides, quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti; quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire: sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui, contradicens penitus et reclamans, thurificare idolis cogitur violenter. Dormientes autem et amentes, si, priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etsi fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. Secus antem, si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo charaterem sacramentalis imprimit operatio, quum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem.

V.

Innocentii III. professio fidei praescripta Waldensibus.

Corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur et simplicibus verbis affirmamus: Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres personas esse, unum Deum totamque Trinitatem coëssentialem et consubstantialem et coaeternalem et coomnipotentem et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum, sicut in »Credo in Dominum«, in »Credo in unum Deum« et in »Quicunque vult« continetur. Patrem quoque et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium, corde credimus et ore confitemur. Novi et veteris Testamenti unum eundem auctorem esse Dominum credimus, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit; Ioannemque Baptistam ab eo missum, esse sanctum et iustum et in utero matris suae Spiritu sancto repletum. Incarnationem divinitatis non in Patre, neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus et ore confitemur. Ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, Deus verus ex Patre, esset in humanitate hominis filius, homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris et animam humanam rationabilem, simul utriusque naturae, id est, Deus et homo, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu sancto, omnium auctor et rector, natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate; manducavit et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera suae carnis passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione et vera animae ad corpus resumptione; in qua, postquam manducavit et bibit, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris et inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam non haereticorum, sed sanctam Romanam, catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili

virtute Spiritus sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a iustissimo amplectimur, quia non nocet malitia Episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis, neque ad eucharistiam conferendam, vel ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab Episcopo factam, id est, impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus. In sacrificio eucharistiae, quae ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum corpus et verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus et simpliciter verbis fidelibus affirmamus, in quo nihil a bono maius vel a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur creatoris et in virtute Spriritus sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod, quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest vel debet eucharistiam consecrare vel altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili, tangibili Episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria: scilicet certa persona, id est, presbyter ab Episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba, quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis; ideo firmiter credimus et fatemur, quod, quicunque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit, se posse sacrificium eucharistiae facere, haereticus et perditionis Core et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda, secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge salvari credimus et fatemur, nec etiam secunda et ulteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minime culpamus. Non condemnamus iuramentum, imo credimus puro corde, quod cum veritate et iudicio et iustitia licitum sit iurare. De potestate saeculari asserimus, quod sine peccato mortali potest iudicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam non odio, sed iudicio, non incaute, sed consulte procedat. Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia summi Pontificis vel praelatorum permissione illam credimus exercendam. In omnibus vero locis, ubi manifeste haeretici manent, et Deum et fidem sanctae Romanae Ecclesiae abdicant et blasphemant, credimus, quod disputando et exhor-

tando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiae adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos et omne, quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus et fideliter veneramur. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium malum esse factum credimus. Corde credimus et ore confitemur huius carnis, quam gestamus et non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum et singulos pro his, quae in hac carne gesserunt, recepturos vel poenas vel praemia, firmiter credimus et affirmamus. Eleemosynas, sacrificium ceteraque beneficia fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in saeculo et sua possidentes, eleemosynas et caetera beneficia ex rebus suis agentes, praecepta Domini servantes salvari fatemur et credimus........

VI.

Confessio fidei Michaëli Palaeologo a Clemente IV. proposita.

Credimus sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem totamque in Trinitate deitatem coëssentialem et consubstantialem, coaeternam, et coomnipotentem, unius voluntatis potestatis et maiestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quae sunt in coelo et in terra, visibilia, invisibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singulam quamque in Trinitate personam unum verum Deum, plenum et perfectum. Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei, aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et aequalem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper Virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem aeternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasticum, sed unum et unicum Filium Dei, in duabus et ex duabus naturis, divina scilicet et humana, in unius personae singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et salute nostra passum vera carnis passione, mortuum et sepultum, et descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione: die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse in coelum, et sedere ad dextram Dei Patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala. Credimus et Spiritum sanctum, plenum et perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coaequalem, et consubstantialem, et coomnipotentem, et coaeternum per omnia Patri et Filio. Credimus hanc sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unicum Deum, omnipotentem, aeternum et invisibilem et incommutabilem. Credimus sanctam catholicam et apostolicam unam esse

veram Ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma et vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem huius carnis, quam nunc gestamus, et vitam aeternam. Credimus etiam novi et veteris Testamenti, Legis ac Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem. Haec est vera fides catholica, et hanc in supradictis articulis tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia et ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum consequi veniam peccatorum. Quod si vere poenitentes in caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis: eorum animas poenis purgatoriis seu catharteriis, sicut nobis frater Ioannes explanavit, post mortem purgari: et ad poenas huiusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, mox in coelum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Eadem sacrosancta Ecclesia Romana firmiter credit et firmiter asseverat, quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt chrismando renatos; aliud est poenitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quae secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem coniugum alterius, secundas et tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat. Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere: sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio de-

finiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri: et eidem omnes ecclesiae sunt subiectae, et ipsarum praelati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva.

VII.

Propositio 97. Raymundi Lulli damnata a Gregorio XI.

d. 26. Ianuarii 1376.

Fides est necessaria hominibus rusticis, insciis, ministralibus et non habentibus intellectum elevatum, qui nesciunt cognoscere per rationem et diligunt cognoscere per fidem: sed homo subtilis facilius trahitur ad veritatem christianam per rationem, quam per fidem.

VIII.

Ex Martini V. Constitutione *Inter cunctas*,

d. d. 22. Februarii 1418.

Articulus 5. inter 39., de quibus errorum Wikleff et Huss suspecti interrogandi sunt.

Item, utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet Concilium generale, et etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repraesentet.

IX.

Concilii oecumenici Florentini decreta.

A. Ex decreto unionis Graecorum in Constit. Eugenii IV. *Laetentur coeli*, d. d. 6. Iul. 1439.

In nomine sanctae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut haec fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.

Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum: »Filioque«, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.

Item, in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem.

Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatoriis post mortem purgari: et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta. Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

Item, diffinimus sanctam Apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur.

B. Ex decreto pro Armenis in Constit. Eugenii IV. *Exsultate Deo*, d. d. 22. Novembr. 1439.

Quinto, ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam praesentium quam futurorum faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. Novae legis septem sunt sacramenta: videlicet, baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium. Quae multum a sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide: renati autem et roborati nutrimur divina eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter

sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per extremam unctionem: per ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter: per matrimonium corporaliter augetur. Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter haec sacramenta tria sunt: baptismus, confirmatio et ordo, qnae characterem, id est, spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt et reiterationem admittunt.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae. Et quum per primum hominem mors introierit in universos: nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire. Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis: nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Non tamen negamus, quin et per illa verba: Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; vel: Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma: quoniam quum principalis causa, ex qna baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qni per ipsum exercetur ministrum, cum sanctae Trinitatis invocatione perficitur sacramentum. Minister huius sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia. Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis; omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt.

Secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto. Forma autem est: Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Ordinarius minister est Episcopus. Et quum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: Quum enim audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui quum venissent, oraverunt

pro eis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apostolicae sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum. Effectus autem huius sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue crucem eius, qui Iudaeis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.

Tertium est eucharistiae sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam iuxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiae pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde, quia hoc convenit Dominicae passionis repraesentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa, quintus a beato Petro: »In sacramentorum oblationibus, quae intra missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque, id est, sanguis et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur.« Tum etiam, quod convenit ad significandum huius sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: Aquae multae, populi multi. Et Iulius Papa, secundus post beatum Sylvestrum, ait: »Calix Dominicus iuxta canonum praeceptum vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur et iungitur.« Quum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum Graecorumque ecclesiae, in quibus omnis sanctitatis et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint et modo servent: inconveniens admodum videtur, ut alia quaevis regio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquae, prout dictum est, admisceant vino. Forma huius sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus

Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini. Sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris eius unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem: in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

Quartum sacramentum est poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium et eleemosynam. Forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, quum dicit: Ego te absolvo etc. Minister huius sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris. Effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis.

Quintum sacramentum est extrema unctio, cuius materia est oleum olivae per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet; qui in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma huius sacramenti est haec: Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, etc. Et similiter in aliis membris. Minister huius sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Iacobus Apostolus: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.

Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenae cum pane porrectionem, diaconatus vero per libri evangeliorum dationem, subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis in nomine Patris et

Filii et Spiritus sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, pront in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister huius sacramenti est Episcopus. Effectus augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister.

Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae, secundum Apostolum dicentem: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, quum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

C. Ex decreto pro Iacobitis in Constit. Eugenii IV. *Cantate Domino*, d. d. 4. Febr. 1441.

Imprimis igitur sacrosancta Romana Ecclesia, Domini et Salvatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum omnipotentem, incommutabilem et aeternum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum in essentia, trinum in personis: Patrem ingenitum, Filium ex Patre genitum, Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedentem. Patrem non esse Filium aut Spiritum sanctum; Filium non esse Patrem aut Spiritum sanctum; Spiritum sanctum non esse Patrem aut Filium: sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Solus Pater de substantia sua genuit Filium, solus Filius de solo Patre est genitus, solus Spiritus sanctus simul de Patre procedit et Filio. Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres Dii: quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu sancto: Filius totus est in Patre, totus in Spiritu sancto: Spiritus sanctus totus est in Patre, totus in Filio. Nullus alium aut praecedit aeternitate aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patre exstitit; et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus sanctus de Patre Filioque procedit. Pater quidquid est aut habet, non habet ab alio, sed ex se: et est principium sine principio. Filius quidquid est aut habet, habet a Patre, et est principium de principio. Spiritus sanctus quidquid est aut habet, habet a Patre simul et Filio. Sed Pater et Filius non duo principia Spiritus sancti, sed unum principium: sicut Pater et Filius et Spiritus sanctus non tria principia creaturae, sed unum principium.

Quoscunque ergo adversa et contraria sentientes damnat, reprobat et anathematizat et a Christi corpore, quod est Ecclesia, alienos esse denunciat. Hinc damnat Sabellium personas confundentem et ipsarum distinctionem realem penitus auferentem. Damnat Arianos, Eunomianos, Macedo-

nianos, solum Patrem Deum verum esse dicentes, Filium autem et Spiritum sanctum in creaturarum ordine collocantes. Damnat et quoscumque alios, gradus seu inaequalitatem in Trinitate facientes.

Firmissime credit, profitetur et praedicat, unum verum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, esse omnium visibilium et invisibilium creatorem: qui quando voluit, bonitate sua universas tam spirituales quam corporales condidit creaturas: bonas quidem, quia a summo bono factae sunt, sed mutabiles, quia de nihilo factae sunt; nullamque mali asserit esse naturam, quia omnis natura, in quantum natura est, bona est. Unum atque eundem Deum veteris et novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem: quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt: quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur: (Sequuntur libri canonis.)

Praeterea Manichaeorum anathematizat insaniam, qui duo prima principia posuerunt, unum visibilium, aliud invisibilium; et alium novi Testamenti Deum, alium veteris esse Deum dixerunt.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, unam ex Trinitate personam, verum Deum, Dei Filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem et coaeternum, in plenitudine temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis, veram hominis integramque naturam ex immaculato utero Mariae Virginis assumpsisse, et sibi in unitatem personae copulasse tanta unitate, ut, quidquid ibi Dei est, non sit ab homine separatum; et quidquid est hominis, non sit a Deitate divisum; sitque unus et idem indivisus, utraque natura in suis proprietatibus permanente, Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem: immortalis et aeternus ex natura divinitatis, passibilis et temporalis ex conditione assumptae humanitatis.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, Dei Filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum, vere mortuum et sepultum, vere ex mortuis resurrexisse, in coelum ascendisse sedereque ad dexteram Patris et venturum in fine saeculorum ad vivos mortuosque iudicandos.

Anathematizat autem, exsecratur et damnat omnem haeresim contraria sapientem. Et primo damnat Ebionem, Cerinthum, Marcionem, Paulum Samosatenum, Photinum omnesque similiter blasphemantes, qui percipere non valentes unionem personalem humanitatis ad Verbum, Iesum Christum Dominum nostrum verum Deum esse negaverunt: ipsum purum hominem confitentes, qui divinae gratiae participatione maiori, quam sanctioris vitae merito suscepisset, divinus homo diceretur. Anathematizat etiam Manichaeum cum sectatoribus suis, qui Dei Filium non verum corpus, sed phantasticum sumpsisse somniantes, humanitatis in Christo veritatem penitus sustulerunt. Nec non Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, sed corpus coeleste sumpsisse atque transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit. Arium etiam,

qui asserens, corpus ex Virgine assumptum anima caruisse, voluit loco animae fuisse deitatem. Apollinarem quoque, qui intelligens, si anima corpus informans negetur in Christo, humanitatem veram ibidem non fuisse, solam posuit animam sensitivam, sed deitatem Verbi vicem rationalis animae tenuisse. Anathematizat etiam Theodorum Mopsuestenum atque Nestorium asserentes, humanitatem Dei Filio unitam esse per gratiam, et ob id duas esse in Christo personas, sicut duas fatentur esse naturas, quum intelligere non valerent, unionem humanitatis ad Verbum hypostaticam exstitisse, et propterea negarent Verbi subsistentiam accepisse. Nam secundum hanc blasphemiam non Verbum caro factum est, sed Verbum per gratiam habitavit in carne: hoc est, non Dei Filius homo factus est, sed magis Dei Filius habitavit in homine. Anathematizat etiam, exsecratur et damnat Eutychem archimandritam: qui quum intelligeret iuxta Nestorii blasphemiam veritatem incarnationis excludi, et propterea oportere, quod ita Dei Verbo unita esset humanitas, ut deitatis et humanitatis una esset eademque persona; ac etiam capere non posset, stante pluralitate naturarum, unitatem personae; sicut deitatis et humanitatis in Christo unam posuit esse personam, ita unam asseruit esse naturam: volens ante unionem dualitatem fuisse naturarum, sed in unam naturam in assumptione transiisse: maxima blasphemia et impietate concedens, aut humanitatem in deitatem, aut deitatem in humanitatem esse conversam. Anathematizat etiam, exsecratur et damnat Macarium Antiochenum omnesque similia sapientes, qui licet vere de naturarum dualitate et personae unitate sentiret, tamen circa Christi operationes enormiter aberravit dicens, in Christo utriusque naturae unam fuisse operationem unamque voluntatem. Hos omnes cum haeresibus suis anathematizat sacrosancta Romana Ecclesia, affirmans in Christo duas esse voluntates duasque operationes.

Firmiter credit, profitetur et docet, neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum, nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri: qui sine peccato conceptus, natus et mortuus, humani generis hostem, peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit; et regni coelestis introitum, quem primus homo peccato proprio cum omni successione perdiderat, reseravit: quem aliquando venturum omnia veteris Testamenti sacra, sacrificia, sacramenta, caeremoniae praesignarunt.

Firmiter credit, profitetur et docet, legalia veteris Testamenti seu Mosaicae legis, quae dividuntur in caeremonias, sacra, sacrificia, sacramenta, quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta, licet divino cultui illa aetate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adveniente, cessasse, et novi Testamenti sacramenta coepisse. Quemcunque etiam post passionem in legalibus spem ponentem et illis velut ad salutem necessariis se subdentem, quasi Christi fides sine illis salvare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat, a Christi passione usque ad pro-

mulgatum evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum evangelium sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari. Omnes ergo post illud tempus circumcisionis et sabbati reliqnorumqne legalium observatores alienos a Christi fide denunciat et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant. Omnibus igitur, qui christiano nomine gloriantur, praecipit omnino, quocunque tempore, vel ante vel post baptismum, a circumcisione cessandum; quoniam sive quis in ea spem ponat, sive non, sine interitu salutis aeternae observari omnino non potest. Circa pueros vero propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, quum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta aut octuaginta dies seu alind tempus iuxta quorundam observantiam sacrum baptisma differendum; sed quamprimum commode fieri potest, debere conferri: ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem in forma Ecclesiae, si desit sacerdos, quemadmodum in decreto Armenorum plenius continetur.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, omnem creaturam Dei bonam nihilque reiiciendum, qnod cum gratiarum actione percipitur, quia iuxta verbum Domini non, quod intrat in os, coinquinat hominem; illamque Mosaicae legis ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia asserit pertinere, quae surgente evangelio transierunt et efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato dicit illi tempori congruisse, quo ex Iudaeis atque gentilibus, qui antea diversis caeremoniis moribusque vivebant, una surgebat Ecclesia, nt cum Iudaeis etiam gentiles aliquid communiter observarent et in unum Dei cultum fidemque conveniendi praeberetur occasio et dissensionis materia tolleretur: qnum Iudaeis propter antiquam consuetudinem sanguis et suffocatum abominabilia viderentur, et esu immolatitii poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros. Ubi autem eo usque propagata est christiana religio, ut nullus in ea Iudaeus carnalis appareat, sed omnes ad Ecclesiam transeuntes in eosdem ritus evangelii caeremoniasque conveniant, credentes omnia munda mundis: illius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Nullam itaqne cibi naturam condemnandam esse denunciat, quam societas admittit humana; nec inter animalia discernendum, per qnemcunque sive virum sive mulierem et quocunque genere mortis intereant: quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiastica disciplina possint et debeant multa non negata dimitti: quia iuxta Apostolum omnia licent, sed non omnia expediunt.

Firmiter credit, profitetur et praedicat, nullos intra catholicam Ecclesiam non exsistentes, non solum paganos, sed nec Iudaeos ant haereticos atque schismaticos, aeternae vitae fieri posse participes; sed in ignem ae-

ternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis eius, nisi ante finem vitae eidem fuerint aggregati: tantumque valere ecclesiastici corporis unitatem, ut solum in ea manentibus ad salutem ecclesiastica sacramenta proficiant; et ieiunia, eleemosynae ac cetera pietatis officia et exercitia militiae christianae praemia aeterna parturiant. Nemiuemque, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse salvari, nisi in catholicae Ecclesiae gremio et unitate permanserit.

(Sequuntur Synodi oecumenicae a Romana Ecclesia susceptae, et decreta pro Graecis et Armenis.)

Verum quia in suprascripto decreto Armenorum non est explicata forma verborum, quibus in consecratione corporis et sanguinis Domini sacrosancta Romana Ecclesia, Apostolorum doctrina et auctoritate firmata, semper uti consueverat, illam praesentibus duximus inserendam. In consecratione corporis hac utitur forma verborum: Hoc est enim corpus meum; sanguinis vero: Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Panis vero triticeus, in quo sacramentum conficitur, an eo die, an antea coctus sit, nihil omnino refert: dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post praefata verba consecrationis corporis a sacerdote cum intentione conficiendi prolata mox in verum Christi corpus transsubstantietur.

X.

E Leonis X. Constitutione *Apostolici regiminis* d. d. 19. Decembr. 1512., edita in sessione VIII. Concilii Lateranensis V.

Quum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus) zizaniae seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos perniciosissimos errores, a fidelibus semper explosos, in agro Domini superseminare et augere sit ausus, de natura praesertim animae rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus; et nonnulli temere philosophantes secundum saltem philosophiam verum id esse asseverent: contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes: quum illa non solum vere per se et essentialiter humani corporis forma exsistat, sicut in canone felicis recordationis Clementis Papae V. praedecessoris nostri in generali Viennensi Concilio edito continetur; verum et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit. Quod manifesto constat ex evangelio .... Quumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus: et, ut aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus, omnesque huiusmodi erroris

assertionibus inhaerentes, veluti damnatissimas haereses seminantes, per omnia ut detestabiles et abominabiles haereticos et infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos et puniendos fore decernimus.

XI.

Michaëlis Baii propositiones aliquae damnatae a S. Pio V. in Constitutione *Ex omnibus afflictionibus*

d. d. 1. Octobr. 1567.

Prop. 23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret.

Prop. 24. A vanis et otiosis hominibus secundum insipientiam philosophorum excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum reiicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et in Dei filium adoptatus.

Prop. 25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

Prop. 68. Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.

XII.

Propositio 39. inter damnatas ab Alexandro VII.

d. 18. Mart. 1666.

Illa particula »quamprimum« intelligitur, quum sacerdos suo tempore confitebitur.

XIII.

Propositiones aliquae e damnatis ab Innocentio XI.

d. 2. Mart. 1679.

Prop. 19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Prop. 21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Prop. 23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustificationem sufficit.

XIV.

Propositiones nonnullae e damnatis ab Alexandro VIII.

d. 7. Decembr. 1690.

Prop. 5. Pagani, Iudaei, haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

Prop. 8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

XV.

Articuli declarationis cleri Gallicani a. 1682., a summis Pontificibus reprobati.

I. Beato Petro eiusque successoribus, Christi Vicariis, ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino: Regnum meum non est de hoc mundo; et iterum: Reddite ergo, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Reges ergo et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse; eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam.

II. Sic autem inesse apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sess. 4. et 5. continentur; nec probari a Gallicana ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant; aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones, Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos. Valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit.

Quos quidem articulos iam ab Innocentio XI. per litteras d. d. 11. Aprilis 1682. reiectos Alexander VIII. Constitutione *Inter multiplices* d. d. 4. August. 1690. denuo damnavit sic statuens:

»Omnia et singula, quae tam quoad extensionem iuris regaliae, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica ac quatuor in ea contentas propositiones in supradictis comitiis cleri Gallicani a. 1682. habitis acta

et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis, confirmationibus, declarationibus, epistolis, edictis et decretis a quibusvis personis, sive ecclesiasticis sive laicis quomodolibet qualificatis, quavis auctoritate et potestate, etiam individuam possessionem requirente, fungentibus, editis seu publicatis ... ipso iure nulla, irrita, invalida, inania viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cuiuslibet eorum, etsi iuramento vallata sint, observantiam teneri .... tenore praesentium declaramus.«

Articulos denique eosdem a synodo Pistoriensi susceptos Pius VI. Constit. *Auctorem fidei* iterum proscripsit. Vid. infr. num. 18.

XVI.

Propositiones nonnullae e Quesnellianis damnatis a Clemente XI. Constitutione *Unigenitus* d. d. 8. Sept. 1713.

Prop. 26. Nullae dantur gratiae, nisi per fidem.

Prop. 27. Fides est prima gratia et fons omnium aliarum.

Prop. 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

Prop. 39. Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se praecipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali et incapax ad omne bonum.

Prop. 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: et sine gratia non producit nisi praesumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris.

XVII.

Benedicti XIV. declaratio cum instructione super dubiis respicientibus matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda d. d. 4. Novembr. 1741.

Matrimonia, quae in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis iniri solent, sive inter haereticos ex utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum et catholicam feminam ex alia parte, aut vice versa, non servata forma a sacro Tridentino Concilio praescripta, utrum valida habenda sint nec ne? diu multumque disceptatum est animis hominum ac sententiis in diversa distractis: id, quod satis uberem anxietatis ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum praesertim Episcopi, parochi atque illarum regionum missionarii nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta sancta Sede auderent statuere ac declarare; quum autem proxime evolutis annis in tam ancipiti gravique causa apostolicae Sedis iudicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui et sua erga beati Petri Cathedram observantia de concreditae sibi ecclesiae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae

dubitationi finem gravissimis verbis ac rationibus persuaderet: Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quanti oportebat, aestimaret, sacrae Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem sacra Congregatio quam accuratissime procedere, commissae sibi cognitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus atque sententiis, quas desuper explorari sategit, petendum duxit eodemque tempore audire voluit praestantes aliquot huius almae Urbis theologos, quibus iniunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent suamque opinionem proferrent. At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione propter viduitatem, quae incidit Romanae Ecclesiae, donec ad summum Pontificatum feliciter evectus SSmus D. N. Benedictus XIV. inter primas regiminis sui curas causae huius cognitionem repeti iussit a memorata sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut auditis Eminentissim. Patrum sententiis ipse demum, quid hac in re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Quum igitur Congregatio praefata sub diem 13. Maii currentis anni 1741. coram Sanctitate sua fuerit habita, idem SSmus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto hanc nuper declarationem et instructionem exarari praecepit, qua veluti certa regula ac norma omnes Belgii Antistites, parochi earumque regionum missionarii et Vicarii apostolici deinceps in huiusmodi negotiis uti debeant.

Primo scilicet quod attinet ad matrimonia ab haereticis inter se in locis Foederatorum Ordinum dominio subiectis celebrata, non servata forma per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tunc expositis circumstantiis sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit, declarare: negotio mature perpenso omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit statuitque matrimonia in dictis foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse, adeoque, si contingat utrumque coniugem ad Ecclesiae catholicae sinum se recipere, eodem, quo antea, coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus sive masculus sive femina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Quod vero spectat ad ea coniugia, quae pariter in iisdem Belgii provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam feminam in matrimonium ducat, sive catholica femina haeretico viro nubat: dolens imprimis quam maxime Sanctitas sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant: Episcopos omnes, Vicarios apostolicos, parochos, missionarios et alios quoscunque Dei et Ecclesiae fideles ministros in iis partibus degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod huius generis matrimonium Tridentini forma non servata ibidem contractum iam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat: declarat Sanctitas sua, matrimonium huiusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse sub obtentu dictae formae non servatae novum matrimonium inire; id vero debere sibi potissimum in animum inducere coniugem catholicum sive virum sive feminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat ac veniam a Deo precetur coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicae Ecclesiae pertrahere eiusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Ad haec declarat Sanctitas sua, ut, quidquid hactenus sancitum dictumque est de matrimoniis, sive ab haereticis inter se, sive inter catholicos et haereticos initis in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis, sancitum dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem Foederatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem Foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas di Barriera; ita quidem, ut matrimonia ibi praeter Tridentini formam sive inter haereticos utrinque sive inter catholicos et haereticos inita valorem suum obtineant, dummodo uterque coniux ad easdem copias sive legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas sua complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis a Republica Foederatorum Ordinum, quamvis non iure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Tandem circa coniugia, quae contrahuntur vel in regionibus Principum catholicorum ab iis, qui in provinciis foederatis domicilium habent, vel in

foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Principum catholicorum, nihil Sanctitas sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis iuxta canonica iuris communis principia probatasque in similibus casibus alias editas a sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur; et ita declaravit statuitque ac ab omnibus in posterum observari praecepit. Die 4. Novembris 1741. A. Card. Gentili S. C. Concilii Praefectus. C. A. Arch. Philipp. Secret.

XVIII.

E Pii VI. Constitutione *Auctorem fidei* d. d. 28. Augusti 1794.

De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

3. Insuper (propositio), quae statuit, *Romanum Pontificem esse caput ministeriale;* sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi Vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia: Haeretica.

De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

4. Propositio affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis,* — quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: Haeretica.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione, — quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi:* [ex Bened. XIV. in Brevi »Ad assiduas«, anni 1755. Primati, Archiepiscopis et Episcopis regni Polon.]: Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.

De duplici amore.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii, a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei,* — [ex S. Aug. de spir. et litt. cap. 28.] perinde ac si *inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum et dilectionem humanam illicitam, quae dam-*

natur, non daretur *dilectio humana licita, quae non reprehenditur,* (ex S. August. serm. 349. de carit., edit. Maurin.): Falsa, alias damnata.

De applicatione fructus sacrificii.

30. Doctrina synodi, qua, dum profitetur *credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis,* dein continuo subiicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet:* unde et consequenter traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant,* — sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum, (sess. 23, cap. 1. de reform. — Bened. XIV, Constit. *Cum semper oblatas*, §. 2.): Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

De indulgentiis.

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti,* — quasi indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: Falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19. Lutheri damnata.

De reservatione casuum.

45. Item, de spe quam ostendit fore, *ut, reformato rituali et ordine poenitentiae, nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes;* prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab Episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. 14. cap. 7.) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare: Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et iniuriosa.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia vel missiones... forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur; et exteriores*

illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura: Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.

78. Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit, *in quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis ab eo, quod est proprium disciplinae*, subiungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum, quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo, quod est inutile aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur; magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum,* — quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum: Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiae ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea. .....

Caeterum, per hanc expressam praefatarum propositionum et doctrinarum reprobationem, alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, quum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae, sive illis, quae supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae quum doctrinae et disciplinae temerarium contemptum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et apostolicam Sedem animum prae se ferunt. Duo vero speciatim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio, §. 2. decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant.

Primum, dum posteaquam rite praemisit, Deum in suo Esse unum et simplicissimum permanere, continuo subiungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum sanctum; quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii, tot Scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis et e nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo

Petrus est pronuntiatus; ac non potius retinendum esset, quod edoctus ab Augustino Angelicus praeceptor[1]) vicissim ipse docuit, *in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quae in nomine Filii*, dicente nimirum Augustino[2]): *Eo dicitur Verbum, quo Filius.*

Neque silentio praetereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quae pridem improbatam ab apostolica Sede conventus Gallicani declarationem anni 1682. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum *de Fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare et, quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solemni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se Nobis offert de synodo, quam praedecessoribus nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem, quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt, praedecessor noster venerabilis Innocentius XI. per litteras in forma Brevis die 11. Aprilis anni 1682., post autem expressius Alexander VIII. Constitutione *Inter multiplices* die 4. Augusti anni 1690., pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt: multo fortius exigit a Nobis pastoralis sollicitudo, recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita praedecessorum nostrorum decreta huic apostolicae Sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra Constitutione reprobamus et damnamus ac pro reprobata et damnata haberi volumus.

XIX.

E Brevi Pii VII. ad Episcopos Galliarum d. d. 17. Febr. 1809.

— — Sed et aliqui ex vobis supplicarunt Nobis, ut potestatem iis faceremus impertiendi dispensationes seu licentias contrahendi inter personas, quarum altera catholicam fidem, altera haeresim profitetur. Vobis vero exploratum putamus esse, veram Christi Ecclesiam catholicorum cum haereticis connubia magnopere semper reprobasse; ab iis siquidem, ut fel. rec. Clemens PP. XI. praedecessor noster aiebat, ob plurimum deformitatis nec parum spiritualis periculi, quod prae se ferunt, abhorret Ecclesia, iisdemque fere legibus, quibus christianis interdixit, ne connubia inirent cum infidelibus, catholicos pariter a sacrilegis nuptiis cum haereticis contrahendis deterruit. Hinc dolendum vehementer, ut fel. etiam rec. Benedictus XIV. acerbissime dolebat, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati ab hisce detestabilibus connubiis, quae sancta mater Ecclesia

[1]) S. Thomas, 1. p. q. 34. art. 2. ad 3. — [2]) S. Augustinus de Trinit. lib. VII. cap. 2.

perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorreant, et prorsus sibi abstinendum non ducant; nam praeter gravissimum periculum, a quo satis praecaveri numquam potest, perversionis tum partis catholicae, tum secuturae prolis, illud quoque difficillimum esset, eos in domo unanimes habitare, qui unanimes fide non sint, ex quo quies et tranquillitas familiarum perturbetur ac deficiat, necesse est. Quibus aliisque validissimis manifestisque rationibus perpetuo innixa apostolica Sedes aegre admodum, multaque cum cautione ad praefatum periculum quoad fieri posset removendum, nec nisi gravi aliqua intercedente causa, eaque fere publica, licentiam hanc consuevit impertiri. Episcopis vero, licet instantissime postulantibus eandem licentiam dare, in Europa praesertim, numquam concessit; imo eos etiam atque etiam hortari hactenus non destitit, ut huiusmodi matrimonia, quae ut plurimum in animarum perniciem ac fidei detrimentum vergunt, quantum in ipsis esset, removere atque impedire satagerent. Quare si a Nobis petitioni huic respondendum nunc esset, responsum certe nostrum a constanti huius sanctae Sedis regula et praedecessorum nostrorum exemplo agendique ratione dissidere non posset. At quoniam plures hac super re rationes in praesenti Galliarum statu partim a nonnullis ex vobis expositae Nobis fuerunt, partim ipsae menti nostrae occurrunt, eas quidem minime negligendas duximus. Quocirca rem omnem, praepositis rerum ac temporum circumstantiis, ad accuratum diligensque examen revocari iussimus, ut de ea plurium Theologorum et S. R. E. Cardinalium auditis exploratisque sententiis, quod magis in Domino expedire iudicabimus, decernere possimus, quod et significare quamprimum vobis non praetermittemus.

XX.

a) Pii VII. Constitutio *De salute animarum*

d. d. 16. Iulii 1821.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

De salute animarum deque Catholicae Religionis incremento pro Apostolicae servitutis officio impense solliciti curas Nostras continuo intendimus ad ea omnia, quae Christi fidelium spirituali regimini procurando magis apta, et utilia comparare posse dignoscamus. Hoc sane consilio iamdiu cogitationes Nostras praecipue intendimus in regiones illas, quae actu Dominatui subsunt Serenissimi Principis Friderici Guilelmi Borussorum Regis, ut illius intercedente ope, ac liberalitate rem sacram ibidem meliori, qua fieri posset, methodo componere valeremus.

Probe siquidem Nobis ante oculos versabatur praesens Regionum illarum ratio, nec unquam deplorare cessaveramus ingentia damna promanata ex praeteritis rerum perturbationibus, quae florentissimas olim, atque ditissimas Germaniae Ecclesias a veteri, quo praestabant, splendore deiectas, ac bonorum praesidio spoliatas, ad miserrimum redegerant statum, ex quo

summa in Catholicam Religionem, et in Catholicos ipsos pernicies promanavit.

Quumque temporum conditio minime pateretur inclytae nationis Germanicae Ecclesias ad splendidum antiquum statum aspicere revocatas, omne studium diligentiamque adhibuimus, ut tantis malis ea saltem pararemus remedia, quae ad conservandam illis in regionibus Catholicam fidem, et ad animarum Christi fidelium salutem procurandam inprimis necessaria et opportuna esse viderentur.

Huius modi autem votis Nostris mirifice obsecundavit laudatus Borussorum Rex, cuius propensam admodum invenimus et grato animo prosequimur voluntatem in Catholicos magno numero sibi subditos, praesertim ex Ei attributa grandi parte provinciarum ad Rhenum, ita ut omnia tandem fausto, felicique exitu componere, ac pro locorum positione, atque incolarum commoditate novum in Borussiae regno Ecclesiarum statum, et Dioecesium limites nunc constituere, singulasque deinde Sedes, ubi deficiant, propriis, dignis, et idoneis Pastoribus donare valeamus.

Pro expressis igitur, ac de verbo ad verbum insertis habentes, omnibus iis, quae respiciunt infra dicendas, vel Ecclesiarum, et Capitulorum, eorumque peculiarium anteriorum iurium, ac praerogativarum extinctionem, aut immutationem seu reordinationem ac respectivarum Dioecesium dismembrationem, seu novam applicationem, nec non cuiuscumque praecedentis iuris metropolitici annullationem, et insuper quorumcumque interesse habentium consensui plenarie supplentes ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praevia ex nunc omnimoda suppressione, extinctione et annullatione vacantis Episcopalis Sedis Aquisgranensis, cum illius Cathedrali capitulo ad statum simplicis Collegiatae ut infra reducendo, atque alterius Episcopalis Ecclesiae, et Capituli Cathedralis Corbeiensis, nec non Monasterii Abbatiae nuncupati Neocellensis, vulgo Neuenzell, ex nunc, itemque alterius Monasterii Abbatiae pariter nuncupati Olivensis ex nunc pro tunc, quando scilicet ex Persona Venerabilis Fratris Iosephi de Hohenzollern Episcopi Warmiensis moderni Abbatis Olivensis quomodocumque vacaverit; ut communia quoque Germanorum vota Regiis etiam aucta commendationibus benigno favore prosequamur, ad Omnipotentis Dei gloriam, et ad honorem Beati Petri Apostolorum Principis Coloniensem Ecclesiam, iam antea inter Germaniae Sedes nulli antiquitate ac splendore secundam, sub Invocatione laudati Principis Apostolorum ad Metropolitanae Ecclesiae gradum restituimus, ac in illo perpetuo constituendam esse decernimus, eidemque Metropolitanae suffraganeas assignamus Episcopales Ecclesias Trevirensem, Monasteriensem, atque Paderbornensem.

Episcopalem pariter Ecclesiam Posnaniensem sub Invocatione Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ad Sedis Metropolitanae gradum extollimus, ac constituimus, eamdemque alteri Archiepiscopali Ecclesiae Gnesnensi sub invocatione Sancti Adalberti per dimissionem Venerabilis Fratris Ignatii

Raczinski ultimi illius Archiepiscopi in manibus Nostris libere factam, et per Nos admissam ad praesens vacanti, aeque principaliter perpetuo unimus, et aggregamus, ac Venerabili Fratri Timotheo Gorszenski moderno Episcopo Posnaniensi curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae Gnesnensis plenarie committimus, eumdemque Archiepiscopum Gnesnensem, ac Posnaniensem constituimus, et deputamus, ac Archiepiscopum Gnesnensem, ac Posnaniensem semper esse, et appellari mandamus, eiusque iuri Metropolitico Episcopalem Ecclesiam Culmensem Suffraganeam assignamus.

Episcopales vero Ecclesias Wratislaviensem ac Warmiensem huic sanctae Sedi perpetuo immediate subiectas esse, ac remanere debere declaramus.

Singulis autem Archiepiscopis et Episcopis omnia et singula iura, praeeminentias, praerogativas, ac privilegia aliis illarum partium Archiepiscopis et Episcopis legitime competentia tribuimus, et confirmamus.

Quod spectat Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis, in eo duas erigimus Dignitates, Praeposituram videlicet, quae maior erit post Pontificalem, ac Decanatum secundam, decem Canonicatus Numerarios, et quatuor Canonicatus Honorarios, ac praeterea octo Vicarias seu Praebendatus.

Archiepiscopalis Ecclesiae Gnesnensis Capitulum constabit inposterum ex unica dumtaxat Praepositi Dignitate, et ex numero sex Canonicatuum, alterius vero Posnaniensis Archiepiscopalis Ecclesiae Capitulum efformabunt duo Dignitates, Praepositi videlicet, ac Decani, octo Canonicatus Numerarii, et alii quatuor Canonicatus Honorarii, nec non octo Vicariae seu Praebendatus.

Cathedralium Ecclesiarum Trevirensis, atque Paderbornensis respectivum Capitulum constabit ex duabus Dignitatibus, una nempe Praepositi, ac altera Decani, ex octo Canonicatibus Numerariis, et quatuor Canonicatibus Honorariis, atque e sex Vicariis, seu Praebendatis.

In Cathedrali Ecclesia Monasteriensi Capitulum constituent binae Dignitates, maior nempe Praepositurae, ac secunda Decanatus, octo Canonicatus Numerarii, quatuor Honorarii Canonicatus, et octo Vicariae seu Praebendatus.

Culmensis Cathedralis Ecclesiae Capitulum constabit ex binis Dignitatibus, Praepositurae videlicet, ac Decanatus, ex octo Canonicatibus Numerariis, ex quatuor Honorariis Canonicatibus, et e sex Vicariis seu Praebendatis.

Cathedralis Ecclesiae Wratislaviensis Capitulum efformabunt duo Dignitates, una videlicet Praepositurae, et altera Decanatus, decem Canonicatus Numerarii, quorum primus Scholastici Praebendam adnexam habebit, sex Canonicatus Honorarii, atque octo Vicariae seu Praebendatus.

Demum quod attinet ad Episcopalem Ecclesiam Warmiensem, illius Cathedrale Capitulum in eo, quo nunc reperitur, statu consistet; reservata

tamen Nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus Nostris facultate Capitulum ipsum ad aliarum in Regno Borussico exsistentium Ecclesiarum normam imposterum conformandi.

Porro in qualibet ex antedictis Ecclesiis tam Archiepiscopalibus quam Episcopalibus Animarum Parochianorum cura habitualis residebit penes Capitulum, actualis vero ab uno e Capitularibus ad hoc expresse designando, et praevio examine ad formam sacrorum Canonum ab Ordinario approbando cum Vicariorum auxilio exercebitur; ac in unoquoque ex iisdem Capitulis duo ab Ordinario stabiliter deputandi erunt idonei Canonici, a quorum uno Poenitentiarii, ab altero vero sacram Scripturam statis diebus populo exponendo Theologi respective munera fideliter adimpleantur.

Singulis profecto ex primodictorum Capitulorum Canonicis Honorariis, quos ad personalem residentiam et ad servitium chori minime obligatos esse declaramus, idem cum residentibus Canonicis aditus ad chorum et ad caeteras ecclesiasticas functiones patebit; Nosque ad maius praedictarum Ecclesiarum decus ac splendorem omnibus antedictis Dignitatibus, et Canonicis Indultum utendi iisdem Insigniis, quibus antea fruebantur, expresse confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus, et elargimur.

Cuilibet similiter ex supradictis Capitulis Cathedralibus nunc, et pro tempore exsistentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro novo, et circumstantiis magis accomodato earumdem Archiepiscopalium, et Episcopalium Ecclesiarum, earumque chori quotidiano servitio, nec non rerum, ac iurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, gubernio, ac directione, onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum, et aliorum quorumcumque emolumentorum exactione, ac divisione, et poenarum incurrendarum a non interessentibus Divinis Officiis incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, ac ritibus servandis, et quibusvis aliis rebus circa praemissa necessariis, et opportunis quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, et Decreta, licita tamen, atque honesta, et Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Decretisque Concilii Tridentini minime adversantia sub praesidentia, inspectione et approbatione respectivorum Archiepiscoporum, et Episcoporum edere, atque edita declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, et reformare, seu alia de novo, ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observanda, sub poenis in contrafacientes statuendis pariter condere, atque edere libere, ac licite valeant, facultatem perpetuo concedimus, et impertimur.

Dignitatum, Canonicorum, et Vicariorum seu Praebendatorum numero tam in Metropolitanis, quam in Cathedralibus Capitulis ut supra praefinito, ad ea tam pro hac prima vice, quam pro futuris temporibus componenda statuimus, ut imposterum quilibet ad Dignitates et Canonicatus assequendos infrascriptis ornatus esse debeat requisitis, nempe, quod maiores sacros Ordines susceperit, utilemque Ecclesiae operam saltem per quinquennium

navaverit, vel in Animarum Cura exercenda aut adiuvanda sese praestiterit, vel Theologiae aut Sacrorum Canonum Professor exstiterit, vel alicuique in Regno Borussico exsistenti Episcopo in Dioecesanae administrationis munere inservierit, vel demum in sacra Theologia aut in Iure Canonico Doctoratus Lauream rite fuerit consequutus; postremae tamen huiusce conditionis effectu ex iustis gravibusque causis per decennium a Data praesentium computandum in suspensum remanente. Cuiuscumque vero conditionis ecclesiasticos viros aequali iure ad Dignitates et Canonicatus obtinendos gaudere debere decernimus. Itemque statuimus unam in Monasteriensi, ac alteram in Wratislaviensi Cathedralibus Ecclesiis Canonicalem Praebendam designandam, et ab eo, ad quem iuxta mensium alternativam pertinebit, semper et quandocumque conferendam esse uni et alteri canonica requisita habentibus ex Professoribus Universitatum in dictis respectivis Civitatibus exsistentium; atque ulterius decernimus, tam Praepositum parochialis Ecclesiae Sanctae Hedwigis Civitatis Berolinensis, quam Decanum Commissarium Ecclesiasticum in Comitatu Glacensi pro tempore exsistentes inter Honorarios Canonicos Wratislaviensis Cathedralis Capituli esse cooptandos; ita ut pari cum iis fruantur iure, locum illum atque ordinem tenentes, qui secundum respectivae Nominationis tempus ipsis competere dignoscatur. Quilibet autem ex Canonicis Honorariis in unumquodque ex antedictis Capitulis cooptandus sumendus erit ex numero Archipresbyterorum animarum curam in respectiva Dioecesi laudabiliter exercentium.

Quod vero attinet ad novam supradictorum Capitulorum pro hac prima vice ea qua convenit celeritate explendam compositionem, infra nominando harum Literarum Nostrarum Exequutori potestatem facimus, ut in unaquaque Ecclesia tam Dignitates, et Canonicatus, quam Vicarias, seu Praebendatus, actu vacantes, quae ad aequandum numerum ut supra designatum fortasse deficient, dignis et idoneis Ecclesiasticis Viris ex delegata sibi speciali Apostolica facultate, ac huius sanctae Sedis nomine conferat; ita tamen ut ii dumtaxat, qui de Dignitatibus et Canonicatibus ab ipso provisi fuerint, Apostolicas novae Provisionis et Confirmationis Literas infra sex menses ex tunc proximos a Dataria Nostra impetrare, et expedire facere teneantur. Et si contingat, quod in aliqua ex Metropolitanis vel Cathedralibus in Borussiae Regno exsistentibus Ecclesiis Dignitates, Canonici, et Vicarii, seu Praebendati legitime, et canonice instituti adhuc viventes respectivum numerum a Nobis ut supra praefinitum excedant, praedictus Exequutor Apostolicus, vocatis auditisque interesse habentibus aut per voluntarias iurium abdicationes ab illis, vel ab illorum aliquibus emittendas rem componat, proviso insimul per congruas vitalitias Pensiones, iam a Serenissimo Rege pollicitas, Dimittentium sustentationi, aut si abdicationes huiusmodi minime habeantur, vel sufficientem numerum non attingant, in hoc casu, qui numerum in supradicta Nostra dispositione praefinitum excedentes Dignitatum, Canonicatuum, et Vicariatuum possessionem postremo

loco adepti fuerint, si apud Ecclesias suas resideant, Capitulares quidem, et Vicarii respective esse pergent, iuribus, et praerogativis nunc iis competentibus fruentur, suosquo reditus in ea quantitate percipient, qua in praesens gandent. Sed quando beneficia ab iis obtenta quocumque modo vacaverint, aliis conferri minime poterunt, atque ex nunc pro tunc suppressa, et extincta debeant intelligi, ad boc nt deinceps praefixus nt supra numerus in respectivis Capitulis ad amussim observetur. Quod si in aliquo Capitulo Canonici minoribus in praesentiarum fruantur reditibus, quam qui futuris eorum loco assignantur, nullum isti redituum augmentum consequentur, nisi ab Exequutore Apostolico singillatim similibns amplioribus reditibus donati fuerint.

Futuro antem tempore, ac sncceessivis vacationibns a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris Praepositura, quae Maior post Pontificalem Dignitas in supramemoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibns Ecclesiis, nec non in Ecclesia Aquisgranensi in Collegiatam nt infra erigenda, itemque Canonicatus in Mensibus Ianuarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris, ac Novembris in praefatis Ecclesiis vacantes conferentur, quemadmodum in Capitulo Wratislaviensi hactenus factum est: quo vero ad Decanatus in praedictis Metropolitanis, et Catbedralibns Ecclesiis, et ad Canonicatus tam in ipsis, quam in dicta Aquisgranensi Ecclesia in Collegiatam erigenda, in aliis sex mensibus vacantes ab Archiepiscopis et Episcopis respective conferentur. Vicariatus autem, seu Praebendatus in praedictis Ecclesiis quocumqne mense vacaverint respectivorum Archiepiscoporum ot Episcoporum collationi relinquimus.

Rem denique Germaniae gratissimam, simulquo praelaudato Borussiae Regi acceptissimam, Nos esse facturos indicantes, si electionum iure in Transrbenanis Ecclesiis retento, ac confirmato, et in Cisrhenanis cessato per Apostolicas Dispositiones anni millesimi octingentesimi primi nunc in ipsis Cisrhenanis Dioecesibus praefati Regis Temporali Dominio subiectis, idem ius electionis redintegretur, quoad Capitula Ecclesiarum ad Germaniam pertinentium, nempe Coloniensis, Trevirensis, Wratislaviensis, Paderbornensis et Monasteriensis, decernimus, ac statuimus, quod alia qnacunque ratione vel consuetudine, nec non electionis, et postulationis discrimine, nobilitatisqne natalium necessitate sublatis Capitulis praedictis, postquam supradicta metbodo constituta, et ordinata erunt, facultatem tribuimus, ut in singulis illarum sedium vacationibus per Antistitum respectivorum obitum extra Romanam Curiam, vel per earum sedium resignationem, et abdicationem (excepto tamen praesenti casu vacationis Coloniensis, ac Trevirensis Ecclesiarum) infra consnetum Trimestris spatium Dignitates, ac Canonici capitulariter congregati, et servatis Canonicis regulis novos Antistites ex Ecclesiasticis quibnscumque viris Regni Borussici incolis, dignis tamen, et iuxta Canonicas sanctiones idoneis servatis servandis ad formam sacrorum Canonum eligere possint; ad huiusmodi autem Electionis ius suffragii ha-

bebunt Canonici, tam Numerarii, quam Honorarii, ne exclusis quidem illis, qui ultra Capitularium numerum in hac reordinatione praefinitum, quoad vixerint in ipsis Capitulis conservabuntur.

Nihil vero in Capitulis Episcopalium Ecclesiarum Warmiensis, et Culmensis, nec non Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis invicem perpetuo unitarum, innovantes mandamus dnmtaxat, ut Gnesnenses et Posnanienses Capitulares ad Archiepiscopi electionem coniunctim debeant procedere. Quod antem spectat vacantem Episcopalem Ecclesiam Wratislaviensem, specialem potestatem facimus, quinqne actu in illa exsistentibus Dignitatibus, nempe Praeposito, Decano, Arcbidiacono, Scholastico, et Custode, octo Canonicis residentibus, et sex Canonicis Honorariis, qui nunc eius Ecclesiae Capitulares babentur, ut ad novi Episcopi electionem Canonicam modo, et forma praemissis, bac etiam prima vice procedere possint, et valeant.

Quaelibet vero electionum buiusmodi Instrumenta in autbentica forma exarata, ad Sanctam Sedem de more mittentur, a qna si Electio Canonice peracta agnoscetur, et ex processu Inquisitionis deinde a Romano Pontifice in singulis casibus alicui ex Arcbiepiscopis, vel Episcopis intra fines Regni Borussici exsistentibus committendo, et ad formam instructionis iussu San. Mem. Urbani Octavi Praedecessoris Nostri editae diligenter exarando de electi idoneitate constiterit, electiones buiusmodi a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris iuxta statutum morem per Apostolicas Literas confirmabuntur.

In singulis praeterea Civitatibus, tam Archiepiscopalibus, quam Episcopalibus unum Clericorum Seminarium, vel conservandum vel de novo qnamprimum erigendum esse statuimus, in quo is Clericorum nnmerus ali, atque ad formam Decretorum sacri Concilii Tridentini institui, ac edncari debeat, qui respectivarum Dioecesium amplitudini, et necessitati respondeat, quique ab Exequutore praesentium Literarum congrue erit praefiniendus: Archiepiscopi tamen Gnesnensis, et Posnaniensis iudicio, et prudentiae relinquimus, vel in utraque Civitate proprium, ac distinctum, vel unum tantum in Posnaniensi Civitate, quia amplis aedibus constat, pro Clericis ambarum Dioecesium Seminarium constabilire pront Ecclesiarum ipsarum utilitas postulaverit.

Volentes nunc praevia dismembratione, separatione, atque immutatione nonnullorum Locorum, et Paroeciarum a priorum Ordinariorum iurisdictione snbtrahendarum ad effectum illa, et illas Dioecesibus infrascriptis noviter aggregandi, atque incorporandi, prout magis in Domino opportunum visum fuerit, et auditis etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide Praepositis ad novam Dioecesium circumscriptionem procedere, ut singularum distinctis finibus quaestiones omnes auferantur circa Spiritualis iurisdictionis exercitium, earum Distributionem, ac Divisionem de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praescribimus, et constituimus iuxta eum, qui sequitur, modum, videlicet:

Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Dioecesis efformabitur ex Paroeciis sexcentum octoginta sex partim in sinistra, partim in dextera Rheni ripa positis. Et in sinistra quidem complectetur Paroecias omnes pridem in suppressa ad praesens Aquisgranensi Dioecesi contentas, quae ad Provincias pertinent Coloniensem, Dusseldorphinam, et Aquisgranensem, nempe ultra Paroecias Civitatum Coloniae, et Aquisgrani Ecclesias Cantonales nuncupatas — Bergheimerdorff — Bonna, vulgo Bonn — Brühl — Kerpen — Lechenich — Lessenich — Loevenich — Meckenheim — Münstereiffel — Zolbiacum, vulgo Zülpich — Crefeld — Dahlen — Dormagen — Elsen — Gladbach — Neuss — Urdingen — Viersen — Burtscheid — Marcodurum, vulgo Düren — Erkelenz — Eschweiler — Geilenkirchen — Gemünd — Heinsberg — Juliacum, vulgo Jülich — Linnig — Montjoie — et Niddeggen — una cum earum Ecclesiis succursalibus, et adnexis, quae in dictis Provinciis intra Borussici Regni fines modo inveniuntur, a Cantonalibus disiungendo Paroecias succursales, et adnexas extra Regnum positas, et viceversa succursales, et adnexas pridem pendentes a Cantonalibus positis extra Regnum aggregando Cantonalibus in Regno existentibus. Complectetur praeterea Cantonales Ecclesias ad Leodiensem Dioecesim pertinentes, ac temporariae administrationi moderni Vicarii Capitularis Aquisgranensis ab Apostolica Sede commissas videlicet Ecclesias Cantonales nuncupatas — Cronenburg — Eupen — Malmedy — Niederkrüchten — Schleiden — et St. Vith — una cum earum succursalibus, et adnexis in Borussica ditione sitis, ac sex Paroeciis succursalibus, nuncupatis — Afden — Alsdorff — Merkstein — Roldnc — Ubach, — et Welz — modo dependentes a Cantonali — Herckraede — posita extra Regnum Borussicum. Insuper complectetur novemdecim Provinciae Aquisgranensis ad Trevirensem Dioecesim usque nunc pertinentes Paroecias nuncupatas — Allendorff — Blankenheim — Dollendorff — Hollerath — Lommersdorff — Manderfeld — Marmagen — Mülheim — Nettersheim — Reiferscheid — Rescheid — Rigsdorff — Rohr — Schmidtheim — Schönberg — Steinfeld — Tondorff — Udelhoven — et Wildenburg — cum suis adnexis Ecclesiis. In dextera autem Rheni ripa, Provinciisque Coloniensi, Dusseldorphiana, et Confluentina Paroecias complectetur Regionum — Tuitiensis — Dusseldorphianao — Essensis — et Siegburgensis — cum earum succursalibus, et adnexis demptis tamen Paroecia — Römershagen — Paderbornensi Dioecesi ut infra applicanda, nec non Paroeciis — Hachenburg — et Marienstadt — nuncupatis, quae in Ducatu Nassaviae reperiuntur.

Dioecesis Episcopalis Ecclesiae Trevirensis, ab omni Metropolitico iure Archiepiscopi Mechliniensis subtractae, ac Metropolitanae Coloniensis suffraganeae adsignatae, constabit infra Regni Borussici fines ex Paroeciis Sexcentum Triginta quatuor, scilicet in sinistra Rheni ripa, ex iis omnibus, quae actu ad illam Dioecesim pertinent, et provincia Trevirensi continentur. Tum vero ex ea suppressae nunc Dioecesis Aquisgranensis parte, quae in Con-

fluentina provincia continentur, videlicet civitate ipsa Confluentiae, et Ecclesiis Cantonalibus nuncupatis — Adenau — Ahrweiler — Andernach — Boppard — Castellaun — Cochem — Creuznach — Kaysersesch — Kirchberg — Kirn — Lützerath — Mayen — Münstermayfeld — Niederzissen — Oberwesel — Polch — Pünderich — Remagen — Rübenach — Simmern — Sobernheim — St. Goar — Stromberg — Treiss — Ulmen — Wanderath, — et Zell — cum suis succursalibus et adnexis. Porro antem ex centum triginta duabus Paroeciis tum Cantonalibus, tum succursalibus, cum suis adnexis, quae in circumscriptione Anni millesimi octingentesimi primi Dioecesi Metensi fuerant attributae, ac deinde temporariae administrationi Vicarii Capitularis Trevirensis ab Apostolica Sede commissae. In dextra vero Rheni ripa ex cunctis Ecclesiis ditionis Borussicae, quae pridem ad ipsam Trevirensem Dioecesim spectabant, quaeque per Gallicanarum Dioecesium circumscriptionem anno millesimo octingentesimo primo a Nobis factam ab illa fuerant dismembratae, ac in praesens a Vicario Apostolico in oppido Ehrenbreitstein residente ad Nostrum beneplacitum administrantur. Tandem vero extra praedictum Paroeciarum sexcentum triginta quatuor numerum, Regnique Borussici fines, cunctis illis, quae in Territoriis Principum Coburgensis, Homburgensis, et Oldenburgensis inveniuntur, iam ipsi Dioecesi Trevirensi pertinentibus.

Dioecesim Episcopalis Monasteriensis Ecclesiae Suffraganeae Metropolitanae Coloniensis efformabunt biscentum octoginta septem Paroeciae intra fines Regni Borussici sitae, et aliae quoque extra eiusdem Regni fines in eodem Dioecesano Territorio actu comprehensae, de quibus in aliud tempus disponendi Nobis, et Romanis Pontificibus succesoribns Nostris prout opportunum in Domino iudicabitur, facultatem reservamus. Adiungimus praeterea Regiones nuncupatas — Recklinghausensem — Sterkrathensem — et Reesensem — pridem antiquae Coloniensis Dioecesis, exclusa tamen ab hac postrema Regione Paroecia Oeffelt sub Temporali Belgici Regni dominio exsistente, nec non ex Dioecesi Aquisgranensi nunc suppressa Cantonales Ecclesias nuncupatas — Calcar — Cleve — Cranenburg — Dülken — Geldern — Goch — Kempen — Meurs — Rheinberg — Wankum — Wesel — et Xanten — cum suis succursalibus et adnexis, exceptis tamen iis Dominio Regis Belgarum in temporalibus subiectis. Adiungimus insuper Paroecias nuncupatas — Elten, — et Emmerich — cum sua filiali huc usque sub missionibus Hollandicis exstantes, itemque Paroeciam — Damme — quam ab Osnabrugensi Dioecesi separamus, et Paroeciam — Oldenburgensem — quam seiungimus a Missionibus septemtrionalibus, quaeque pertinent ad ditionem Ducis Oldenburgensis. Denique moderno, ac pro tempore exsistenti Episcopo Monasteriensi perpetuo regendas, et administrandas committimus quinque Paroecias nuncupatas — Brochterbeck — Ibbenbühren — Mettingen — Recke, — et Halverde, — quae suffraganei Osnabrugensis Administrationi ad Apostolicae sedis beneplacitum erant commissae.

Paderbornensis Episcopalis Ecclesiae, Coloniensis Metropolitanae Suffraganeae, Dioecesis iisdem, quibus nunc reperitur, manebit circnmscripta limitibus. Illi praeterea adiungimus alteram nunc suppressam Dioecesim Corbeiensem cum integro suo Territorio a venerabili Fratre Ferdinando Episcopo Monasteriensi administratam, nec non ex Transrhenano antiquae Coloniensis Dioecesis Territorio Decanatus — Meschedensem — Attendornensem — Brilonensem — Wormbachensem — Medebachensem, — et Wattenscheidensem — nuncupatos cum suis Parochialibus, et Filialibus Ecclesiis, pariterque Commissariatum — Haarensem, — et Paroeciam — Römersbagen, — et ulterius — Rittbergensem, — et Wiedenbrückensem — Decanatus cum suis respective Parochialibus, et Filialibus Ecclesiis ab Osnaburgensi Dioecesi separandos, nec non a Dioecesi olim Moguntina, postea Ratisbonensi disiungendas Paroecias — Siegen — et Obernetpben — nuncupatas, civitatem Heiligenstadt — cum suo Decanatu, et Decanatus — Beurensem — Bischoferodensem — Kirchworbensem — Kühlstädtensem — Lengenfeldensem — Neuendorfensem — Nordhausensem — Rüstenfeldensem — Wiesenfeldensem — cum suis Parochialibus et Filialibus Ecclesiis, et Civitatem Erfurti — cum tribus Paroeciis suburbanis, atqne Paroecias in Territorio Magni Dncis Saxoniae Wimarensis exsistentes, nec non Paroeciam Eppensem extra Borussiae Regnum in Principatu Waldeccensi ab antiqua Coloniensi Dioecesi segregandam, et demum a Missionum septemtrionalium Vicariatu Apostolico separandas, et a futuris, ac pro tempore exsistentibus Paderbornensibus Episcopis perpetuo administrandas Paroecias — Mindensem — scilicet in Westphalia, et in Provincia Saxoniae — Adersleben — Althaldensleben — Ammensleben — Ascherslében — Hadmersleben, — Ecclesias St. Andreae, et Sanctae Catharinae Halberstadii — Hamersleben — Hedersleben — Huysburg — Magdeburg — Marienbeck — Marienstuhl — Meyendorf — Stendal — Halle — et Burg. — Attentis antem grandaeva aetate, ac egregiis de Ecclesia, et de Catholica Religione meritis, Venerabilis Fratris Francisci Egonis a Fürstemberg praestantissimi Hildesiensis, ac Paderbornensis Praesulis, ac Missionum septemtrionalium Vicarii Apostolici, ne ipsi novae administrationis onus adiungatur, decernimus et mandamus nihil circa talem Antistitem in praesens esse innovandum, sed cuncta in eo, quo nunc reperiuntur, statu interea relinqnendo, antedictam Paderbornensis Dioecesis ampliationem eo dumtaxat tempore suum effectum sortiri debere, cum Episcopali sedi Paderbornensi de laudati Antistitis Francisci Egonis Persona quomodocumqne vacanti novus Episcopus Apostolicae sedis anctoritate instituetur. Interea vero omnia Loca et Paroeciae, quae a Coloniensi et Osnabrugensi Dioecesibus, ut supra, dismembrantur, administrationi peculiaris Vicarii Apostolici a Nobis committentur, ut inibi usque ad Paderbornensis Episcopalis sedis vacationem, ac futuri novi Episcopi institutionem, exerceat spiritualem iurisdictionem: atque insuper alia loca, et Paroeciae a Dioecesi olim Moguntina postea Ratisbonensi disiuncta, et

ab Episcopo pridem Corbeiensi, nunc Monasteriensi, administrata temporaneae pariter Vicarii Apostolici Administrationi tradentur.

Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis invicem perpetuo aeqne principaliter unitarum Dioeceses efformabunt ea ipsa loca, quae actu in iisdem continentur, post novissimam Dioecesinm Regni Polonici a Nobis peractam Circumscriptionem, exceptis tamen Decanatibus Schlochaviensi — Tuchelensi, — et Camenensi, — Culmensi Dioecesi nt infra adiiciendis, ac praeterea Decanatus Kruszwicensis, Iunivladislaviensis, et Gniewkowensis a Dioecesi Wladislaviensi separandi, qui ad praesens a Vicario Apostolico Gedanensi administrantur. nec non Decanatus Ostrszeszowensis et Kempnensis disiungendi a Dioecesi Wratislaviensi. Divisionem autem et assignationem Territorii Dioecesani pro una, et altera Dioecesi statuendam infradicendo praesentium Literarum Exeqnutori peragendam expresse committimus.

Dioecesis Episcopalis Ecclesiae Culmensis, suffraganeae Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis, constabit ex biscentum quindecim Paroeciis, nempe cum suis respective Succursalibus, et Filialibus Ecclesiis ex Decanatibus Lessensi — Rhedensi — Neumarkano — Loebaviensi — Lantenburgensi — Strasburgensi — Gollubensi — Thorunensi — Culmensi — Culmseensi — et Gurcznensi — cum Paroecia Bialutten nuncupata: quae postrema dno olim Dioecesis Plocensis a suffraganeo Culmensi in praesens administrantur; itemque ex Decanatibus — Gedanensi — Putzigensi — Mirchaviensi — Dirschaviensi — Stargardensi — Noewensi — Nenenburgensi — Schwetzensi — Lauenburgensi — Schlochaviensi — Tuchelensi — Camenensi — et Fordonensi; qui Decanatus pridem Dioecesis Wladislaviensis, nunc ab antedicto Vicario Apostolico Gedanensi administrantur, nec non ex Territorio Monasterii Abbatiae nuncupatae Olivensis, ut supra, suppressi, ex nunc pro tunc, quando ex Persona moderni Abbatis qnomodocumque vacaverit. Et quoniam expositum Nobis fuit, aptas Culmae deficere Domos pro Episcopi et capituli decenti habitatione, facultatem tribuimus Apostolico harum literarum Exeqnutori, ut auditis interesse habentibus, ac re mature perpensa, firmo remanente Titulo, ac denominatione Episcopatus Culmensis, et opportunis assignatis Ecclesiae atque aedibus, residentiam Episcopi et Capituli Culmensis, si ita in Domino expedire indicaverit, Pelplinum transferre libere ac licite possit, et valeat, proviso insimul congruae Cathedralis Culmensis manutentioni.

Wratislaviensis Episcopalis Ecclesiae huic Apostolicae Sedi immediate subiectae Dioecesim efformabit actualis illius Territorium, exceptis dumtaxat Decanatibus Ostrszeszowensi, Kempnensi Dioecesi Posnaniensi ut supra incorporatis, at insuper Decanatus Plessensis, et Bytbomiensis a Cracoviensi Dioecesi disiuncti, nec non seqnentes Paroeciae in Lusatia, videlicet Neocellensis Monasterii Nullius ut supra suppressi, et aliae nuncupatae — Wittichenau — Guntersdorf — Hennersdorf — Pfaffendorf — Ubersdorf — a Decano Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri Oppidi Buddissinae in Lusatia supe-

riori, hactenus administratae: quae omnes insimul intra fines Borussici Regni Paroeciae ad sexcentum viginti unins numerum ascendent. Conservabit item illas, quas actu habet in Anstriaca Ditione Paroecias. Futuri praeterea, ac pro tempore exsistentis Wratislaviensis Episcopi Administrationi perpetuo snbiicimus eas, qnae a Vicario Apostolico Missionum septentrionalium fuerunt hucusque administratae Paroeciae in civitatibus Berolini, Potsdamii, Spandaviae, Francfurti ad Viadrum, Stettini et Stralsnndiae, quaeque imposterum vi subdelegationis Episcopi Wratislaviensis a suprammemorato Praeposito Parochialis Ecclesiae Sanctae Hedwigis dictae Civitatis Berolinensis erunt administrandae.

Denique Warmiensis Episcopalis Ecclesiae, Apostolicae Sedi pariter immediate subiectae Dioecesis ex proprio actuali Dioecesano Territorio constabit, atque insnper ex Decanatibus — Fürstenwerdensi — Nenteichensi — Marienburgensi — Stumensi — et Christburgensi — cum suis Ecclesiis tam succursalibus, quam Filialibus a Dioecesi Culmensi disiungendis, ita nt integra Dioecesis Centum novemdecim Paroecias complectatur.

Praedictas itaque Civitates et Ecclesias Archiepiscopales et Episcopales, itemque Paroecias et Loca respectivis Ecclesiis pro Dioecesi attribnta, eorumque Incolas utriusque Sexus tam Clericos, quam Laicos iisdem Ecclesiis eorumque Praesulibus pro snis respective Civitate, Territorio, Dioecesi, Clero et Populo perpetno assignamns, et in spiritualibus omnimode subiicimus, ad hoc, ut cuilibet Antistiti vel iam promoto, vel in futurum Apostolica auctoritate promovendo liceat per se vel per alios eorum nomine (postquam tamen supramemoratus Iosephus Episcopus Warmiensis praesentes Literas debitae exsecutioni mandaverit, et quoad nonnullas dispositiones nunc pro tunc a Nobis factas, cum tempus pro illarum exsecutione ut supra definitum advenerit) veram, realem, actualem et corporalem possessionem regiminis, administrationis, et omnimodo Iuris Dioecesani et Ordinarii in praedictis Civitatibus, ac earum Ecclesiis, et Dioecesibus, nec non bonis, aliisque reditibus ad ipsarum dotationem, ut infra assignandis vigore literarum Apostolicarum Canonicae Institutionis libere apprehendere, apprehensamqne retinere; propterea que statim, ac in locis per hanc Nostram dispositionem singulis Dioecesibus nunc attribntis possessionem sumpserint, illarumque Regimen actu consecuti fuerint, omnis antiquorum sub quocumque Ordinariorum, seu Vicariorum, vel administratorum Titulo iurisdictio cessare debebit, omnesque facultates in partibus, et locis ab eorum iurisdictione subtractis nullius erunt amplius roboris vel momenti.

Nos enim ad respectivorum Dioecesanorum utilitati consulendum praescribimus et iniungimus, ut omnia et singula Documenta respicientia Ecclesias, Dioeceses, Paroecias, et loca ut supra dismembrata, ac de novo applicata a veteribus Cancellariis extrahi, et Cancellariis Dioecesium, quibus erunt incorporata, opportuna forma tradi, atque in iis perpetuo debeant asservari.

Vicissim autem Venerabiles Fratres moderni, ac pro tempore exsisten-

tes Pragensis, et Olomucensis Archiepiscopi, nec non Episcopi Reginorhadecensis, et Litomericensis eamdem, quam nunc exercent, spiritualem Iurisdictionem in Regno Borussico etiam inposterum conservabunt.

Filiales, vero et Parochiales Ecclesias earumque Fractiones in hac Nostra Dispositione non comprehensas, et extra Regnum Borussiae exsistentes a Matricibus et Parochialibus in eodem Regno positis disiungimus, et a proximioribus ordinariis aliis Matricibus, et Parochialibus Ditionum, quibus in temporalibus subiacent, applicandas esse mandamus, ac vicissim de Paroeciis et Filialibus Ecclesiis cum suis Fractionibus intra Borussicum Regnum positis, quae a Matricibus extra idem Regnum exsistentibus pendent, idem observandum esse decernimus; reservata Nobis et huic Apostolicae sedi cura de Spirituali Regimine aliis Partibus et Locis, si opus fuerit, providendi.

Inspectis autem Dioecesium Borussici Regni amplitudine, ac magno Dioecesanorum numero, cum difficile admodum esset Archiepiscopis et Episcopis, Confirmationis Sacramentum Christi fidelibus administrare, aliaque Pontificalia munera sine alterius Episcopi opera et auxilio exercere; hinc Nos confirmantes suffraganeatus in Dioecesibus Regni Borussiae in quibus constituti reperiuntur, eos in Coloniensi, ac Trevirensi Dioecesibus redintegramus, et de novo constituimus: atque id circo quilibet Archiepiscopus et Episcopus Nos et Romanos Pontifices Successores Nostros iuxta praescriptum morem supplicabit, ut aliquis Ecclesiasticus Vir opportunis praeditus requisitis, ad Suffraganei munus designetur, ac praevio Canonico processu, servatisque consuetis formis de Episcopatu Titulari in Partibus Infidelium cum assuetae congruae adsignatione provideatur.

Quoniam vero praeclaram antiquissimam Coloniensem Sedem Archiepiscopalem duximus redintegrandam, potius quam Episcopalem Sedem Aquisgranensem illius quodammodo loco viginti dumtaxat ab hinc annis erectam conservare; aliquam tamen Civitatis Aquisgranensis rationem habendam esse existimantes, cognita etiam in id propensa Serenissimi Borussici Regis voluntate, decernimus ac statuimus, quod Ecclesia sub Titulo Beatae Mariae Virginis antea Cathedralis in Collegiatam immutetur, eiusque Collegiale Capitulum constet ex unica tantum Praepositi dignitate, et sex Canonicatibus cuius, et quorum Collatio semper quoad Praepositaram Apostolicae Sedi, et quoad Canonicatus eidem Sedi Apostolicae alternatim cum Coloniensi Archiepiscopo spectare debeat ac pertinere. Huiusmodi autem Capitularibus, ex peculiari gratia licentiam deferendi Cappam magnam sericam, violacei coloris cordulis sericis subsutam cum pellibus armellinis hyemali, aestivo autem tempore Mozzettam supra Rochettum concedimus et indulgemus, atque ulterius facultatem condendi statuta iisdem modo et forma, quibus de Capitulis Cathedralium Ecclesiarum supra eluculenter dictum est, tribuimus et impertimur.

In Exequutorem itaque praesentium Nostrarum Literarum praedictum

Venerabilem Fratrem Iosephum Episcopum Warmiensem, de cuius prudentia, doctrina atque integritate plurimam in Domiuo fiduciam habemus, expresse nominamus, eligimus, constituimus et deputamus, eidemque committimus, ut supradicta omnia et singula a Nobis disposita ad praestitutum finem perducat, atque pariter ad effectum vacantes Ecclesias de idoneis Pastoribus, quae prima necessitas est, cito providendi et cunctas res Ecclesiasticas ad meliorem statum et ordinem revocandi quaslibet Ecclesias congrua et firma dotatione muniri studeat, media ad hoc necessaria benevolentissime ac liberaliter exhibente praelaudato Serenissimo Borussiae Rege, qui magnanimi Principis animum et propensissimam erga Catholicos eius Imperio subiectos voluntatem pro ordinandis absque ulla mora Dioecesibus omnibus Regni Borussiae aperte declaravit et sequentibus ratione ac modo stabilienda et applicanda proposuit.

Super publicis Regni Sylvis nominatim designandis tot Census auctoritate Regia imponentur, quot erunt Dioeceses dotandae et in respectiva quantitate, ut ex iis annui fructus ab omnibus cuiuscumque generis oneribus prorsus liberi percipi possint, qui satis sint, vel ad integram ipsarum Dioecesium dotationem si nullam actu habeant, vel ad Supplementum eiusdem dotationis si partem aliquam suorum Bonorum adhuc possideant, ita ut singulae Dioeceses eos annuos reditus imposterum habeant, qui reditibus pro Archiepiscopali, vel Episcopali mensa, pro Capitulo, pro Seminario Dioecesano, proque suffraganeo statutis in quantitate singulis inferius designanda perfecte respondeant, atque huiusmodi Censuum proprietas per Instrumenta in legitima, validaque Regni forma stipulanda et a praelaudato Rege subscribenda unicuique Ecclesiae conferetur. Et quoniam enunciatae Sylvae, prout et publica Bona omnia Regni Borussiae, ob aes alienum, a Gubernio, bellorum causa contractum, hypotheca gravata sunt, atque ob id super nulla earum parte Census imponi eorumque fructus percipi, salva fide, possunt, antequam imminuta, per solutiones a Gubernio Creditoribus hypothecariis factas, aeris alieni summa, sufficiens sylvarum quantitas hypothecae vinculo liberata fuerit; cumque secuudum legem, qua Serenissimus Rex Creditoribus publicis cavit, anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio a Magistratibus definiendum sit, qui agri ab eo vinculo soluti, quique adhuc nexi remanebunt, hinc decernimus praedictos Census, super sylvis supramemoratis, dicto anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio et citius etiam si prius antedictae sylvae ab hypotheca saltem pro rata Censuum imponendorum liberatae fuerint, esse imponendos, propptereaque a singulis Dioecesibus immediate saltem post annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium praedictorum Censuum fructus esse percipiendos; ex nunc autem usque ad totum annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium, vel usque ad celeriorem dictorum Censuum impositionem, eamdem argenti summam fructibus Censuum respondentem ab Aerariis Provincialibus unicuique Dioecesi esse numerandam. Ne vero ullo modo nu-

merationis prorogatio ultra annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium timeri possit, quum forte Magistratus intercesserint, ne Census imponantur. non satis diminuta publici aeris alieni quantitate, laudatus Rex ultro promisit, conceptisque verbis sese obligavit, si praeter omnem expectationem id accidat, se curaturum esse, ut tot agri Regiis impensis emantur pleno dominii iure singulis Ecclesiis tradendi, quot necessarii sint, ut eorum reditus annuas illas summas exaequent, quae a Censibus percipiendae essent, nisi impedimentum illud intercessisset. Quae omnia cum Serenissimus Rex per Diplomata in valida Regni forma a se subscribenda in tuto ponere, sit pollicitus, ut plenum et integrum effectum suo tempore sortiantur; hinc supradictus Iosephus Episcopus Diplomata huiusmodi singulis Ecclesiis tradet in respectivis Archivis asservanda.

Similes autem reditus ad formam promissionis Regiae, deductis oneribus, conflare debebunt sequentes annuas dotationum summas, nempe pro Archiepiscopo Coloniensi, ac pro Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi duodecim millium thalerorum Borussicorum, pro Episcopis Trevirensi, Monasteriensi, Paderbornensi et Culmensi octo millium thalerorum eiusdem monetae, pro Episcopo vero Wratislaviensi duodecim millium thalerorum dictae monetae, ultra reditus fundi Würbeniani ad eius Episcopalem mensam spectantis pro parte Dioecesis in Regno Borussico, salvis manentibus illis reditibus, quos percipit ex reliqua Dioecesis parte temporali Dominio Charissimi in Christo Filii nostri Francisci Austriae Imperatoris, atque Hungariae et Bohemiae Regis Apostolici subiecta; quod vero ad Warmiensis Episcopalis mensae dotationem pertinet, firmis bonis ac reditibus, quibus actu illa mensa gaudet, nihil in praesens innovandum esse declaramus, sed aliquando ad aliarum in Regno Borussico mensarum normam Apostolica interveniente auctoritate fore conformandam.

Pari methodo Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Capitulum dotabitur in annua Summa pro Praeposito thalerorum Borussicorum bismille, pro Decano thalerorum item bismille, pro quolibet ex duobus primis Canonicis numerariis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus sex Canonicis thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis Canonicis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, pro quolibet demum ex octo Vicariis seu Praebendatis thalerorum biscentum.

In Archiepiscopali Ecclesia Gnesnensi pro Praeposito et sex Canonicis, quibus illud Capitulum imposterum constabit, ea redituum quantitas conservabitur, qua Praepositus et sex Capitulares Seniores actu fruuntur. In Capitulo Archiepiscopalis Ecclesiae Posnaniensis reditus praedicto modo assignabuntur in annua summa pro Praeposito thalerorum mille octingentorum, pro Decano thalerorum pariter mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex quatuor sequentibus thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thale-

rorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis seu Praebendatis thalerorum biscentum.

In Capitulis Cathedralium Ecclesiarum tam Trevirensis, quam Paderbornensis pro Praeposito thalerorum mille quatuor centum, item pro Decano thalerorum mille quatuor centum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille, pro duobus sequentibus thalerorum noningentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum et pro quolibet e sex Vicariis seu Praebendatis thalerorum biscentum.

In Episcopali Ecclesia Monasteriensi pro Praeposito thalerorum mille octingentorum, ac pariter pro Decano thalerorum mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex seqnentibus quatuor thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum et pro quolibet ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

In Ecclesia Cathedrali Culmensi pro Praeposito thalerorum mille biscentum, item pro Decano thalerorum mille biscentum, pro primo Canonico thalerorum mille, pro secundo thalerorum nongentorum, pro quolibet ex reliquis sex thalerorum octingentorum, pro quolibet e quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro qnolibet e sex Vicariis seu Praebendatis thalerorum biscentum.

In Cathedrali Ecclesia Wratislaviensi pro Praeposito thalerorum bismille, pro Decano similiter thalerorum bismille, pro primo Canonico Praebendam Scholastici obtinente thalerorum mille quingentorum, pro qnolibet e duobns sequentibus thalerorum mille centum, pro quolibet ex aliis septem thalerorum mille, pro quolibet e sex Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis seu Praebendatis thalerorum biscentum.

In Ecclesia vero Episcopali Warmiensi nihil circa eius Capituli dotationem, et formam ad praesens immutandum esse declaramus, reservata tamen nobis et Romanis Pontificibus, successoribus nostris, facultate illos aliquando ad reliquarum Borussici Regni Ecclesiarum normam conformandi.

Aquisgranensis praeterea Ecclesiae per nos in Collegiatam ut supra constitutae Capitulum, constans ex unica Praepositi Dignitate, et sex Canonicatibus eamdem annuorum redituum summam conservabit, qua actu gaudet.

Committimus pariter antedicto Iosepho Episcopo Warmiensi, ut Clericorum Seminariis in qualibet Dioecesi opportune constabiliendis firma remanente possessione Bonorum, quae ad praesens obtinent eas vel partiales vel integras pront necessitas, atque utilitas postulabit Bonorum dotationes attribuet, quae ab adpromissa Serenissimi Borussiae Regis liberalitate suppeditabuntur.

Mandamus qnoque eidem Iosepho Episcopo, ut pro cuiuslibet Antistitis

decenti residentia, vel vetera Episcopia, si commode fieri poterit, vel alias Domos ad id a praefato Rege in respectivis Civitatibus, atque etiam alteras Ruri, si facile possit concedendas; itemque Domos pro Dignitatibus, Canonicis et Vicariis seu Praebendatis, nec non pro Curia Ecclesiastica, pro Capitulo et Archivo tribuendas opportune statuat atque assignet.

Ad manutentionem vero Fabricarum tam Metropolitanarum, quam Cathedralium Ecclesiarum, comprehensis quoque suppressis Cathedralibus Corbeiensi et Aquisgranensi, atque ad divini cultus, ac Inservientium expensas ea Bona ac reditus etiam in futurum conservabuntur, quae iis usibns iam sunt destinata, quaeque Serenissimns Rex diligentissime servaturum est pollicitus; et in casu extraordinariae necessitatis confidimus fore, ut rebus hisce de Thesauro Regio liberaliter provideatur.

Antedicto Iosepho Episcopo praeterea iniungimus, ut cuiuslibet Archiepiscopalis, et Episcopalis Ecclesiae suffraganeatus assuetae congruae Dotationi provideat, ntque singulis Archiepiscopis et Episcopis ad satisfaciendum expensis Vicariorum Generalium, et Curiae eam redituum tribuat quantitatem, quae a praelaudato Borussiae Rege iuxta liberalem ac providam suam promissionem hisce titulis factam constituetur.

Et quoniam Serenissimus Borussiae Rex ultro Nobis pollicitus est, se non modo Domos illas tam ad alendos emeritos senes, vel infirmos sacerdotes, quam ad coercendos Ecclesiasticos discolos, ubi existunt conservaturum, sed etiam novas, ubi desunt constabiliturum, propterea ipsi Iosepho Episcopo committimus, ut cognitis iis, qnae de hac re statuerit praelaudatus Rex, auditisque respectivis Locorum Ordinariis, snb qnorum iurisdictione huiusmodi Domus manere debebunt, omnia quae opus erunt circa memoratas Domos earumque congruam dotationem disponat.

Cum vero in suppressis Corbeiensi, et Aquisgranensi Cathedralibus Ecclesiis Sacra reperiantur supellectilia ad Pontificalia in illis exercenda non amplius necessaria, facultatem praedicto Iosepho Episcopo concedimus ea in usnm, et commodum Archiepiscopalis Ecclesiae Coloniensis, si opus fuerit, sin minus in usum aliarum Regni Ecclesiarum, quae iis indigeant, libere valeat convertere.

Habita nunc ratione redituum supramemoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibns Regni Borussiae Ecclesiis ad praesens respective adsignatorum, in Libris Camerae Apostolicae prout sequitur, nempe Ecclesiam Coloniensem in Florenis Mille auri de Camera, Ecclesias invicem unitas Gnesnensem, et Posnaniensem in Florenis pariter Mille, Ecclesiam Wratislaviensem in Florenis Mille centum sexaginta sex cum duobus tertiis, Ecclesiasque Trevirensem, Monasteriensem, Paderbornensem, Culmensem, et Warmiensem in Florenis sexcentum sexaginta sex cum duabus tertiis taxari mandamus.

Ut autem cuncta a Nobis nt supra disposita rite, feliciter ac celeriter ad optatum exitum perducantur, supradicto Iosepho Episcopo Warmiensi harum Literarum Exequutori deputato omnes et singulas ad huiusmodi

effectum necessarias et opportunas concedimus facultates, ut praeviis respectivis dotationibus per Instrumenta in valida Regni forma exaranda ad uninscuinsque Ecclesiae cum suo Capitulo, sive erectionem sive novam ordinationem, ac respectivi Territorii Dioecesani circumscriptionem procedere, aliaque omnia ut supra ordinata peragere atque statuere delegata sibi Apostolica auctoritate libere et licite possit et valeat, atque ulterius ipsi Iosepho Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in Locis praesertim ab eius residentia remotis executionem unam, seu plures, personam vel personas in simili, vel alia Dignitate Ecclesiastica constitutam vel constitutas subdelegare, et tam ipse Iosephus, quam persona vel personae ab eo sic subdeleganda vel subdelegandae super quacumque oppositione, in actu executionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare libere item ac licite possint et valeant, ac quilibet eorum respective possit et valeat.

Eidem vero Iosepho Episcopo expresse iniungimus ac mandamus, ut exempla singulorum actorum tam per se, quam per ab eo Subdelegatos in praesentium Literarum executionem conficiendorum intra Quadrimestre ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat in Archivio Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more asservanda.

Praesentes autem Literas et in eis contenta, ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo ius, aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes cuiusvis status, ordinis, conditionis et praeeminentiae, ac etiam specifica expressa et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis auditi fuerint, sive ex alia qualibet etiam laesionis, vel alia iuridica privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, ac substantialissimo, sive etiam ex eo quod in praemissis Solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda, minime servata et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint non sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque Iuris, facti, vel institiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, decretis, aut declarationibus, generalibus vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac tamquam ex Pontificiae Providentiae Officio certa scientia et potestatis plenitudine

Nostris factas et emanatas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo et inviolabiliter observari, ac supradictarum Ecclesiarum Episcopis et Capitulis aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, nequo ad id in iudicio, vel extra cogi, seu compelli posse et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsns inane esse ac fore volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis et Concessionibus quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus, quibus omnibus, et singulis eorumque totis tenoribus, ac formis, etiam si specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium, et singulorum, effectum latissime, et plenissime ac specialiter, et expresse ex certa scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse declaramus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus praeterea, ut harum Literarum Nostrarum Transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Publici subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, restitutionis, erectionis, unionis, dismembrationis, disiunctionis, separationis, aggregationis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, indulti, elargitionis, assignationis, suppletionis, subiectionis, attributionis, statuti, declarationis, commissionis, deputationis, Mandati, Decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Do-

minicae Millesimo Octingentesimo Vigesimo primo Decimo Septimo Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Vigesimo secundo.

b) E Diplomate restitutionis eccles. Metrop. Colonien. a. 1825.

Num. 18. Capitularium omnium officium hoc erit primum, ut pia conversatione et morum exemplo clero populoque praeluceant; item ut litteras sacras, unusquisque pro ingenio ac modulo suo, diligenter colant, eamque vitae rationem sequantur, quae eorum dignitati conveniat. Insuper dignitates et canonici numerarii tenentur apud ecclesiam metropolitanam residere, divinis officiis, praesertim missarum solemniis quotidie interesse, rem divinam secundum ordinem stabilitum pie, rite et attente facere, Archiepiscopo in licitis et honestis obedientes esse, eidemque in negotiis Ecclesiae gerendis, quum postulatum fuerit, operam fidelem et alacrem praestare. Qua de re fusius agendum erit in statutis capituli condendis.

c) Leonis XII. Constitutio *Impensa Romanorum*

d. d. 26. Martii 1824.

Leo Episcopus, Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Impensa Romanorum Pontificum sollicitudo, qua in universae Catholicae Ecclesiae bonum advigilant, ad ea procuranda ipsos compellit, quibus Fidelis Populi commoditati consulatur, ut pro locorum, ac temporum ratione facilius ad ea pertrahatur, quae sint Divini Cultus, quaeque ad aeternam animarum salutem valeant conducere. Hinc assiduis ipsi studiis in id semper connisi sunt, ut Dominico Gregi nunquam deessent Pastores, qui eum in salutaria pascua deducerent, et in iustitiae semitis retinerent.

Id sane potissimum intendit Praedecessor Noster felicis recordationis Pius Septimus pro cura, quam in Religionis utilitates, ubi maxime de ipsius discrimine metuendum videbatur, enixe impendebat, quando post teterrimas praeteritorum temporum calamitates omnibus in tota Germania Episcopalibus Sedibus opportune prospicere studuit, cogitationesque suas pariter convertit ad duas antiquitate, et dignitate praestantes Ecclesias, Hildesimensem scilicet, atque Osnabrugensem, quae usque a Caroli Magni aevo suam ducunt originem, quaeque nunc intra fines Hannoveriani Regni continentur.

Re propterea collata cum Serenissimo Georgio Quarto Regnorum Magnae Brittaniae et Hiberniae unitorum, nec non Hannoverae Rege, ac Brunswicensi, et Luneburgensi Duce, laudatus Pontifex, auditis etiam nonnullis ex venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, de faciliori ratione deliberandum censuit, quae in tanta rerum conversione occurrebat, unice ad binas illas Episcopales Sedes cum suis Capitulis aliquo pacto conservandas, atque ad dotem ipsis, ac Dioeceses quo posset aptius praefiniendas.

Cumque Nos, meritis licet imparibus, ad Summi Pontificatus apicem

Divina sic disponente benignitate fuerimus evocati, in id etiam sedulo incumbere debuimus, ne de illa Catholici Gregis portione minus solliciti videremur. Perspeximus quidem a Sacrorum Canonum rigore haud mediocriter temperandum fuisse, multumque locorum, temporum, ac personarum conditioni, aliisque id genus peculiaribus adiunctis tribuendum. Ast cum maxime congruat, Praedecessorum vestigiis inhaerere, atque ad exitum perducere, quae Pius Septimus morte praeventus nequivit Apostolicae Auctoritatis munimine roborare, novum in Hannoveriano Regno Ecclesiarum, et Capitulorum statum novosque Dioecesium limites ad eorum normam, quae laudatus Praedecessor duxerat admittenda, constitui necessarium conspeximus.

Habentes igitur pro expressis, ac de verbo ad verbum prolatis iis omnibus, quae praedictarum Ecclesiarum et Capitulorum anteriora iura, privilegia ac praerogativas respiciunt, et consensui supplentes eorum omnium, quorum intersit, de Apostolicae potestatis plenitudine, praevia omnimoda suppressione, extinctione et cessatione prioris status earundem Ecclesiarum et Capitulorum, decernimus, quod ex nunc in posterum Capitulum Cathedralis Ecclesiae Hildesimensis efformetur ab unica Decanatus Dignitate et Sex Canonicis ac quatuor Vicariis seu Praebendatis.

Mensae Episcopalis annui reditus erunt in Summa Quatuor mille thalerorum monetae conventionalis, ut infra percipiendorum, ac insuper aedes pro decenti habitatione, si non adsint, noviter Episcopo erunt attribuendae.

Decanus Capituli Cathedralis annuo reditu Thalerorum mille quingentorum monetae conventionalis, duo Canonici Seniores mille quatuor centum, tertius et quartus Canonicus mille, postremi duo Canonici octingentorum, ac quatuor Vicarii seu Praebendati quatuorcentum ut infra percipiendorum, respective gaudebunt, atque insuper Decanus, quilibet Canonicus, et duo Vicarii in ordine priores Domos habebunt, unicuique eorum Praebendae assignandas.

Ad huiusmodi autem reditus constituendos praefatus Georgius Rex spopondit intra quadriennium a data praesentium numerandum tot Fundos, ac bona stabilia, Decimas, et census reales iisdem Episcopo, et Capitulo ea, qua singulis par est quantitate, se traditurum, quot praedictis annuis adsignatis reditibus ab omni cuiuscumque generis onere prorsus liberis et immunibus respondeant, ita tamen, ut antea per infrascriptum harum Literarum Exequutorem Apostolicae Sedis iudicio subiiciantur, quo accurate perpenso necessariam ab ipsa adprobationem nanciscantur. Interea vero, donec isthaec redituum adsignatio in Fundis ac Bonis stabilibus, Decimis, Censibusque realibus locum habeat, memoratae Summae Episcopo, et Capitulo a Thesauro Regio quotannis in pecunia numerata integre ac libere erunt persolvendae.

Quod vero spectat Ecclesiam Osnabrugensem, quoniam praesentes rerum circumstantiae utramque Ecclesiam dotari posse non sinunt, nova ipsius Osnabrugensis Episcopalis Mensae, Capituli, ac Seminarii dotatio

suspensa perstet: usquedum necessaria ad id suppetant media, quo casu in fundis, bonis stabilibus, decimis, censibusque realibus erit perficienda. Atque tunc Osnabrugensis Episcopus non secus ac Episcopus Hildesimensis annno reditu quatuor millium Thalerorum monetae conventionalis in supramemoratis bonis gaudebit, Capitulum eodem, ac Hildesimense Capitularium et Vicariorum numero constabit, paresque reditus annui eisdem respective assignabuntur; nec non Episcopali Seminario ea redituum anuua summa tribuctur, quae necessitatibus et utilitati Dioecesis valeat respondere.

Quamdiu autem Episcopatus Osnabrugensis dotatio suspensa manebit, Episcopali Mensae Hildesimensi augmentum bismille Thalerorum e Bonis Ecclesiasticis in Provincia Osnabrugensi sitis percipiendorum, itemque Decano Hildesimensis Capituli augmentum tercentum Thalerorum assignabitur, ab ipsis annuatim respective percipiendorum, perduraute tantummodo praedicta dotationis Episcopatus Osnabrugensis suspensione.

Atque interea, ne Dioecesis Osnabrugensis, cui ob eas rationes designari in praesens Antistes nequit, legitimo careat Rei Sacrae regimine, mandamus, ut Venerabilis Frater Carolus de Gruben, Episcopus Parensis in partibus Infidelium, eiusdemque Osnabrugensis Ecclesiae suffraganeus, Dioecesim ipsam, quoad vixerit, gubernare prosequatur, eoque defuncto Hildesimensis pro tempore Episcopus Dioecesim quoque Osnabrugensem facultatibus ad id ab Apostolica Sede qualibet vice sibi speciatim delegandis administrare, suumque Vicarium in Spiritualibus Generalem, qui in Civitate Osnabrugensi resideat, debeat adsciscere. Qui quidem Vicarius, dummodo vere dignus et idoneus iudicatus fuerit, a Romano Pontifice titulo alicuius Episcopalis Ecclesiae in partibus Infidelium, servatis omnibus servandis, decorabitur ad hoc, ut Pontificalia in ipsa Civitate et Dioecesi Osnabrugensi exercere possit et valeat. Eidem idcirco Vicario Generali Osnabrugensi pro sua et Episcopalis Curiae dotatione annua persolvenda erit summa trium millium Thalerorum monetae conventionalis a praelaudati Serenissimi Regis liberali munificentia promissa, quae in ipsius Vicarii Generalis congruam, et in annuam laboribus respondentem mercedem Ecclesiasticorum, qui suam eidem in ea procuratione operam commodabunt, erit impendenda.

Donec autem proprium Osnabrugense Seminarium erigi potuerit, huiusce Dioecesis Clerici alentur atque educabuntur in Episcopali Seminario Hildesimensi, cui propterea bona ac reditus, quibus actu gaudet, integre conservabuntur: quod idem dictum volumus de bonis ac reditibus in tuitionem Aedium Sacrarum, tam Hildesimensis, quam Osnabrugensis, atque in sumptus Divini Cultus ac Ministrorum mercedem adsignatis.

Quotiescumque vero aliqua ex supradictis Sedibus Episcopalibus, tam Hildesimensi, quam Osnabrugensi, quae ambae perpetuis futuris temporibus immediate subiectae erunt Apostolicae Sedi, vacaverit, illius Cathedralis Ecclesiae Capitulum intra Mensem a die vacationis computandum Regios Ministros certiores fieri curabit de nominibus Candidatorum e Clero totius

Regni selectorum, quorum unusquisque trigesimum suae aetatis annum ad minimum compleverit, et indigenatu praeditus sit, studia in Theologia et Iure Canonico cum laude absolverit, curam animarum, aut munus Professoris in Seminariis egregie exercuerit, aut in administrandis negotiis Ecclesiasticis excelluerit, optima fama gaudeat, sana doctrina et integris sit moribus. Ac si forte aliquis ex Candidatis ipsis Gubernio sit minus gratus, Capitulum e catalogo eum expunget, reliquo tamen manente sufficienti Candidatorum numero, ex quo novus Episcopus eligi valeat. Tunc vero Capitulum ad Canonicam Electionem in Episcopum unius ex Candidatis, qui supererunt, iuxta consuctas formas procedet, ac documentum electionis in forma authentica intra mensem ad Summum Pontificem perferri curabit.

Confectio autem Processus informativi super qualitatibus Promovendorum ad regimen Episcopalium Ecclesiarum Regni Hannoveriani, vel Episcopo alterius Sedis non vacantis, vel Ecclesiastico illius Regni Viro in Dignitate constituto a Romano Pontifice committetur, et ad formam Instructionis ab Apostolica Sede in singulis casibus transmittendae exarabitur, quo accepto Summus Pontifex, si compererit Promovendum instructum iis dotibus, quas Sacri Canones in Episcopo requirunt, eum, quo citius fieri poterit, iuxta statutas formas per Apostolicas Literas confirmabit.

Si vero, aut Electio minime fuerit canonice peracta, aut Promovendus praedictis dotibus instructus non reperiatur, ex speciali gratia indulgemus, quod Cathedrale Capitulum ad novam Electionem ut supra canonica methodo valeat procedere.

Novus Episcopus ab altero Regni Episcopo iam consecrato, atque facultatem expresse ad id ab Apostolica Sede habente, assistentibus duobus aliis Episcopis ad hoc rogatis, et in eorum defectum duobus Praelatis Pontificalium usum habentibus, vel his quoque deficientibus duobus Presbyteris e Regni Clero in Ecclesiastica Dignitate constitutis, consecrabitur.

In Capitularium numerum alii non admittentur, nisi qui indigenatu et qualitatibus a sacris canonibus requisitis praediti sint, triginta saltem annorum aetatem habeant, et in Presbyteratus Ordine sint constituti, quique in exercenda cura Animarum, vel in alio obeundo Ecclesiastico Ministerio, vel Professoris munere in Seminario Episcopali conspicuos sese reddiderint.

Quotiescumque vero Decanatus, aut Canonicatus, vel Vicariatus in Cathedralibus vacaverit, Episcopus et Capitulum alternis vicibus intra sex hebdomadas a die vacationis proponent quatuor Candidatos supraenuntiatis praeditos qualitatibus. Quod si forte aliquis ex ipsis Candidatis Gubernio invisus aut suspectus sit, id quamprimum Episcopo respective, aut Capitulo indicari poterit, ut expungatur: tunc autem Episcopus ad collationem Decanatus, Canonicatus, aut Vicariatus, vel respective Capitulum intra quatuor hebdomadas procedet ad nominationem unius ex Personis Gubernio non invisis nec suspectis, cui Episcopus canonicam dabit Institutionem.

Ad novam nunc procedendo circumscriptionem Dioecesium Episcopatus

Hildesimensis, qui actu a Venerabili Fratre Francisco Egone a Fürstenberg moderno eius Episcopo gubernatur, et Osnabrugensis, qui suo a pluribus annis orbatus Pastore a suprememorato Carolo Episcopo Parensi ac eiusdem Osnabrugensis Ecclesiae Suffraganeo cum Apostolicis sibi delegatis facultatibus administratur, praevia dismembratione, separatione ac immutatione a quorumcumque Metropolitanorum, Episcoporum, seu Ordinariorum ac Vicariorum Apostolicorum iurisdictione, superioritate ac potestate omnium et singularum Civitatum, Terrarum, ac Paroeciarum intra Regni Hannoveriani limites comprehensarum decernimus, prout a Pio VII. Praedecessore Nostro designatum fuerat, ut Regnum ipsum in duas omnino Dioeceses a cursu fluminis Visurgis vulgo — Weser — nuncupati tanqnam suis limitibus separatas dividatur, ita ut Paroeciae ad dexteram eiusdem Fluminis partem sitae Dioecesi Hildesimensi, Paroeciae autem ad sinistram Visurgis Ripam positae Dioecesi Osnabrugensi respective assignentur, prout sequitur, videlicet:

Dioecesis Hildesimensis efformabitur a sequentibus quinquaginta quinque Parochialibus Ecclesiis ad ipsam Hildesimensem Dioecesim iam pertinentibus, nempe — Achtum — Adlum — Ahrbergen — Gros-Algermissen — Asel — Bauenstedt — Bettmar — Bilderlah — Bokenem — Bolzum — Borsum — Dettfurt — Dingelbe — Dinklar — Dorstadt — Gross-Düngen — Emmerke — Gross-Giesen — Grasdorf — Grauhoff — Gronau — Goslar — Harsum — Heinig — Ecclesiae Cathedralis — S. Godehardi — S. Magdalenae — SSmae Crucis in Civitate Hildesheim sitae — Hennekenrode — Himmelsthür — Hobenbameln — Hunnesrück — Itzum — Lamspringe — Liebenburg — Marienrode — Moritzberg — Ottbergen — Peine — Poppenburg — Ringelheim — Ruthe — Schladen — Söder — Söhre — Sorsum — Sottrum — Steinbruck — Vienenburg — Gross-Vörste — Westfeld — Wiedelah — Winzenburg — Wöhle — Woldenberg —. Atque insuper a viginti Parochialibus, ac tredecim Curatis Succursalibus nuncupatis Ecclesiis in Provincia Eichsfeldiae positis, et antiquae Metropolitanae Ecclesiae Moguntinae, seu Ratisbonensi olim subiectis, quae in praesentiarum a Venerabili Fratre Carolo Friderico de Wendt Episcopo Basinopolitano in partibus Infidelium, ac Hildesimensis Ecclesiae Suffraganeo uti Vicario Apostolico administrantur, videlicet Paroecia — Duderstadt — cum tribus Succursalibus Ecclesiis — Gerblingerode — Fisslingerode, — et Westerode — nuncupatis, ac Paroeciis — Breitenberg — Desingerode — cum duabus succursalibus Ecclesiis — Werxhausen, — et Esplingerode — denominatis, necnon Paroeciis — Immingerode — Nesselroeden — Seulingen — Seeburg — Bernshausen — cum succursali Germershausen — atque Paroeciis — Lindau — Bilshausen — Crebeck — cum succursali — Bodensee, et Parochialibus Ecclesiis — Wolbrandshausen — Gieboldehausen Rolshausen — Rudenshausen — Rhumspringe — cum succursali Hilkerode: Paroecia quoque — Fuhrbach — cum duabus succursalibus — Langenha-

gen, — et Brochthausen, — necnon Paroecia — Oberfeld — cum succursali — Mingerode: Paroecia quoque — Noerthen cum duabus Ecclesiis succursalibus, ac Paroecia — Renshausen. — Denique a tribus Paroeciis — Hannover — Göttingen —, et Celle — vulgo nuncupatis, quae hactenus a supradicto moderno Episcopo Hildesimensi Missionum septemtrionalium Vicario Apostolico fuerunt spiritualiter gubernatae.

Dioecesis Osnabrugensis constabit ex sequentibus Decanatibus, videlicet ex Decanatu Ecclesiae Cathedralis et Civitatis Osnabrugensis septem continente Paroecias, quarum duae reperiuntur in Civitate ipsa Osnabrugensi, reliquae vero in ipsius Territorio, nuncupanturque — Bellm — Bissendorff — Rulle — Schledehausen, — et Wallenhorst: — ex Decanatu — Iburg — vulgo denominato septem pariter complectente Paroecias, ut sequitur nuncupatas, id est — Borgloh — Glandorf — Glane — Hagen — Iburg — Laer, — et Oesede; — ex Decanatu — Fürstenau — qui undecim sequentes complectitur Paroecias, nempe — Berge — Fürstenau — Merzen — Neuenkirchen — Schwagstorf — Voltlage — Alfhausen — Anhum — Badbergen — Berssenbrück: — et Quakenbrück: — ex Decanatu — Vörden — nuncupato, qui undecim sequentes complectitur Paroecias, videlicet — Lage — Malgarten — Vörden — Bomte — Hunteburg — Osterkappeln — Sanctae Annae — Gesmold — Melle — Riemsloh — Wellingholthausen; — necnon partes illas Paroeciarum — Damme, — et Neuenkirchen, — quae intra limites Regni Hannoveriani reperiuntur; ex Archipresbyteratu inferioris Comitatus — Lingen — duodecim continente Paroecias, videlicet — Bawinkel — Besten — Freren — Lengerich — Messingen — Schapen — Thuine — Baccum — Bramsche — Lingen — Plantlünne, — et Spelle; — necnon ex Viginti septem Paroeciis in Districtu de — Meppen — comprehensis, et ad Monasteriensem Dioecesim iam pertinentibus videlicet — Aschendorf — Beesen — Bokeloe — Börger — Dörpen — Emsbüren — Haren — Haselünne — Heede — Herzlake — Hesepe — Holte — Laten — Lorup — Meppen — Papenburg — Ecclesia Principalis, ac alia eiusdem nominis — Ecclesia Succursalis — Rhede — Ruttenbrock — Steinbild — Sögel — Schepsdorff — Salzbergen — Twiest — Twiestingen — Werlte, — et Wesuwe. — Tres quoque adiunguntur Paroeciae in Frisia Orientali positae, et praefatae Monasteriensi Dioecesi iam subiectae, quae — Emden — Leer, — et Norden — vulgo nuncupantur. Et postremo octo Paroeciae, quae reperiuntur in Comitatu — de Bentheim — actu a Regno Hannoveriano in temporalibus dependentes, et hactenus a praefato Monasteriensi Episcopo gubernatae, nempe — Bentheim — Brandlecht — Emblicheim — Laerwalde, — seu Wolda — Nordhorn — Neuenhaus — Schüttorff, — et Wittmarschen.

Praedictos vero Decanatus, Paroecias et Loca Episcopis pro tempore Hildesimensi et Osnabrugensi pro eorum respective Dioecesibus attributa, eorumque Incolas utriusque sexus, tam Clericos, quam Laicos iisdem Eccle-

siis eorumque Praesulibus pro suis respective Territorio, Dioecesi, Clero et Populo perpetuo assignamus, et in spiritualibus omnimodo subiicimus propterea que, statim ac praesentes Litterae plenariae fuerint Exequutioni mandatae, omnis antiquorum Metropolitanorum, Ordinariorum, Vicariorum Apostolicorum, seu Administratorum iurisdictio in supradictis locis, Decanatibus et Paroeciis cessare debebit, omnesque tunc facultates in Locis et Partibus ab eorum iurisdictione subtractis nullius roboris vel momenti amplius futuras declaramus.

Ut insuper commoditati Populorum sic ut supra respectivis Episcopis subiectorum consulatur, praescribimus, ut omnia et singula documenta respicientia Ecclesias et Loca ut supra dismembrata, et de novo applicata a veteribus Cancellariis extrahi, et Cancellariis Dioecesium, quibus erunt incorporata, debeant opportuna forma tradi atque in iis perpetuo asservari.

Habita modo ratione redituum Episcopalis Mensae Hildesimensis de more taxari in Florenis septingentis quinquaginta sex Auri de Camera, et huiusmodi Taxam in libris Camerae Nostrae Apostolicae describi mandamus. Quod vero spectat Episcopalem mensam Osnabrugensem, quando locus factus fuerit illius dotationi ut supra enuntiatae, Ecclesiam ipsam de more taxari in Florenis sexcentum sexaginta sex Auri de Camera cum duobus tertiis, eamdemque Taxam in Libris Apostolicae Camerae similiter describi mandamus.

Denique, ut cuncta a Nobis ut supra disposita rite ad suum perducantur effectum, supradictum Franciscum Egonem Episcopum Hildesimensem in harum Litterarum Apostolicarum Exequutorem cum omnibus et singulis necessariis et opportunis facultatibus deputamus, ut praeviis respectivis dotationibus in valida forma perficiendis ad uniuscuiusque Ecclesiae cum suo Capitulo novam Ordinationem, ac respectivi Territorii Dioecesani Circumscriptionem procedere, aliaque omnia ut supra ordinata peragere et statuere, delegata sibi Apostolica Auctoritate libere ac licite possit et valeat, atque ulterius ipso Francisco Egoni Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in locis praesertim ab eius residentia remotis Exequutionem quamcumque Personam seu Personas in Ecclesiastica Dignitate constitutam vel constitutas subdelegare, ac tam ipse, quam Persona vel Personae ab eo sic subdeleganda vel subdelegandae super quacumque oppositione in Actu Exequutionis huiusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de iure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronuntiare libere item ac licite possint et valeant ac quilibet eorum respective possit et valeat.

Eidem insuper Francisco Egoni Episcopo expresse iniungimus, ut exempla singulorum Actorum, tam per se, quam suos subdelegatos in harum litterarum Exequutionem conficiendorum, intra quadrimestrem ab ipsarum expleta Exequutione ad Apostolicam Sedem in authentica forma transmittat in Archivio Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more asservanda.

Praesentes autem Literas et in eis contenta ac statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo ius, aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes, cuiusvis status, ordinis, conditionis, et praeeminentiae, ac etiam specifica, expressa et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis auditi fuerint, sive ex qualibet etiam laesionis, vel alia iuridica, privilegiata ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno inexcogitato, substantiali ac substantialissimo, sive etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, vel facti, aut iustitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, aut declarationibus generalibus vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac tamquam ex Pontificiae Providentiae Officio, certa scientia, et potestatis plenitudine Nostris factas et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac supradictarum Ecclesiarum Episcopis et Capitulis, aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, neque ad id in iudicio vel extra cogi, seu compelli posse; et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse ac fore volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, et Concessionibus quamvis specifica et individua mentione dignis, omnibusque et singulis Apostolicis ac in Synodalibus, Provincialibus et Universalibus Conciliis editis,

specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus: Quibus omnibus et singulis, eorumque totis tenoribus ac formis, etiamsi specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus et derogatum esse declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus item, ut harum Litterarum Nostrarum Transsumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Suppressionis, Extinctionis, Annullationis, Dismembrationis, Separationis, Unionis, Circumscriptionis, Assignationis, Indulti, Subiectionis, Suppletionis, Declarationis, Deputationis, Commissionis, Mandati, Decreti, Derogationis et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicae Millessimo Octingentesimo Vigesimo Quarto Septimo Kalendas Aprilis Pontificatus Nostri Anno Primo.

A. G. Card. Pro-Datarius.
I. Card. Albanus.

Visa de Curia:
D. Testa.

Loco † Plumbi. F. Lavizzarius.

XXI.

a) Breve Pii VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem

d. d. 25. Martii 1830.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Litteris altero abhinc anno ad Leonem XII. gloriosae memoriae Praedecessorem Nostrum datis diligenter, Venerabiles Fratres, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen, propterea, quod civili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium educentur, simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias has Vestras, quas eae litterae

plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati Nostrae inscrutabili Dei iudicio reservatum est, ea Vobis responsa reddere, quae Praedecessor Noster praebere, morte praeventus, non potuit. Siquidem sanctae huic Sedi prorsus non licet illa omnia permittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis. Verum duo sunt, quae haud parum Nos recreant, videlicet Vestrum pariter et sacerdotum, qui sub Vobis sunt, pro doctrina Ecclesiae tuenda servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII. litteris demonstrastis, ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo Vobis fuit, ut, Apostolicae huic Sedi integrum rerum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus Vestris consuleretis. Hinc enim merito confidimus, non modo Vos rescriptis hisce Nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Maiestatem Vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus, sed ipsam attingunt matrimonii eiusdem sanctitatem et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras religionis catholicae regulas custodiatis. Itaque ad rem propius venientes, haud Nobis opus est, ut Fraternitates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus, quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum Vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum deformitatis et spiritualis periculi prae se ferunt, abhorrere, atque idcirco Apostolicam hanc Sedem summo semper constantique studio curasse, ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quodsi Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnumquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, Venerabiles Fratres, ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sartae tectae habeantur; quandoquidem exploratum est, catholicas personas, seu viros, seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, Nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas illa a Vobis, aut a parochis Vestrarum dioecesium fieri assentiremur, per quae si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare Nos summopere commendantes zelum illum Vestrum, quo catholicos Vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus allaborastis, enixe

Vos in Domino exhortamur, ut posthac pariter in id ipsum sedulo incumbatis in omni patientia et doctrina, horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi. Iuxta haec igitur, quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab Episcopo seu a parocho edocenda erit, quaenam circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serioque admonenda de gravi scelere, quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat; et maxime opportunum erit eandem adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostrae religionis dogma, quod extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: proindeque agnoscat, se in filios, quos a Deo exspectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda eo praesertim tempore, qno nuptiarum dies instare videatur, dumqne consuetis proclamationibus disqniritur, utrum alia sint, quae illis obstent, impedimenta canonica. Quodsi nonnullis in casibus paterna hniusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona censuris in illam nominatim expressis corripienda, ne tumultns aliquis excitetur et graviora rei catholicae mala obveniant; sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a qnovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illnd solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum), ut audito utriusque partis consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. Sequitur iam, ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint, catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum, ut avertantur, qnoad fieri poterit, scandala, quae ex hniusmodi nuptiis oriri denunciastis, itemque nt catholici illi, qui in coniunctione vivant eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum snum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum, denique nt in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Iam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per Nostras has litteras volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25. Martii 1830) in Vestris dioecesibus contrahi contingat, non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud

obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur; prout Nos auctoritate Nostra Apostolica matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae, quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt, ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere in caritate Dei et patientia Christi, ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Posthaec supervacaneum ducimus, venerabiles Fratres, Vos excitare, ut attendatis, quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne catholicae religioni creetur invidia, quandoquidem Fraternitates Vestras id probe nosse compertum Nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a Vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant, catholicos sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae religionis sunt, Ecclesiae regulas servent, ipsosque eodem spiritu duci, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem quendam metum, sed propter conscientiam custodiant. Nobis quidem vehementer dolet, quod Vos ab his, in quibus estis, angustiis penitus eximere non potuerimus. Sed nolite deficere animo. Ipse Serenissimus Rex, qui propensam in catholicos sibi subditos voluntatem solemniter patefecit factoque ipso aliis occasionibus comprobavit, non patietur (ut plane confidimus) in hoc negotio, quod religiosa Vestra officia directe afficit, Vos diutius exagitari, sed anxietatibus Vestris pro sua clementia commotus et Nostris pariter votis obsecundans, Vobis remittet, ut religionis catholicae regulas hac etiam in re servare ac exequi libere valeatis. Quod ut feliciter eveniat, a Deo, in cuius manibus corda sunt regum, suppliciter implorandum est: quemadmodum assiduis precibus Nos facimus, et Vos pariter enixe facturos non dubitamus. Interea praecipuae, qua Vos amplectimur, caritatis testem esse volumus Apostolicam benedictionem, quam Fraternitatibus Vestris, nec non omni Clero ac fideli populo Vestris curis concredito peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 25. Martii 1830.

b) Instructio Cardinalis Albani ad Archiepiscopum Coloniensem atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem

d. d. 27. Martii 1830.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia P. P. VIII. ad Archiepiscopum Coloniensem atque ad Episcopos Trevirensem, Paderbornen-

sem et Monasteriensem rescribens per litteras datas die 25. Martii 1830., eis iam significavit, quam magno moerore affectus ipse sit ob graves angustias, in quibus illos versari cognoverat, propterea quod civilis lex in eorum regionibus anno 1825. lata statuerit, nt proles utriusqne sexus ex matrimoniis mixtis orta in religione patris aut certe ad eius arbitrium educetur, et sacerdotibus interdixerit, ne a personis connubia buiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa futurae prolis educatione sponsionem. Non enim potuit Sanctitas Sua ullo modo declinare a constanti illo studio, quo Sedes Apostolica semper advigilavit, ut sacri canones, qui mixtas huiusmodi nuptias, deformitatis et spiritualis periculi plenas, severe probibent, religiose custodirentur. Multo autem minus declinare potuit a sanctissimo illo Sedis eiusdem instituto, per quod Romani Pontifices, quum interdum (aegre scilicet et graves tantum ob causas) matrimonia huiusmodi permitterent, suis dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utrinsque sexus ex eo coniugio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina prorsus lex vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committat, exinde sane manifestum est, memoratas omnes cautiones idcirco adbiberi, nt naturalis eadem divinaque lex sarta tecta habeatur. Quare Sanctitas Sua debitis prosequens laudibus praedictos Antistites pro pastorali zelo, quo catholicos suae curae concreditos avertere conati sunt a nuptiarum foedere illicite cum acatholicis coniungendo, illos enixe in Domino adhortata est, nt posthac quoque in id ipsum sedulo prudenterque allaborent, simul vero et nonnulla iisdem litteris praescripsit, quae Episcoporum eorundem molestiis leniendis profutura viderentur, quaeque pertinerent ad catbolicos in illicita illa connubia prolabentes ad meliora consilia atque ad salutarem poenitentiam facilius reducendos. Atque una declaravit, magnam se erigi in spem, non modo Episcopos pontificiis illis rescriptis religiose obsecuturos, sed ipsum quoque Serenissimum Regem pro sua aequitate et erga catbolicos sibi subditos indulgentia haud aegre laturum, si animarum pastores Maiestati suae in civilibus rebus ex animo obsecundantes, in hoc tamen negotio, quod ipsam attingit matrimonii sanctitatem et religiosa coniugum officia respicit, sacras religionis catholicae regulas observent. Quam utramque spem nunc etiam magnopere fovet Summus Pontifex, dum hac instructione supradictis quatuor Episcopis nunciari vult alia nonnulla, quae circa eamdem rem indulgenda aut toleranda decrevit. Et primo quidem ad matrimonia quod attinet, quae in quatuor dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi hucusque inita sunt praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, iam SSmus Dominus Noster suis illis ad Episcopos litteris

indicavit, se eisdem delegaturum facultates idoneas, ut possint malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi. Nimirum Summus Pontifex, memor vicarium se esse Iesu Christi, qui venit quaerere et salvum facere, quod perierat, ad infelicem respexit illorum catholicorum conditionem, qui in coniugio viventes coram Deo et Ecclesia irrito, sed coram civilibus loci legibus valido, in magna redeundi ad bonam frugem difficultate versantur, et misericordia erga eos motus ipsis aperire decrevit faciliorem viam ad poenitentiam. Itaque Archiepiscopo Coloniensi et Episcopis Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi per hanc instructionem significatur, Sanctitatem Suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi unusquisque illorum tamquam delegatus Apostolicae Sedis possit in sua dioecesi confirmare atque etiam in radice sanare nuptias usque ad diem receptionis praesentis instructionis initas inter unam partem catholicam et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sint, quod in eis contrahendis servata non fuerit forma a Tridentino Concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta, ideo SSmus Dominus Noster plenam ipsis quatuor Episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tanquam Sedis Apostolicae delegatus ab impedimentis illis in sua dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus Apostolica Sedes ob graves causas dispensare iam solet, et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta ibidem usque ad praesens tempus contracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas Sua eisdem Episcopis delegat, quod praeclaram de illorum virtute opinionem fovet planeque confidit, ipsos potestate tam ampla prudentissime usuros. Et praeterea Summus Pontifex declarat, Episcopos eosdem illa omni potestate uti posse etiam per alios idoneos ecclesiasticos viros a se speciatim subdelegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis usum spectantia, de quibus Sanctitas Sua Episcopos eorumque subdelegatos admoneri mandavit. Primo scilicet, ut in singulis casibus perspiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat nova per utramque partem consensus significatione, ea scilicet significatione, quae debito modo fiat et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a Sede Apostolica exigi consueverunt. Et hanc quidem consensus renovationem tunc ipsi procurent, quando omnibus specialis cuiusque casus adiunctis diligenter perpensis, nullum gravioris mali periculum fore censuerint in ea re postulanda et perficienda: contra vero si gravia ea mala iuste metuenda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo, ut quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanent in radice, admonere omnino teneantur catholicam partem de gravitate sceleris ab ipsa patrati eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque imprimis adhortari illam in Domino, ut suis obligationibus sedulo satisfaciat, ei praesertim, quae catholicam filiorum utriusque sexus educationem respicit.

Tertio, ut Episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter confirmandis, quae coram civili lege brevi dissolvendae praevideantur per sententiam laici magistratus divortium inter partes pronuntiantem. Et haec quidem SSmus Dominus Noster indulgenda decrevit ad catholicos, qui in praedictis qnatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens usque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis facilius revocandos.

Idem vero indulgentiae modus neqnaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint, quandoquidem ex ipsa facilis remedii spe animum plures sumerent ad peccandum. Ceterum Sanctitas Sna in litteris ad eosdem Episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declaravit matrimonia mixta in praedictis quatnor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25. Martii 1830) incunda vera et rata matrimonia fore, quamvis praeter formam contrahantur a Tridentino Concilio praescriptam, dummodo tamen nullum alind eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Novit equidem Summns Pontifex molestias illas gravissimas, in quibus quatuor illi Episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, qnod catholici quidam insano amore turpiter dementati nnptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis, et sacerdotes vexant eisdem ea in re connivere abnnentes. Adhuc tamen Sanctitas Sua Antistites ipsos in Domino adhortatur, nt illorum improbitati suam in pastoralibus officiis constantiam opponant, quin immo et eosdem ad saniora satagant consilia revocare. Quodsi aliquo in casu, paternis hisce sacrorum pastorum studiis in irritum cadentibus, catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinqno ineundi removeri non possit, et impedimentum, cuius relaxatio postulatur pro nuptiis valide contrahendis, pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum gradum sive consanguinitatis sive affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta, quae inter levantem et levatum intercedit) vel tandem ad pnblicam honestatem ex sponsalibns ortam: tunc Episcopum ipsum considerare oportebit, ntrum iusta atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, ut non privatorum hominum dumtaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque una oportebit illum implorare fervidis precibus lumen Spiritus sancti, ut deinde in re tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domino expedire censuerit. Iam vero si quis ex quatuor Episcopis saepe memoratis eadem illa causae gravitate permotus, ab aliqno praedictorum graduum (non tamen ab aliis gradibus, neqne ab alio quovis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensaverit, hoc sane Summus Pontifex nullo unqnam sno actu probaturus est, tolerabit tamen invito quidem, sed patienti animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab Episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque servatis, quae pariter modo declarabuntur. Nimirum primo, qnum facultates aliae, quas Sedes Apostolica Episcopis iisdem delegare iam consuevit

pro matrimoniis inter catholicos ineundis, ad quinquennii tempus definitae sint, declarat Sanctitas Sua praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27. Martii 1830. inchoandum duraturam et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedentur, non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censeri valeat, nisi ipsa quoque novo actu verbisque expressis fuerit repetita. Insuper secundo decrevit etiam SSmus Dominus noster, ut quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur a gradibus eadem tolerantia comprehensis, Episcopus concedere illam nequeat, nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne et sedulo adhortatus fuerit ad eosdem religiose custodiendos monueritque imprimis de gravissimo scelere, quo apud Deum rea fiet, si nuptias huiusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis utriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. Tertio: Atque si alio in casu (quod Deus avertat) contigerit, ut Episcopus, qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit ad catholicam ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam, necessitati cedendum iudicet, et dispensationem a se tribuendam, quamvis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interveniat, statuit Sanctitas Sua, ut tum quoque Episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum seu per litteras catholicae eidem parti tradendas, ubi perspicuis verbis denuncietur, impedimentum, quod nuptiis obstaret, idcirco tantum eo in casu relaxari, ne graviora scandala eveniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam gravissime catholicam partem, quae illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro quum deinde eaedem nuptiae illicitae hac ratione contrahentur, non modo abstinendum erit ab ecclesiastico quovis ritu nuptiis ipsis admiscendo, sed etiam a quocunque alio actu, quo sacerdos approbare illas videatur, quemadmodum in supradictis Sanctitatis Suae litteris praescriptum est. Post haec Sanctitas Sua ad Crucifixi pedes provoluta protestatur, se ad tolerantiam praedictam ea dumtaxat de causa adduci seu verius pertrahi, ne graviora religioni catholicae incommoda obveniant. Ceterum tolerantia eadem Episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit, quod implorato sancti Spiritus lumine censuerit in Domino expedire, et cetera omnia, quae dicta sunt, religiose servaverit. Postremo Sanctitas Sua Episcopos monet enixeque in Domino obtestatur, ut videant etiam atque etiam, ne ex huiusmodi ipsorum ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum matrimonia illa detestantium et constantissimi studii, quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc Episcoporum aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit, flagrantiori in posterum zelo in id incumbere, ut in catholicis eorum

curae commissis tum privatim tum publice instruendis, doctrinam et leges Ecclesiae ad connubia eadem pertinentes prudenter simul et sedulo commemorent earumque custodiam incutiant.

Romae die vigesima septima Martii anno Domini 1830.

(Sig.) I. Card. Albanus.

XXII.

E Brevi Gregorii XVI. ad Episcopos Bavariae

d. d. 27. Maii 1832.

Summo iugiter studio advigilavit Apostolica Sedes, ut Ecclesiae canones, qui nuptias catholicorum cum haereticis severe prohibent, religiose custodirentur. Et quamvis ad graviora evitanda scandala quandoque in aliquibus locis necesse fuerit, illicita huiusmodi matrimonia tolerare, non tamen praetermiserunt Romani Pontifices, omni, qua possent, ratione providere, ut tunc etiam iis in locis fidelis populus edoceretur, quantum deformitatis et spiritualis periculi nuptiae illae prae se ferant, quantique propterea sceleris reus sit catholicus vir aut mulier, qui canonicas ea de re sanctiones violare praesumserit. Quodsi interdum Romani ipsi Pontifices sanctissimum idem canonicum interdictum relaxarunt in peculiaribus casibus, id sane graves ob causas et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus consueverunt adiicere conditionem expressam de praemittendis matrimonio debitis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus in sanctitate religionis catholicae omnino educaretur. Itaque Nos, qui licet immerentes supremam Petri cathedram, Deo ita disponente, tenemus, prae oculis habentes rationem illam a Praedecessoribus Nostris sanctissime initam, non potuimus, Ven. Fratres, non contristari vehementer ob allatos e Vestris dioecesibus (uti ex aliis diversis locis) plures certosque nuntios, ex quibus intelleximus, inveniri isthic nonnullos, qui apud populum curis Vestris concreditum fovere omni ope nituntur omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque ad eam facilius promovendam opiniones disseminant catholicae veritati contrarias. Scilicet ipsi, ut accepimus, affirmare audent, catholicos posse libere ac licite matrimonia cum heterodoxis contrahere non modo non impetrata Ecclesiae dispensatione (quae iuxta notas regulas in singulis casibus ab hac Apostolica Sede imploranda est), sed praetermissis etiam debitis, quas supra memoravimus, cautelis, illa praesertim, quae est de prole universa catholice educanda; quin imo eo res devenit, ut iidem mixta illa connubia tunc etiam probanda esse contendant, quum haeretica pars habeat priorem alium coniugem adhuc viventem, a quo divortio discesserit; ad

haec et graves poenarum minas adhiberi curarunt, quibus inducantur animarum pastores, ut mixtas nuptias in Ecclesia coram catholico populo proclament, et postea assistant actui, quo illae contrahantur, vel saltem contracturis dimissoriales, quemadmodum appellant, litteras concedant; denique nec desunt ex ipsorum illorum numero, qui sibi aliisque persuadere conantur, non in catholica solum religione salvari hominem, sed eos quoque, qui haeretici sint atque in haeresi moriantur, ad aeternam vitam posse pertingere........

Porro ad rem venientes, initium, ut par est, facimus ab iis, quae fidem spectant, sine qua impossibile est placere Deo, et quam, ut supra monuimus, nonnulli in discrimen adducere conantur ad libertatem matrimonii mixti latius inducendam. Ignotum Vobis non est, Ven. Fratres, quam impenso constantique studio maiores nostri inculcaverint eum ipsum, quem illi negare audent, fidei articulum, qui est de catholicae fidei atque unitatis necessitate ad consequendam salutem........

Eia igitur, Fratres venerabiles, assumite gladium Spiritus, quod est Verbum Dei, totisque animorum viribus gliscentem errorem eradicare contendite. Sic agite, sicque agant ductu Vestro ceteri, qui sub Vobis sunt, animarum curatores, ut fidelis Bavariae populus excitetur ad Catholicam fidem atque unitatem tamquam ad unicam salutis viam ardentiori usque studio custodiendam, atque adeo ad omne illius deserendae periculum vitandum. Quae quidem catholicae unitatis tenendae necessitas ubi fuerit impressa in cunctis Bavarorum fidelium animis alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere conabimini a nuptiarum foedere cum haereticis coniungendo; aut si aliqua interdum gravis causa interveniat, quae mixtas huiusmodi nuptias suadere videatur, ut illas non aliter contrahant, nisi impetrata Ecclesiae dispensatione et conditionibus, quae, ut supra diximus, praescribi ab illa solent, religiose servatis. Vestrum scilicet officium est, ut fideles mixta illa connubia inire cupientes (uti et eorum genitores aliive, sub quorum cura sunt) edoceantur sedulo, quaenam circa eam rem canonum sententia sit, graviterque moneantur, ne eos in perniciem animarum suarum perfringere audeant. Quare si res ita postulet, revocare in illorum memoriam oportebit notissimum illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non peccata solum, sed pericula etiam ad peccatum proxime inducentia vitare iubemur, uti et praeceptum aliud eiusdem legis, quo parentibus iniungitur filios educare in disciplina et correptione Domini (Ephes. 6, 4.) ideoque et erudire ipsos ad verum Dei cultum, qui unice in catholica religione est. Hinc adhortabimini fideles illos, ut serio perpendant, quantam supremo Numini iniuriam faciant, et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi nuptiis mixtis temere contrahendis se filiosque ipsos perversionis periculo committant. Atque ut gravitas periculi eiusmodi luculentius appareat, commemorabitis iisdem saluberrima illa Apostolorum, Patrum ca-

nonumque monita, quae sunt de periculosa cum haereticis familiari conversatione evitanda. At vero si nonnumquam contigerit, quod Deus avertat, nt monita et adhortationes huiusmodi in irritum cadant, et catholicus aliquis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petita seu non impetrata Ecclesiae dispensatione, vel debitis cautionibus seu earum aliqua praetermissa, tunc sane sacri pastoris officium erit, abstinere non solum a matrimonio ipso sua praesentia honestando, sed etiam a praemittendis eidem proclamationibus atque a dimissorialibus litteris concedendis. Vestrum autem est, Ven. Fratres, admonere parochos ac rite ab iisdem exigere, ut ab omni huiusmodi actu se abstineant. Enimvero animarum curator, qui se aliter gereret, in praesentibus praesertim Bavariae adiunctis approbare quodammodo illicitas illas nuptias facto suo videretur et illarum libertatem animarum saluti imo et fidei causae perniciosam sua ipse opera foveret.

Post haec vix est, nt aliqua addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii inter catholicos et haereticos contrahendi, in quibus pars acatholica habeat viventem adhuc priorem coniugem, a quo divortio seiuncta fuerit. Nostis, Ven. Fratres, quanta ex divino iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eiusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret; praeterquam si priores illae nuptiae, quas haeretica pars divortio dissolutas esse autumat, irritae omnino fuissent propter aliquod, quod illis vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quae supra dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab haeretica parte iam antea initi cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum.....

XXIII.

Ex Encyclica Gregorii XVI.

d. d. 15. Augusti 1832.

In hoc ideo elaborandum vobis est adsidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui plena pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit, uti Patres Florentini Concilii diserte declararunt.[1]) Est autem singulorum Episcoporum Cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire, et pascere, qui in eis est,

[1]) Conc. Flor. Sess. 25. in definit.

gregem Dei. Presbyteri vero subiecti sint oportet Episcopis, quos uti animae parentes suscipiendos ab ipsis esse monet Hieronymus [1]; nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere ac docendi et concionandi munus sibi sumere sine sententia Episcopi, cuius fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur. [2] Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiae, quantum in ipsis est, perturbare.

Nefas porro esset atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio et morum norma et iurium Ecclesiae ministrorumque eius ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam civilique auctoritati subiectam.

Quum autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet Ecclesiam eruditam fuisse a Christo Iesu eiusque Apostolis, atque a Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri [3], absurdum plane est ac maxime in eam iniuriosum, restaurationem ac regenerationem quandam obtrudi, quasi necessariam, ut eius incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censeri ipsa possit vel defectui vel obscurationi vel aliis huiuscemodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut recentis humanae institutionis iaciantur fundamenta, illudque ipsum eveniat, quod detestatur Cyprianus, ut, quae divina res est, humana fiat Ecclesia. [4] Perpendant vero, qui consilia id genus machinantur. uni Romano Pontifici ex sancti Leonis testimonio canonum dispensationem esse creditam, ipsiusque dumtaxat esse, non vero privati hominis, de paternarum regulis sanctionum quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit sanctus Gelasius [5], decreta canonum librare decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti temperentur......

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictari in praesens comploramus Ecclesiam, indifferentismum scilicet seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur......

Quum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga principes fides atque submissio labefactatur facesque perduellionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes,

---

[1] S. Hieron. ep. ad Nepot. — [2] Ex can. Ap. 38. — [3] Conc. Trid. Sess. XIII. decr. de eucharist. in prooem. — [4] S. Cypr. ep. 52. edit. Baluz. — [5] S. Gelasius in ep. ad Episcop. Lucaniae.

non esse iuxta Apostoli monitum, potestatem nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.[1] Quocirca et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in principes desciscere ipsosque ab imperio deturbare connituntur......

Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta exstitit ac salutaris.

At ad ceteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus et in communi discrimine dolore quodam praecipuo angimur, accessere consociationes quaedam statique coetus, quibus, quasi agmine facto cum cuiuscumque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis seditionumque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

XXIV.

a) Breve Gregorii XVI. d. d. 26. Septembris 1835.

Gregorius PP. XVI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Dum acerbissimas ingemiscimus catholicae religionis calamitates et iacturas ex teterrimo diuturnoque bello, quo nefarii homines apertique Ecclesiae hostes, coacto undique agmine, totis viribus totisque artibus, tum armis, tum calumniis, tum contumeliis et maledictis, tum seditiosis denique sacrilegisque libellis eam, si fieri posset, prorsus exinanire ac destruere adnituntur; dumque immanem eorum illacrymantes execramur barbariem, qui propterea in regularium claustra religiososque viros diabolica furentes insania, ad eos penitus rapinis, incendiis caedibusque perdendos, divina omnia et humana violare non desinunt: ad augendas, quibus die noctuque ob id premimur angustias, illud etiam calamitosissimum ac summopere deplorandum accedit, quod inter eos, qui pro religione editis operibus certant, nonnulli simulate se intrudere audeant, qui similiter pro eadem videri volunt et ostentant se dimicare, ut retenta religionis specie, veritate autem despecta, facilius possint per philosophiam seu per vanas eorum philosophicas commentationes et inanem fallaciam incautos seducere atque pervertere, hinc et populos decipere fidentiusque inimicis palam saevientibus adiutrices porrigere manus. Quapropter ut Nobis impiae et insidiosae quorumdam horum scriptorum molitiones innotuerunt, non distulimus per

[1]) Ad. Rom. 13, 2.

Nostras Encyclicas aliasque Apostolicas Litteras callida eorum et prava denunciare consilia erroresqne damnare, simul et exitiales patefacere fraudes, quibus divinam Ecclesiae constitutionem et ecclesiasticam disciplinam, immo et totum ipsum publicum ordinem funditus evertere vaferrime contendunt.' Et quidem tristissimo facto comprobatum est, eos, deposito tandem simulationis velo, perduellionis vexillum contra quamcumque a Deo constitutam potestatem alte iam extulisse. Verum non haec sola subest gravissima lugendi causa. Praeter enim eos, qui omnium catholicorum scandalo se perduellibus devoverunt, ad amaritudinem Nostrarum cumulum in theologicum etiam stadium prodire videmus, qui novitatis cupidine et aestu semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, magistri exsistunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia, et publicum etiam, si qnod tenent in scholis et academiis, docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, qnod tueri se iactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter huiusmodi erroris magistros ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur Georgius Hermes, utpote qui audacter a regio, quem universa Traditio et SS. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramitem stravere, deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliatur in dubio positivo tamquam basi omnis theologicae inquisitionis et in principio, qnod statuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem. Quae quum ex plurium Germaniae theologorum sacrorumque Ecclesiae Pastorum denunciationibus, reclamationibus et expostulationibus ad Nostras pervenerunt aures, ne credito Nobis Apostolatus officio ac sacrosancti fidei depositi custodiendi muneri deessemus, statim curavimus, ut Hermesii opera ad sanctam Sedem mitterentur examinanda; quod et factum est. Sunt autem sequentia (Germanice edita):

»I. Einleitung in die Christkatholische Theologie von Georg Hermes, »Professor der Dogmatischen Theologie an der Universitaet zu Münster. »Erster Theil. Philosophische Einleitung. Münster in der Coppenrathschen »Buch- und Kunsthandlung. 1819. II. Einleitung in die Christkatholische »Theologie von Georg Hermes, Doctor der Theologie und Philosophie, Pro»fessor der Theologie an der Rheinischen Friedrich-Wilhelms-Universitaet »Bonn und Domcapitular der Metropolitankirche zu Koeln. Zweiter Theil. »Positive Einleitung. Erste Abtheilung. Münster in der Coppenrathschen »Buch- und Kunsthandlung 1829. III. Christkatholische Dogmatik von »Georg Hermes, Doctor der Theologie und Philosophie, Professor der Theo»logie an der Rheinischen Friedrich-Wilhelms-Universitaet Bonn und Dom»capitular der Metropolitankirche zu Koeln, nach dessen Tode herausgegeben »von Dr. J. H. Achterfeldt, ordentl. Professor der Theologie an der Uni»versitaet und Inspector des katholisch-theologischen Convictoriums zu Bonn.

»Erster Theil. Münster in der Coppenrathschen Buch- und Kunsthand-»lung. 1834. (videlicet latine)

(I.) Introductio in theologiam christiano-catholicam, auctore Georgio Hermes, theologiae dogmaticae in academia Monasteriensi professore. Pars prima, introductionem philosophicam continens. Monasterii ex Biblio-atque Iconopolio Coppenrath. 1819. (II.) Introductio in theologiam christiano-catholicam, auctore Georgio Hermes, theologiae, et philosophiae doctore, in Rhenana Friderico-Wilhelmiana academia Bonnensi theologiae professore, et capitulari cathedrali ecclesiae metropolitanae Coloniensis. Pars altera, introductionem positivam continens. Monasterii ex Biblio-atque Iconopolio Coppenrath. 1829. (III.) Dogmatica christiano-catholica, auctore Georgio Hermes, theologiae et philosophiae doctore in Rhenana Friderico-Wilhelmiana academia Bonnensi theologiae professore, et capitulari cathedrali ecclesiae metropolitanae Coloniensis, post eius mortem edita a Dr. J. H. Achterfeldt in academia theologiae professore ordin., ac catholici convictorii theologici Bonnensis inspectore. Pars prima. Monasterii ex Biblio-atque Iconopolio Coppenrath. 1834.

Hos igitur libros tradi iussimus theologis Germanicae linguae peritissimis omni ex parte diligentissime perscrutandos, qui praecipua ex eisdem notanda loca excerperent, longo etiam, si opus fuisset, orationis tractu, prout sensuum verborumque contextus exigere videretur, èaque in latinum versa accuratis notarent animadversionibus: quae omnia sedulo et consideratissime praestiterunt atque cum iam vulgata fama inveniuntur omnino concordes. Praeterea eadem excerpta loca una cum censoriis memoratorum theologorum notationibus tradita sunt aliis etiam sanctae theologiae magistris ad catholicam trutinam iterum revocanda; et omnes unanimi consensione convenerunt, illis in locis contineri doctrinas absonas a catholicarum veritatum principiis, plura reperiri perperam disputata, plura ex ambiguo dicta, plura flexiloqua et obscura, ad implicandam et vitiandam catholicorum dogmatum intelligentiam arte et apte concinnata, et ut plurimum ex acatholicorum commentis erroribusque congesta. Tandem rem totam ex integro discutiendam et examinandam deferri voluimus ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales in tota Republica christiana Inquisitores generales. Hi autem omni studio, prout rei gravitas postulabat, cuncta et singula expendentes, post maturam discussionem in Congregatione coram Nobis habita diiudicarunt, evanescere auctorem in cogitationibus suis, pluraque in dictis operibus contexere absurda et a doctrina catholicae Ecclesiae aliena; praesertim vero *circa* naturam fidei et credendorum regulam: *circa* sacram Scripturam, Traditionem, revelationem et Ecclesiae magisterium: *circa* motiva credibilitatis: *circa* argumenta, queis exsistentia Dei adstrui confirmarique consuevit: *circa* ipsius Dei essentiam, sanctitatem, iustitiam, libertatem eiusque finem in operibus, quae a theologis vocantur *ad extra;* nec non *circa* gratiae necessitatem eiusdemque ac donorum

distributionem, retributionem praemiorum et poenarum inflictionem: *circa* protoparentum statum, peccatum originale ac hominis lapsi vires; eosdemque libros, tamquam continentes doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, captiosas, in scepticismum et indifferentismum inducentes, erroneas, scandalosas, in catholicas scholas iniuriosas, fidei divinae eversivas, haeresim sapientes ac alias ab Ecclesia damnatas, prohibendos et damnandos esse censuerunt.

Nos itaque, auditis praefatorum Cardinalium suffragiis et omnibus plene perpensis, de eorum consilio ac etiam motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictos libros ubicumque et qnocumque idiomate seu quavis editione aut versione hucusque impressos, aut in posterum, quod absit, imprimendos tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac in Indicem librorum prohibitorum referri mandamus; hortantes et obtestantes in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos aliosque locorum Ordinarios ut memores districti ac durissimi iudicii, quod eis a pastorum Principe fiet de instructione, regimine et custodia gregis ipsis commissi, nedum memoratos libros a scholis repellere, verum etiam proprias oves ab huiusmodi venenatis pascuis omni cura et sollicitudine avertere satagant.

Ut autem eaedem praesentes Litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae generalis in Monte Citatorio ac in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari illarumque exempla ibidem affixa relinqui.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XXVI. Septembris Anno MDCCCXXXV. Pontificatus Nostri Anno V.

E. Card. de Gregorio.

Die, mense et anno, quibus supra, supradicta damnatio et prohibitio affixa et publicata fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae nec non Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campi Florae ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Aloisium Pitorri Apostolicum Cursorem.

Ioseph Cherubini Magister Cursorum.

b) Decretum d. d. 7. Ian. 1836.

Apostolicis litteris datis die 26. Septembris anno superiori a Sanctissimo D. N. Gregorio divina providentia PP. XVI. praeter primam et secundam partem *Introductionis in theologiam christiano-catholicam* a Georgio Hermes conscriptae, aliud ipsius Hermesii opus, cui titulus „*dogmatica christiano-catholica*“ damnatum fuit. Universum hoc opus *dogmaticae christiano-catholicae*, quod ad eam usque diem per doctorem J. H. Achterfeldt post Hermesii obitum pervulgatum fuerat, examinandum diligentissime,

adscitis etiam theologis germanicae linguae peritissimis, apprime curaverat eadem Sanctitas sua, antequam in Congregatione Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica christiana generalium Inquisitorum coram Se habita damnandum illnd decerneret, pront memoratis Apostolicis litteris Ecclesiae universae denunciatum est. Quum vero in exscribendo titulo illius operis *dogmaticae christiano-catholicae* una cum prima parte recensitae non fuerint secunda et tertia, eodem titulo, iisdem typis, et eodem anno editae, licet et ipsae in examen dednctae fuissent, uti facto constat ex doctrinarum in iisdem traditarum mentione, quae in Apostolicis litteris facta perlegitur: idcirco idem Sanctissimus Dominus Noster ad dubium qnodlibet praecidendum de damnatione integri operis eo tempore editi atque ea, qua par est, indicii maturitate rite expensi, mandavit, hoc decreto speciatim declarari, edici et denunciari, memoratis Apostolicis litteris diei 26. Septembris anno 1835 damnatum ac reprobatum fuisse, atque in Indicem librorum prohibitorum esse referendum integrum opus, cuius titulus germanice *„Christkatholische Dogmatik, von Georg Hermes, Doctor der Theologie und Philosophie, Professor der Theologie an der Rheinischen Friedrich-Wilhelms-Universität Bonn und Domkapitular der Metropolitankirche zu Köln, nach dessen Tode herausgegeben von Doctor J. H. Achterfeldt, ordentl. Professor der Theologie an der Universität und Inspector des katholisch-theologischen Convictoriums zu Bonn. Erster Theil. Münster, in der Coppenrath'schen Buch- und Kunsthandlung. 1834.“*

Item iisdem titulo, typis, et anno *„Zweiter Theil.“*

Item iisdem titulo, typis, et anno *„Dritter Theil. Erste Abtheilung.“*

Latine autem: *Dogmatica christiano-catholica auctore Georgio Hermes, theologiae et philosophiae doctore in Rhenana Friderico-Wilhelmina academia Bonnensi theologiae professore et capitulari ecclesiae metropolitanae Coloniensis, post eius mortem edita a doct. J. H. Achterfeldt in academia theologiae professore ordinario ac catholici convictorii theologici Bonnensis Inspectore. Pars Prima. Monasterii ex Biblio-atque Iconopolio Coppenrath. 1834.*

Item iisdem titulo, typis, et anno *„Pars secunda.“*

Item iisdem titulo, typis, et anno *„Pars tertia, Sectio prima.“*

Hoc porro decretum idem sanctissimus Dominus Noster in acta Sacrae Congregationis Indicis referri, et typis edi ac ut moris est promulgari inssit. Romae die 7. Januarii 1836.

J. Card. Iustinianius Praefectus

Fr. Thomas Antoninus Degola Ord. Praed. Sacr. Congr. Indicis Secretarius.

Loco † Sigilli.

Die 14. Januarii 1836 supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum,

Palatii S. Officii, Curiae Innocentianae valvas et in aliis locis solitis Urbis per me Aloysium Pitorri Apost. Curs.

Ioseph Cherubini Mag. Curs.

XXV.

Decretum S. Congregationis sancti Officii approbatum a Gregorio XVI. d. 14. Septembris 1842.

1. Feria 5. coram SS. die 13. Ian. 1655.

Sanctissimus D. N. D. Paulus V. in Congregatione generali coram se habita, praevio maturo examine et censura propositionis sequentis: »quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit«, auditis DD. Cardinalium suffragiis declaravit, dictam propositionem esse temerariam et errori proximam.

2. Feria 4. die 14. Sept. 1842.

In Congregatione generali habita in conventu S. Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposito dubio, an in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti extremae unctionis uti possit oleo a se benedicto, iidem Eminentissimi decreverunt, negative ad formam decreti feriae V. coram SS. diei 13. Ian. 1655.

Eadem die et feria SS. D. N. D. Gregorius div. prov. P. P. XVI. in audientia Assessori S. Officii impertita resolutionem Eminentissimorum approbavit.

XXVI.

Ex Encyclica Pii IX. d. d. 9. Novembris 1846.

Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, hac nostra deploranda aetate acerrimum ac formidolosissimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus conflari, qui nefaria inter se societate coniuncti, sanam non sustinentes doctrinam atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta e tenebris eruere, eaque totis viribus exaggerare atque in vulgus prodere et disseminare contendunt. Horrescimus quidem animo et acerbissimo dolore conficimur, quum omnia errorum monstra et varias multiplicesque nocendi artes, insidias, machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores et peritissimi fraudis artifices omne pietatis, iustitiae, honestatis studium in omnium animis restinguere, mores corrumpere, iura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem civilemque societatem convellere, labefactare, immo, si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur. Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia aperientes os suum in blasphemias ad Deum[1])

[1]) Apocalyp. 13. 6.

palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum eiurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant atque incautos praesertim et imperitos decipiant et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur. Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere nunquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, quum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat. Neque minori certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommodo quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat: qui stoicum et platonicum et dialecticum christianismum protulerunt.[1]) Et sane quum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam posse. Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat.[2]) Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta,

---

[1]) Tertull. de praescript. cap. 8. — [2]) Ad Rom. 12, 1.

quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et omne dogmatnm nostrornm principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse[1]), ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctins exstare et qnod firmioribns innitatur principiis. Haec scilicet fides, vitae magistra, saltis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Iesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac maiores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisqne cuiusque generis hostibus, omnes popnlos, gentes, nationes utcumqne immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institntis diversas divinae cognitionis lumine illustravit atque suavissimo ipsius Christi ingo subiecit, annuntians omnibus pacem, annnntians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, nt cuinsque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse. Itaqne humana ratio ex splendidissimis hisce aeqne ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens. Deum eiusdem fidei anctorem exsistere, nlterins progredi nequit, sed quavis difficnltate ac dubitatione penitus abiecta atqne remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, quum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit.

Atqne hinc plane apparet, in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abntentes ac Dei eloquia tamquam humanum opns existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, quum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, qnae verum legitimumqne coelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret omnesque controversias in rebns fidei et morum *infallibili* iudicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae in neqnitia hominum ad circumventionem erroris. Quae quidem viva et *infallibilis* auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum, totins Ecclesiae Capnt, Principem et Pastorem, cuius fidem nnnquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet Pontifices, sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem, in eius Cathedra collocatos et eiusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia[2]), ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur[3]), et semper in suis successo-

[1]) S. Ioann. Chrysost. Homil. I. in Isai. — [2]) S. Ambros. in Psal. 40. — [3]) Concil. Chalced. Act. 2.

ribus vivit et iudicium exercet[1]), ac praestat quaerentibus fidei veritatem[2]), idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra[3]), fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae veritatis doctrinam. Haec siquidem principalis Ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta[4]), haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas[5]), in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus[6]), ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles[7]), cum qua quicumque non colligit, spargit.[8]) Nos igitur, qui inscrutabili Dei iudicio in hac veritatis Cathedra collocati sumus, egregiam Vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae Vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes, nunquam se ab iis decipi et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere eamque rationi impie subiicere ac Dei eloquia invertere contendunt summamque Deo ipsi iniuriam inferre non reformidant, qui coelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.

XXVII.

Decretum S. Congregationis super statu regularium, auctoritate Pii IX. editum d. 25. Ianuarii 1848.

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet moderatores ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi a locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant; Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae caeteris agnoscere possunt et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens Sanctissimus D. N. Pius P. P. IX., audito voto

---

[1]) Synod. Ephes. Act. 3. — [2]) S. Petr. Chrysol. Epist. ad Eutych. — [3]) Concil. Trid. Sess. VII. de Baptism. — [4]) S. Cyprian. Epist. 55. ad S. Cornel. Pontif. — [5]) Litter. Synod. Ioann. Constantinop. ad Hormisd. Pontif. et Sozom. Histor. lib. III. cap. 8. — [6]) S. August. Epist. 162. — [7]) S. Irenaeus lib. III. contra haereses cap. 3. — [8]) S. Hieronym. Epist. ad S. Damas. Pontif.

S. R. E. Cardinalium huius sacrae Congregationis super statu regularium attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit atque decernit:

I. In quocunque ordine, congregatione, societate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittantur vota solemnia sive simplicia, et licet agatur de ordinibus, congregationibus, societatibus, institutis, monasteriis ac domibus, quae ex peculiari privilegio, etiam in corpore iuris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint, etiam per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse huiusmodi testimoniales litteras denegare; in iisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

III. Omnibus et singulis superioribus regularibus aliisque religiosis, ad quos spectat, cuiuscunque gradus sint et instituti, licet exempti et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius decreti observantia districte praecipitur; et qui contra huius decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum vocisque activae et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cuiuscunque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum, etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis ordo, institutum, superior, religiosus consequeretur, nunquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur. Quod si alicui instituto expresse et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscunque privilegii et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno, die prima Ianuarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii ac vocis activae et passivae, a superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu

impediatur, Sanctitas Sua quibuscunque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis et statutis cuiusvis ordinis, congregationis, societatis, instituti, monasterii, domus, etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio, licet in corpore iuris clauso et Apostolicis constitutionibus ac decretis confirmato ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno aliisque contrariis quibuscunque prorsus derogat et derogatum esse declarat.

Datum Romae ex sacra Congregatione super statu regularium die 25. Ianuarii 1848. Andreas Can. Bizzarri a Secretis.

XXVIII.

Ex Allocutione Pii IX. habita in Consistorio secreto
d. 27. Septembris 1852.

Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta eiusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores atque adversus catholicae Ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia et ab illis iudicarentur: quum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem, ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere.

XXIX.

Ex Pii IX. Constitutione *Ineffabilis Deus*
d. d. 10. Decembris 1854.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio et insignia Praedecessorum Nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus, supremo Nostro iudicio immaculatam ipsius Virginis conceptionem sancire, definire atque ita pientissimis catholici orbis desideriis Nostraeque in ip-

sam sanctissimam Virginem pietati satisfacere ac simul in ipsa unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Iesum Christum magis atque magis honorificare, quum in Filium redundet, quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas Nostras et puhlicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium Eius offerre, ut Spiritus sancti virtute mentem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis Curiae praesidio et advocato cum gemitihus Paraclito Spiritu eoque sic adspirante, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, qnae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnihus fidelibus firmiter constanterqne credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae defecisse ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

XXX.

Theses a S. C. Indicis editae et a S. D. N. Pio IX. d. 15. Iunii 1855 approbatae.

1. Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, quum ambae ah uno eodemque immutahili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur atqne ita sibi mutuam opem ferant. (Encycl. Pii P. P. IX. 9. Nov. 1846.)

2. Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandum Dei exsistentiam contra atheum, ad probandum animae rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit. (Prop. subscript. a Bautainio 8. Sept. 1840).

3. Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit. (Prop. subscript. a D. Bautain. 8. Sept. 1840).

4. Methodus, qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neqne causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret.

Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint. (Prop. contradict. propositionibus passim ex D. Bonnetty desumptis).

XXXI.
Encyclica Pii IX.
d. d. 18. Iunii 1859.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. Qui nuper per Italiam erupit contra legitimos Principes seditionis motus in regionibus etiam Pontificiae ditioni finitimis, nonnullas ex provinciis Nostris quaedam veluti incendii flamma pervasit; quae quidem et funesto illo permotae exemplo et externis actae incitamentis a paterno Nostro regimine sese subduxerunt, et vero etiam paucis adnitentibus id quaerunt, ut italico illi subiiciantur gubernio, quod per annos hosce postremos Ecclesiae ac legitimis illius iuribus sacrisque administris se gessit adversum. Dum Nos rebellionis huiusmodi actus et reprobamus et dolemus, quibus quaedam tantum populi pars turbatis in iisdem provinciis iniuste adeo respondet paternis studiis curisque Nostris, ac dum necessarium esse palam edicimus sanctae huic Sedi civilem principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit, quem quidem civilem principatum extorquere eidem connituntur vaferrimi hostes Ecclesiae Christi: Vobis in tanto rerum turbine praesentes damus litteras, Venerabiles Fratres, ut aliquod dolori Nostro solatium quaeramus. Atque hac occasione Vos etiam hortamur, ut pro explorata pietate Vestra, pro eximio erga Apostolicam Sedem eiusque libertatem studio id praestandum curetis, quod olim Aaroni, supremo Hebraeorum Pontifici, praescripsisse legimus Moysem (Num. Cap. 16.): „Tolle thuribulum, et hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: iam enim egressa est ira a Domino, et plaga desaevit." Itemque Vos hortamur, ut preces fundatis quemadmodum sancti illi fratres, Moyses nimirum atque Aaron, qui „proni in faciem dixerunt: fortissime Deus spirituum universae carnis, num aliquibus peccantibus contra omnes ira tua desaeviet?" (Num. Cap. 16.) Ad hoc scilicet, Venerabiles Fratres, praesentes Vobis mittimus litteras, ex quibus non parum solatii percipimus, quippe confidimus, desideriis Vos curisque Nostris cumulate responsuros. Ceterum palam hoc profitemur, indutos Nos virtute ex alto, quam infirmitati Nostrae immittet fidelium precibus exoratus Deus, quidvis discriminis, quidvis acerbitatis antea perpessuros, quam Apostolicum ulla ex parte deseramus officium ac quidquam admittamus contra iuramenti sanctitatem, quo Nos obstrinximus, quum licet immerentes supremam hanc Apostolorum Principis Sedem, arcem et propugnaculum catholicae fidei, Deo sic volente, conscendimus. In pastorali Vestro tuendo munere omnia laeta ac felicia, Venerabiles Fratres, Vobis adprecantes, coelestis auspicem

beatitatis Apostolicam Benedictionem Vobis gregiqne Vestro peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 18. Iunii anno 1859. Pontificatus Nostri anno decimoquarto.

XXXII.

Pii IX. Litterae ad Emin. D. Ioannem Cardinalem de Geissel, Archiepiscopum Colonien., d. d. 15. Iunii 1857.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Eximiam Tuam nobisque plane cognitam pastoralem in catholica doctrina tuenda curam et sollicitudinem non mediocri certe animi Nostri iucunditate undique elucere perspeximus in Litteris, quas, dilecte Fili Noster, die 16. proximi mensis Aprilis ad Nos dedisti super decreto Pontificia Nostra auctoritate sancito atque a Nostra Indicis Congregatione die 8. mensis Ianuarii huius anni edito, qno opera dilecti filii presbyteri Antonii Günther proscripta fnerunt. Nos quidem pro Apostolici Nostri ministerii officio nullis unquam parcentes curis nullisque laboribus, ut fidei depositum Nobis divinitus concreditum integrum inviolatumqne custodiatur, ubi primum a pluribus Venerabilibns Fratribus, spectatissimis Germaniae sacrorum Antistitibus, accepimus, non panca Güntheri libris contineri, quae ipsi in sincerae fidei et catholicae veritatis perniciem cedere arbitrabantur: nulla interposita mora eidem Congregationi commisimus, nt ex moro opera eiusdem Güntheri accurate diligenterqne excuteret, perpenderet, examinaret ac deinde omnia ad Nos referret. Quum igitur ipsa Congregatio Nostris mandatis obsecnta, suoque munere functa onmem in hoc gravissimo sano maximiqne momenti negotio curam et operam scite riteque collocaverit, nullumqne praetermiserit studium in Güntheriana doctrina accuratissimo examine noscenda ac ponderanda, animadvertit, plura in Güntheri libris reperiri omnino improbanda ac damnanda, ntpote quae catholicae Ecclesiae doctrinae maxime adversarentur. Hinc rebus omnibus a Nobis etiam perpensis, eadem Congregatio decretum illud suprema Nostra auctoritate probatum Tibiquo notissimum edidit, quo Güntheriana opera prohibentur et interdicuntur. Quod quidem decretum Nostra anctoritate sancitum nostroqne iussu vulgatum sufficere plane debebat, ut quaestio omnis penitus dirempta censeretur, et omnes, qui catholico gloriantur nomine, clare aperteque intelligerent, sibi esse omnino obtemperandum, et sinceram haberi non posse doctrinam Güntherianis libris contentam, ac nemini deinceps fas esse, doctrinam iis libris traditam tueri ac propugnare, et illos libros sine debita facultate legere ac retinere. A quo quidem obedientiae debitique obsequii officio nemo immunis propterea videri censerique poterat, qnod in eodem decreto vel nullae nominatim propositiones notarentur, vel nulla certa stataque adhiberetur censura. Ipsum enim per se valebat decretum, ne qui sibi integrum putarent ab iis, quae Nos comprobavimus, utcumqne discedere. Sed vehe-

menter errant, qui generalis eiusmodi prohibitionis causam inde profectam esse arbitrantur, quod ipsa Congregatio nullas singillatim Güntherianorum operum sententias nullasque praecise opiniones censura dignas deprehenderit. Etenim non sine dolore apprime noscimus, in iisdem operibus erroneum ac perniciosissimum et ab hac Apostolica Sede saepe damnatum rationalismi systema ampliter dominari; itemque noscimus, in iisdem libris ea inter alia non panca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant. In compertis pariter habemus, neque meliora, neque accuratiora esse, quae traduntur de sacramento Verbi incarnati deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis, divina et humana. Noscimus, iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma. Neque ignoramus, ea iisdem libris doceri et statui, quae catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur. Atque illud etiam vel maxime improbandum ac damnandum, quod Güntherianis libris humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari, sed ancillari omnino debent, magisterii ius temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur, quae firmissima manere debent tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum de perenni fidei immutabilitate, quae una semper atque eadem est, dum philosophia humanaeque disciplinae neque semper sibi constant neque sunt a multiplici errorum varietate immunes. Accedit, nec ea sanctos Patres reverentia haberi, quam Conciliorum canones praescribunt, quamque splendidissima Ecclesiae lumina omnino promerentur, nec ab iis in catholicas scholas dicteriis abstineri, quae recolendae memoriae Pius VI. Decessor Noster solemniter damnavit. Neque silentio praeteribimus, in Güntherianis libris vel maxime violari sanam loquendi formam, ac si liceret verborum Apostoli Pauli oblivisci (II. Tim. 1, 13.), aut horum, quae gravissime monuit Augustinus: »Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his »significantur, impiam gignat opinionem« (de civit. Dei lib. X. cap. 23.). Ex quibus omnibus profecto vides, Dilecte Fili Noster, qua cura et studio quum Tibi, tum Venerabilibus Fratribus Episcopis Tuis Suffraganeis sit invigilandum, ut ab istis dioecesibus Güntheriana opera amoveantur, et qua singulari sollicitudine excubandum, ne doctrina eisdem operibus contenta et iam proscripta ullo unquam modo sive in philosophicis, sive in theologicis disciplinis a quovis in posterum tradatur aut comprobetur. Iam vero dum Güntheri opera damnanda esse censuimus ac censemus, haud possumus, quin Tibi significemus, ipsum dilectum filium presbyterum Antonium Günther non mediocri Nos affecisse consolatione, quandoquidem obsequentissimis suis litteris die 10. mensis Februarii ad Nos scriptis cum summa sui nominis laude amplissimis verbis semel iterumque professus est, nihil

sibi potius, quam supremae Nostrae et huius Apostolicae Sedis auctoritati semper obtemperare, et idcirco se humillime subiicere commemorato decreto de suis operibus promulgato. Hoc autem egregium sane Güntheri exemplum pari animi Nostri gaudio imitati sunt plures dilecti filii doctores theologiae, philosophiae, historiae ecclesiasticae et canonici iuris in variis Germaniae lyceis, ac primarii Güntherianae doctrinae asseclae, qui suis ad Nos datis litteris contestati sunt, se commemorato decreto humillime subiicere nihilque sibi magis cordi esse, quam Pontificiae Nostrae et huius sanctae Sedis auctoritati ex animo obedire. Dum vero hac re summopere laetamur, in eam porro spem erigimur fore, ut alii omnes Güntherianae doctrinae sectatores christianam tum ipsius auctoris, tum horum animi docilitatem et obedientiam debitamque magisterio Nostro subiectionem Deo bene iuvante aemulari velint, atque ita ipsius auctoris coronam augeant et Nostram expleant cumulentque laetitiam. Habes, Dilecte Fili Noster, quae Tibi de hoc argumento rescribenda esse existimavimus, atque hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum ostendamus et confirmemus praecipuam, qua Te in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam toto cordis affectu Tibi ipsi, Dilecte Fili Noster, et gregi Tuae vigilantiae commisso peramanter impertimur.

Datum Bononiae die 15. Iunii anno 1857. Pontificatus nostri anno undecimo

Pius P. P. IX.

XXXIII.

Ex Pii PP. IX. Epistola encyclica *Amantissimi Redemptoris* d. d. 3. Maii 1858.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis Tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

INDEX

rerum praecipuarum, quae decretis continentur.

Numerus exhibet paginam.

Abstinentia. Vid. *Ieiunium.*

Academiae. Vid. *Theologia. Universitates.*

Aedificia sacra seu ecclesiae.

Quantum differre debeant ab aedificiis profanis. 143. — Quid in eis construendis aut reparandis sit observandum. 143. — Scamna laicis in choro non esse concedenda. 144. — Quomodo ecclesiae ornandae. 144. — Summam curam habendam esse munditiei. 144. — Maxime in linteaminibus. 145. — Quomodo tabernaculum debeat esse comparatum, et quomodo sit custodiendum. 145. — Lampadem ante ss. sacramentum semper debere esse accensam. 145.

Aegroti.

Eos saepe esse visitandos. 115. — Quomodo ad mortem sint praeparandi. 115.

Anima rationalis.

Eam esse veram per se et immediatam corporis formam. 31. 32. — Animae spiritualitatem esse alterum religionis fundamentum. 33. — Animam spiritualem demonstrari ex ipsius rationis argumentis. 33. 41.

Atheismus.

E nimio materiae cultu ortum esse novum atheismum. 3. 25. — Quam sit vesanus. 3. 4. — Cultu publico promovendo resistendum esse conatui vitam publicam reddendi atheam. 120.

Baptismus.

Eius natura, materia et forma, minister, effectus. 68. — Baptismum administrare esse proprii iuris parochorum. 100. — Non esse in infantibus prolatandum unquam ultra tertium diem. 109. — In ecclesia esse administrandum. 109. — Quid agendum, si de rite administrato dubitatur. 109. — Quid, si ab acatholicis collatus est. 109. — Quid, si a societatibus germano-catholicis aut communitatibus liberis. 109.

Benedictio.

Cur Ecclesia rebus sensibilibus benedicat. 119. — Benedictionem post partum in ecclesia tantum esse impertiendam. 110. — Quibus sit neganda. 110.

Caeremoniae.

Cur sint institutae. 121. — Earum significationem populo esse explicandam. 121. — Unde earum dignitas. 121.

Cantus.

Cantus choralis sive Gregorianus quomodo a capitulis cathedralibus sit fovendus. 97. 98. — A cantu ecclesiastico arcenda esse, quaecunque sunt profana. 121. 122. — Cantus Gregorianus quomodo universim sit promovendus. 123. — Cantum harmonicum non penitus arceri. 123. — Quae instrumenta probibeantur. 124. — Mulierum voces a choro omnino esse excludendas. 124. — Novas missarum compositiones sine licentia Ordinarii non esse executioni mandandas. 124. 125. — Idem de aliis cantionibus esse observandum. 125. — Quae moderatio in missis harmonicis sit adhibenda. 125. — Quid in aliis pietatis exercitiis sit observandum. 126. — Abusus nonnulli cavendi. 126.

Capitula cathedralia.

Quae sit eorum origo. 95. — Quis finis. 95. — Quomodo officium divinum sit persolvendum. 96. — Quid in solemni celebratione Episcopi observandum. 96. — Missa conventualis. 96. — Ordo missarum quomodo statuendus et servandus. 96. — Ordo in choro quomodo sustinendus. 97. — Quoad cantum ecclesiasticum quid sit observandum. 123. 126. — Vid. *Theologus.*

Catechesis.

Singulis diebus dominicis eam in ecclesia esse habendam. 101. — Quoties habenda sit in scholis elementaribus. 132. — Quomodo pueri e schola dimissi ad catechesin sint cogendi. 133.

Chorus ecclesiae.

Laicos a choro esse excludendos. 97. — Nova subsellia laicis in choro non esse concedenda. 144.

S. Communio.

Communionis paschalis praeceptum quomodo sit urgendum. 111. — Quid de omittentibus agendum. 111. — Communionem paschalem ministrare proprii iuris esse parochorum. 100. — Quoad primam communionem quid sit observandum. 132. 133. — Quae in scholis superioribus praeceptori religionis quoad primam communionem competant. 135. — Frequentem communionem commendari. 111. — Qua animi et corporis praeparatione sit sumenda. 112. — Vid. *Ieiunium. Eucharistia.*

Concilium provinciale. Vid. *Synodus provincialis.*

Concionatores.

Quasnam de purgatorio quaestiones debeant devitare 81. — Quomodo, quando et quo ordine verbum divinum sit exponendum. 101. — Quomodo ad munus rite obeundum se parare debeant. 127. — A quibus abstinere debeant. 129. — Vid. *Praedicatio verbi divini.*

Confessarii.

Quomodo theologiae moralis peritiam comparare et perficere debeant. 113. — Quales in mulierum confessionibus audiendis se debeant exhibere. 113. — Sigillum sacramentale. 114. — Quo loco audiendae sint confessiones. 114. — Quo vestitu utendum. 114. — Missarum stipendia in poenitentiam non esse imponenda, nec recipienda sponte oblata 114.

Confirmatio.

Verum sacramentum. 69. — Eius effectus. 70. — Qua aetate hoc sacramentum sit suscipiendum. 110. — A pastoribus suos esse adducendos et reducendos. 110.

Consociationes ecclesiasticae. Vid. *Sodalitates.*

Creatio.

Creatio tribus personis communis cur Patri approprietur. 25. — Fidem in Deum creatorem esse clypeum adversus pantheismum. 25. — Mundum a Deo libere esse creatum. 27. 28. — Esse creatum in tempore. 28. — Errores notantur. 28. 29. — Cur Deus mundum creaverit. 29. — Quid Deus mundo creato intenderit. 29.

Cultus divinus.

Cur praeter cultum internum externus et publicus exigatur. 120. — Cur hodie potissimum urgenda sit cultus externi et publici necessitas. 120. — Cultus catholicus quam sit augustus. 121.

Decani.

Quomodo de itineribus curatorum referre debeant. 101. — Quodnam sit munus decanorum. 102. — Muneris partes. 102. 103. — Quoties parochorum conventus habere debeant. 103. — Quomodo sint eligendi. 103.

Definitores.

Quot et quomodo sint eligendi. 104. — Quae sint eorum partes. 104.

Dei exsistentia.

Eam esse religionis fundamentum. 2. — Mundo aspectabili reddi manifestam multisque modis innotescere. 2. 3. — Hominem, licet lapsum, Dei exsistentiam certo et e rationis principiis posse cognoscere. 40. 41.

Dies dominici et festi.

Praeceptum hos dies sanctificandi cur hodie saepe urgendum sit. 120. 121. — Vid. *Parochi.*

Ecclesia.

Ecclesiae non tantum condemnanti errores, sed etiam doctrinam tra-

denti esse obsequendum. 15. — Ecclesiae in doctrinam, quae hominis naturam describit, examinandam auctoritas. 31. — Ecclesiae inesse ius proscribendi philosophicas quasdam doctrinas. 15. — Ecclesiam a Christo esse institutam, cur populus saepe docendus sit. 49. — Qui ad Ecclesiae corpus, qui et ad animam pertineant. 49. — Non duas esse Ecclesias, alteram visibilem, invisibilem alteram. 49. 50. — Christus per Ecclesiam quomodo suam in terris continuet vitam. 50. — Ecclesiam semper fore eandem. 50. — Ecclesiae magisterium infallibile quomodo exerceatur. 57. — Ecclesiae commissam esse imperii potestatem. 58. — Mutuam optandam concordiam Ecclesiam inter et potestatem civilem. 59. — Ecclesiam non posse abuti sua potestate ad constituendam disciplinam periculosam aut noxiam. 59. — Hierarchiam in Ecclesia divinitus esse institutam. 59. — Unam solam esse veram Christi Ecclesiam. 60. — Figmentum, Ecclesiam coalescere e diversis sectis, exploditur. 61. — Ecclesiam catholicam esse veram Christi Ecclesiam. 61. — Hanc esse amplectendam. 62. 63. — Ecclesiam eamque solam posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia. 77.

Ecclesiae. Vid. *Aedificia sacra.*

Episcopi.

Episcopos esse successores Apostolorum. 54. 55. — Gregis dominici rectores, pastores, doctores, mysteriorum Dei dispensatores, iudices, patres. 55. 56. — Quomodo magisterium exerceant. 57. — Potestatis regendi Ecclesiam esse consortes. 59. 60. — Iure divino superiores esse presbyteris. 60. — Episcopis esse ius reservandi sibi quaedam peccata. 73. — Quibus virtutibus debeant esse conspicui. 84. — Praecipuam muneris partem esse manuum impositionem. 85. — Qua cura sacerdotii tyrones ab eis educandi. 86. — Quid eis agendum contra malorum librorum aut ephemeridum pestem. 87. — Quomodo verbo et exemplo praedicandum. 87. — Confirmationis sacramentum impertiendum esse et dioecesin visitandam. 88. 89. — Quomodo scholae chorales instituendae sint. 97. 98. — Episcopo mortuo quid a capitulis observandum. 98.

Episcopi suffraganei auxiliares.

Eorum institutio. 89. — Munera. 89. — Insignia. 90. — Modus pontificaliter celebrandi. 90. — Locus in choro et in capitulo. 90. — Vestitus. 90.

Ephemerides pravae. Vid. *Libri.*

Eucharistia.

Sacrificium simul et sacramentum. 70. — Modus, quo Christus in ea praesens est. 71. — Eius fructus. 71. 72. — Vid. *Communio. Missae sacrificium. SS. Sacramentum. Viaticum.*

Extrema unctio.

Eam a Christo esse institutam. 75. — Eius effectus. 75. — Eam conferre esse iuris proprii parochorum. 100. — Quibus et quomodo hoc sacramentum sit administrandum. 115.

Festi. Vid. *Dies dominici et festi.*

Fides.

Quae sit fidei praestantia. 1. — Eius necessitatem esse gravissime inculcandam. 8. — Aliqua non praecepti tantum, sed medii etiam necessitate esse credenda. 8. — Fidem late dictam non sufficere ad salutem. 8. — Fidem non rusticis tantum et insciis esse necessariam. 8. — Fides quid sit. 10. — Fides et scientia quomodo differant. 10. 11. — Fidem et scientiam non inimice inter se dissidere. 11. — Fidem esse profitendam. 16. — Singillatim profitendam esse accurata praeceptorum ecclesiasticorum observantia. 130. — Fidei pericula quae potissimum sint vitanda. 17. — Quae hac in re sint partes pastorum omniumque, qui sacram doctrinam exponunt. 18.

Fidei e formula Tridentina professio.

Quae Concilinm Tridentinum de hac professione praescribit, esse observanda. 17. — Eam faciendam esso a praeceptoribus religionis in gymnasiis. 134. — Item a professoribus theologiae in academiis et nniversitatibus. 137.

Gratia.

Posse hominem solius naturae viribus quaedam opera moraliter bona facere. 40. — Pariter posse veritates qnasdam, imprimis Dei exsistentiam, cognoscere. 40. 41. — Gratia quid sit. 63. — Eam necessariam esse ad omnes actus salutares. 63. — Ad fidem quomodo sit necessaria. 64. — Omnibus gratiam conferri sufficientem. 64. — Gratia sanctificans et iustitia quid sit. 65. — Quinam potissimnm in gratia sanctificante errores sint vitandi. 65. 66.

Homo.

Primos parentes immediate a Deo conditos esse. 30. 31. — Ex Adamo totum genus humanum suam ducere originem. 31. — Errores notantur. 31. — Hominem anima et corpore ita absolvi, nt anima rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma. 31. 32. — Errores notantur. 32. — Animam esse spiritualem et immortalem. 32. 33. — Materialismi vesania perstringitur. 33. — Hominis statum primitivum fuisse supernaturalem et non debitum. 33. 34. — Quid ille status homini contulerit. 34. — Potuisse creari hominem in conditione naturae relinqnendum. 35. — Errores notantur. 35.

Ieiunium.

Nonnisi summum Pontificem a lege, qna a ieinnis snmenda est eucharistia, dispensare posse. 111. 112. — Ieiunii et abstinentiae praeceptum unde potissimum commendetur. 129. 130. — Exponendum esse populo abstinentiam inter et ieiunium discrimen. 130.

Iesus Christus.

Iesum Nazarenum esse verum Deum. 42. — Recta in Iesum Redempto-

rem fides cur saepe praedicanda. 43. — Christi imaginem esse venerandam. 79. — Vid. *Incarnatio. Eucharistia.*

Imagines.

Imagines licite et pie honorari. 79. — Quid in novis imaginibus conficiendis sit observandum. 100. — Imagines Sanctorum in theophoriis non esse gestandas. 100.

Incarnatio.

Quatenus necessaria, quatenus non fuerit necessaria. 42. — Cur Verbum fuerit incarnatum. 42. — Duplicem in Christo esse naturam, duplicem voluntatem et duplicem operationem. 43. — Alio modo in Christo, alio modo in homine de operandi principio esse loquendum. 44. — Unam in Christo esse personam. 44. — Quatenus unio in persona ab unione in natura, quae est in homine, discrepet, quatenus cum eâ conveniat. 44. 45. — Errores notantur. 45. — Esse idiomatum communicationem in Christo, quae non sit in homine. 45. — Christum non potuisse peccare. 46. — Ad libertatem constituendam non requiri potentiam eligendi inter bonum et malum. 46. — Quae in Christo fuerit scientia. 46. — Quid sit vitandum. 46.

Indifferentismus.

Eius fontem esse nimium terrena comparandi studium. 8. — Contra eum urgendam esse fidei necessitatem. 9. — Quam sit perniciosus religioni christianae. 62.

Indulgentiae.

Quid sint. 73. — Quid thesaurus Ecclesiae. 74. — Indulgentias non esse nudam remissionem poenae canonicae. 74.

Libri, libelli, ephemerides pravae.

Ab iis legendis esse abstinendum 17. — Quam flagitiose agant catholici, qui suis illa pecuniis nutriant. 17. — Quam vigilantiam Episcopi contra istiusmodi pestem adhibere debeant. 87. — Opinandi licentiam augeri pravis ephemeridibus. 136.

Lingua latina.

In sacramentorum administratione esse adhibendam. 108. — Eius usum in praelectionibus theologicis et exercitationibus desiderari. 138.

Litterae.

Litterarum studium quantopere commendandum sit sacerdotibus. 152. — Litteris ecclesiasticis primas deberi partes. 152. — Litteris profanis quo animo sit incumbendum. 152. 153.

Maria Virgo.

Beatam Mariam esse veram Deiparam perpetuoque virginem. 46. 47. — Consensionis de immaculata conceptione quaenam haec provincia iam pridem praebuerit documenta. 47. — Quanta gratulatione declaratio de immaculata conceptione excepta sit et quos fructus protulerit. 48. — Deiparae imaginem esse venerandam. 79.

Materialismus.

Materialismum esse religionis pestem. 3. — Viam sternere indifferentismo. 8. 9. — Rerum terrenarum studium quatenus sit licitum, quatenus reprobandum. 9. — Materialismi asseclae quanta se afficiant contumelia. 33. — Inane esse eius de communi prosperitate figmentum. 80.

Matrimonium.

Esse sacramentum. 76. — Eius vinculum esse indissolubile. 77. — Ecclesiam eamque solam posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia. 77. — Matrimonium secundum Ecclesiae leges irritum, etsi secundum imperii civilis leges ineatur, non esse verum et legitimum contractum. 77. — Ad iudices ecclesiasticos spectare causas matrimoniales. 77. 78. — Sponsalibus praeparari matrimonium. 115. 116. — Solum in ecclesia et quidem sub sacro, aut saltem tempore matutino, contrahendum esse. 116. 117. — Abusus in ecclesiae ornatu interdicitur. 117.

Matrimonia mixta.

Quantopere improbentur et quam severe interdicantur. 117. — Quam aegre et quibus tantum conditionibus Ecclesia in iis dispenset. 118. — Quid agendum sit cum illis, qui sine cautionibus debitis nuptias cum acatholicis appetunt. 118. — Quid cum illis, qui de nuptiis illicite initis dolent. 118. 119.

Metropolita.

Dignitatem metropolitanam esse antiquissimam. 90. 91. — Iura pristina et hodierna. 91. — Potestatis insignia. 92. — Mutua inter Episcopos eiusdem provinciae coniunctio. 92. — A capitulis certiorandus de vacatione ecclesiae suffraganeae. 92. — Quando vicarium capitularem constituere debeat. 92. — Visitatio dioecesium suffraganearum. 94. — Anctoritas in causis appellationum. 91.

Missae sacrificium.

Missae sacrificium a Christo esse institutum. 70. — Esse latrenticum, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium. 70. 71. — Allaborandum esse, ut fideles quam frequentissime illi intersint. 71. — Eius fructus esse exponendos. 71. — Missarum stipendia in poenitentiam non esse imponenda nec recipienda in sacro tribunali. 114. — Saepe urgendam esse gravem diebus dominicis et festis sacrificio assistendi obligationem. 121. — Ordo missarum in ecclesiis parochialibus quomodo instituendus. 100. — Missa solemnis iuxta rubricas tota canenda. 100. — Vid. *Parochi.*

Missiones in populo.

Quo fervore et qua prudentia sint habendae. 105. — Maxime salutares declarantur. 140. — Ut parochi eas promoveant, commendatur. 141. — Episcoporum ea in re ius. 141.

Moniales.

Quomodo vocationi respondendum. 105. — Sorores congregationum

recentiorum quoad confessarium designandum ac disciplinam sustinendam monialinm instar esse habendas. 105. — Familiaritatem cum personis tam laicis qnam clericis esse fugiendam. 105. 106.

Mundus. Vid. *Creatio.*

Musica. Vid. *Cantus.*

Mysteria.

Esse in religione mysteria. 13. 14. — Mysteria non posse argumentis necessariis demonstrari, sed tantum congruis illustrari. 14. 15. — Mysterium sanctissimae Trinitatis esse incomprehensibile. 21. — Vid. *Rationalismus.*

Obstetrices.

Ut aeternae infantium saluti certius provideatur, quales obstetrices esse debeant. 109.

Ordo.

Ordinem esse sacramentum. 75. — Praeter sacerdotium alios esse ordines. 76. — Vid. *Episcopi.*

Organon.

Quoad eius nsum Caeremonialis praecepta observentur. 126. — Interlndia frivola atque nimis longa in vesperis et completoriis interdicuntur. 126. — Vid. *Cantus.*

Pantheismus.

Impietate parem esse atheismo. 4. — Contra pantheismi impietatem obfirmandas esse fidelium mentes. 25. — Sancti Patres et Doctores quae iam tela subministrarint ad impugnandum pantbeismum. 26.

Parentes.

Parentibus incumbere curam, ut liberi fidei doctrina imbuantur. 17. — Eorum csse providere, nt liberi, dum nnptias intendunt, a nimia familiaritate abstineant. 116. — Ab iisdem liberos ad scholas esse mittendos. 131. — Item e schola iam dimissos ad catechesin. 133.

Parochi.

Cur sint instituti. 99. — Quae sit muneris gravitas. 99. — Quibus diebus missa pro populo sit offerenda. 100. — Quid observandnm de missarum ordine et concionibus. 100. 101. — Quibns conditionibus a parochia discedere liceat. 101. — Quoties in sacro tribunali praesto esse debeant. 113. — Advocandos interdum esse presbyteros externos ad confessiones audiendas. 114. — Prima communio puerorum ob exiguum numerum in alterum annum nnnquam differatur. 132. — Prima communio die ab Ordinario designato locum habeat. 132. — Consuetudinem singulis vel alternis saltem mensibus omnes adolescentes ad sacram synaxin congregandi retineant vel introducant. 133. — Bona non elocent absqne ecclesiasticae anctoritatis approbatione. 146. — Domum parochialem laicis neque ex parte locent

sine licentia Episcopi. 146. — Lites cum praecessore de redituum distributione ad iudices saeculares haud deferantur. 146.

Paschalis communio. Vid. *Communio*.

Patrini.

Quot sint admittendi. 109. 110. — Qui sint reiiciendi. 110.

Pauperes.

Quam sedulo Ecclesia semper eorum curam gesserit. 146. — Eorum patres parochi se exhibeant. 146. — Bona pauperibus sublevandis destinata sedulo administrentur. 146.

Peccatum originale.

Unde ducat originem. 36. — Esse verum peccatum. 36. — Non fieri nostrum imitatione. 37. — Non in concupiscentia, nec in divina displicentia, nec in turbato recto inter hominis partes ordine esse reponendum. 37. — Doctrinam de peccato originali non pugnare cum divina bonitate et iustitia. 38. — Per peccatum originale quomodo homo sit spoliatus gratuitis et vulneratus in naturalibus. 38. 39. — Quae in describendis peccati originalis effectibus extrema sint vitanda. 39. — Liberum arbitrium, licet viribus attenuatum et inclinatum, minime tamen esse exstinctum. 39. 40. — Mansisse in homine lapso extrema divinae imaginis lineamenta, quibus dici possit facere aliqua legis vel sapere. 39. 40. 41.

Petrus.

Petrum a Christo constitutum esse Caput Ecclesiae. 51. 52. — Cur eius successor constituendus. 52. — Romanos Pontifices esse successores Petri. 52. 53.

Philosophia.

Philosophiae progressus non posse exigere, ut dogma aliquod alio, ac prioribus saeculis tenuit Ecclesia, sensu iam sit intelligendum. 9. — Rationem et philosophiam in religionis rebus non dominari, sed ancillari debere. 14. — Philosophicas quasdam doctrinas proscribendi ius competere Ecclesiae. 15. — Philosophiam ad metas fidei esse redigendam. 15. — Philosophiae abusum tantum, non vero usum interdici. 16. — Philosophia quomodo Ecclesiae magisterio infallibili iuvetur. 16. — Philosophiae professores quid attendere debeant. 138.

Poenitentiae sacramentum.

Peccatorum confessionem a Christo esse institutam. 72. — Requiri in ministro praeter ordinis etiam iurisdictionis potestatem. 73. — Contritio perfecta et imperfecta. Satisfactio. 73. — Praeceptum annuae confessionis identidem urgendum. 112. — Ad crebram confessionem hortandos esse fideles. 112. 113. — Qua aetate et quoties pueri ad confessionem sint adducendi. 132. — Vid. *Confessarii*.

Pontifex Romanus.

Pontificem Romanum esse Petri successorem, omnium christianorum Patrem et Doctorem. 52. 53. — Concilii declaratio suae in Sedem Ro-

manam et Pium IX., Pontificem maximum, venerationis et submissionis. 54. — Divina providentia Romano Pontifici dominium temporale obtigisse. 54. — Concilii protestatio contra impiam et sacrilegam dominii temporalis spoliationem. 54.

Praedicatio verbi divini.

Sacri oratoris munus quam sit grave. 126. 127. — Quanta requiratur praeparatio. 127. — Labori et arti iungendam esse piam precationem. 127. 128. — Scribendi usus commendatur. 128. — Non tantum morum praecepta, sed dogmatum etiam capita ex ordine esse tradenda. 128. — Quae sint fugienda. 129. — Vid. *Concionatores. Parochi.*

Praesentiarius seu Punctator.

Munus eius. 97. — Quomodo constituendus. 97.

Presbyteri.

Presbyteros esse inferiores Episcopis. 60. — Non esse iudices in quaestionibus fidei. 60. — Esse adiutores Episcoporum. 60.

Processiones. Vid. *Supplicationes.*

Purgatorium.

Quid de eo doceat Ecclesia. 81. — Cuiusmodi quaestiones a popularibus concionibus sint excludendae. 81.

Quadragesima.

Quid ut parocho quadragesimae tempore a parochia abire liceat requiratur. 101. — Paschalis communionis praeceptum per quadragesimam esse urgendum. 111.

Ratio.

Rationem et fidem non dissidere. 11. — Rationem inducere ad fidem. 11. 12. — Rationem a fide maxima capere emolumenta. 12. — Vid. *Gratia. Peccatum originale. Dei exsistentia.*

Rationalismus.

Quae pro religionis veritate argumenta non possit exigere ratio. 13. — Fidelibus non licere fidem abiicere aut suspendere, usque dum motiva credibilitatis examinaverint. 13. — Ratione non posse demonstrari mysteria. 13. 14. — Non licere fingere systemata quaecumque non attenta Ecclesiae doctrina. 15. — Etiam in quaestionibus philosophicis attendendam esse Ecclesiae doctrinam et magisterium. 15. 16.

Rectores curati. Vid. *Parochi.*

Regulares.

Quid de vita religiosa sentiat Ecclesia. 104. — Quam fideliter regulae sint observandae. 105. — Quid in missionibus quoad cultum publicum et curam animarum sit observandum. 105. — Quid in candidatis recipiendis. 105.

Religio.

Religio quid sit. 4. — Illam, quam »honesti viri religionem« vocitant, non sufficere. 7. — Religionem revelatam non esse emendandam aut per-

ficiendam. 8. — Quatenus progressus in ea admittendus. 10. — Religionem e vita publica minime esse removendam. 120. — Vid. *Ecclesia.*

Reliquiae.

Sanctorum reliquias pie honorari. 79. — In theophoriis non esse gestandas. 100.

Revelatio.

Revelatio supernaturalis quatenus moraliter, quatenus omnino necessaria sit. 5. — E peccato originali quomodo revelationis derivetur necessitas. 39. — Quotuplex distinguatur revelatio. 5. — Revelationem factam esse, luculentissime evinci. 5. — Revelationis plenitudinem commissam esse Ecclesiae. 6. — Consignatam esse traditione et scriptura. 6. 7.

Sacerdos.

Quae perfectionis incitamenta in suis muneribus deprehendat. 83. — Quanta sit sacerdotii dignitas. 147. — Quanta in sacerdote requiratur sanctitas. 147. 148. — Negotia saecularia sacerdoti esse fugienda. 149. — A ludis in loco publico esse abstinendum. 151. — Cauponas non esse ingrediendas. 151. — Abstinendum a venatione. 151. — Frequens mulierum consortium fugiendum. 151. — Orationi et meditationi esse vacandum. 151. — Exercitia annua commendantur. 152. — Breviarii obligatio. 152. — Missae sacrificium quoties et quomodo offerendum. 152. — Litterarum studia. 152. 153. — Vestem talarem semper in sacris functionibus esse gestandam, alias saltem sutanellam. 153. — Supellex modesta et victus. 153. — Mutuam caritatem esse fovendam. 153. 154. — Habendam esse curam domesticorum. 154. — In quo habitu assistendum actui publico, cui ex officio interesse debet. 153.

Sacramenta.

Sacramenta quid sint. 67. — Quot numerentur. 67. — Sacramentorum frequenti usu fidem esse fovendam. 19. — Sacramenta administrandi munus esse sanctissimum. 108. — Totam vitam christianam pendere a sacramentorum usu. 108.

Sacramentalia.

Unde eorum origo. 119. — Quae et unde eorum sit efficacia. 119.

Sancti.

Sanctos licite et pie coli. 78. — Eorum reliquias et imagines licite et pie honorari. 79. — Eos invocandi usum esse antiquissimum. 79. 80.

Sanctissimum sacramentum.

Usum frequentiorem illud exponendi esse abolendum et ab Ordinariis accuratius ordinandum. 100. — Lampas coram eo continuo ardeat. 145. — Vid. *Eucharistia. Communio. Viaticum.*

Scholae chorales.

Instituendas esse in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et, quantum fieri possit, etiam aliis. 123. — Quomodo sint in ecclesiis cathedralibus instituendae. 97. 98.

Scholae elementares.

Quantopere Ecclesia eas cordi habeat. 131. — Ludimagistros esse Ecclesiae auxiliares. 131. — Quoties scholae a parochis et rectoribus adeundae sint. 132. — Qua aetate pueri ad primam confessionem, qua ad primam communionem sint adducendi. 132. 133. — Consuetudo, qua e schola dimissi singulis aut alternis mensibus ad sanctam communionem congregantur, commendatur. 133.

Scholae superiores.

Quomodo scholas a se institutas Ecclesia semper foverit. 133. — Cur Ecclesia omnem illis debeat sollicitudinem. 133. 134. — Praeceptores religionis ab Ordinario in officium esse immittendos. 134. — Quid eorum sit muneris. 134. 135. — Quoad primam discipulorum communionem quid eis concedatur. 135. — Quid de libris, e quibus doctrina religionis traditur, sit observandum. 135.

Scriptura sacra.

Scriptura sacra et traditione contineri veritatem revelatam. 6. — Non pro libitu esse exponendam. 7. — Non esse exponendam contra sensum Ecclesiae et Patrum unanimem consensum. 7. — Scripturae sacrae versiones a societatibus biblicis non esse accipiendas. 18. — Scriptura sacra quomodo explicanda sit in universitatibus et academiis. 137.

Seminaria clericorum.

Qua attentione ab Episcopis sint prosequenda. 86. — Quem in finem sint instituta. 138. 139. — Quid agendum rectoribus et moderatoribus. 139. — Quinam inter alumnos non sint admittendi. 139. 140. — Qua ratione ab alumnis vitae clericalis fundamenta sint iacienda. 140.

Seminaria puerorum.

Quae ex illis emolumenta speret Ecclesia. 135. — Clericos et laicos ad illa adiuvanda esse excitandos. 136. — Quid de sacramentorum usu statuatur. 140.

Sodalitates.

Cur Ecclesia novas continuo consociationes gignat. 141. — Cur hodie potissimum sint fovendae. 141. — Unde earum varietas exorta. 142. — Quae nominatim commendentur. 142.

Sponsalia.

Quare sit optandum, ut in facie Ecclesiae ineantur. 116.

Sponsi.

A nimia et familiari consuetudine sponsos esse avocandos. 116. — Parentum hac in re vigilantiam esse excitandam. 116. — Quid agendum cum sponsis, qui connubia cum acatholicis appetunt. 117. 118. — Sponsos hortandos esse, ut ante nuptias poenitentiae et eucharistiae sacramenta suscipiant. 116. — Ne ante nuptias cohabitent. 116.

Supplicationes.

Diebus praescriptis tantum esse instituendas. 100. — Strepitum bellicosum esse excludendum. 100. — Quomodo habendae. 100.

Synodus dioecesana.

Quem in finem huiusmodi synodi sint institutae. 106. — Eas esse utilissimas, non tamen necessarias. 107. — Qui interesse teneantur. 107. — Quomodo numerus convocandorum ab Ordinario sit determinandus. 107. — Solum Episcopum in synodo esse iudicem et legislatorem. 107. 108.

Synodus provincialis.

Repraesentari synodis Ecclesiae unitatem. 93. — Earum antiquitas. 93. — Fines prosequendi. 93. — Quae sit earum utilitas pro fide, moribus et caritatis vinculo. 94. — Qui sint vocandi et quo fruantur voto. 95.

Theologia.

Theologia scholastica quaenam contra pantheismum praebeat subsidia. 26. 27. — Quam attentionem Episcopi convertere debeant ad theologicas disciplinas. 86. — Theologiae moralis peritiam esse comparandam et perficiendam. 113. — Theologiae professores quomodo docendi munere fungi debeant. 137. — Qua animi promptitudine Ecclesiae sensum debeant amplecti. 137. — Linguae latinae usus commendatur. 138. — Theologiae professores alumnis ecclesiasticae disciplinae exemplo debere praelucere. 138.

Theologus.

In singulis cathedralibus esse constituendum. 98. — Quomodo, si unus non sufficiat, alter concionator eidem sit addendus. 98.

Tonsura.

A quolibet clerico deferenda. 153.

Traditio.

Traditione et scriptura contineri veritatem revelatam. 6. — Quibus modis ad nos transmittatur. 6.

Sanctissima Trinitas.

Trinitatis mysterium ratione demonstrari non posse. 14. 21. — Fide illibata esse tenendum. 19. — Quae sit Ecclesiae de hoc mysterio doctrina. 20. 21. — Qui potissimum errores sint fugiendi. 22. 23. 24.

Universitates.

Quid debeant Ecclesiae. 136. — Quid a theologiae et philosophiae professoribus sit observandum. 137. 138. — Theologiae alumnis interdici, quominus associationibus quibusdam suum dent nomen. 138.

Utensilia sacra.

Differant a supellectilibus profano usui inservientibus. 144. — Munditíes. 144. — In paramentis conficiendis ratio tum dignitatis eorum tum rubricarum certos colores praescribentium habeatur. 145. — Tabernaculum. 145. — Claves tabernaculi caute custodiendi. 145. — Vid. *Aedificia sacra.*

Viaticum.

Publice ubique esse administrandum. 115. — Eius administrationem esse proprii iuris parochorum. 100.

Vicarii.

Bona non elocent absque ecclesiasticae auctoritatis approbatione 146. — Domos laicis neque ex parte locent absque licentia Ordinarii. 146. — Lites de distributione redituum inter praecessorem et successorem exortae non deferantur ad iudices saeculares. 146. — Quibus conditionibus a parochia discedere liceat. 101. — Vid. *Parochi.*

Vicarius capitularis.

Quando ab Archiepiscopo constituendus. 91.

Virgo Maria.

Sine labe originali concepta. 47. — Nullum unquam commisit peccatum. 47. — Vid. *Maria Virgo.*

Vita clericalis. Vid. *Sacerdos. Seminaria clericorum.*

Vita futura.

Ad vitam alteram cur hodie potissimum fidelium mentes crebro sint erigendae. 80. — Alterius vitae fides quomodo perfectiones divinas illustret. 81.